UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S. Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica, Seu Libri, De Theologicis Disciplinis

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

urn:nbn:de:hbz:466:1-83642

Visual Library

Th. 889a

C. IX. 8

R.P. JOANNIS LAURENTII BERTI,
Ord. Eremit. S. Augustini,

THEOLOGIA HISTORICO-DOGMATICO-SCHOLASTICA,

SEU LIBRI,
DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS:

OPUS

CALCULO DOCTISSIMORUM VIRORUM
SANE PRÆSTANTISSIMUM,

IN OCTO TOMOS DIVISUM

JUNCTO AD QUODVIS CAPUT SUMMARIO MATERIARUM
NEC NON NUMERIS MARGINALIBUS. AC IN FINE CUJUSVIS TOMI INDICE LOCUPLETISSIMO:

TOMUS II.

IN QUO
DE SUMMA TRINITATE,
DE
ANGELIS,
DE RERUM CORPOREARUM PRODUCTIONE,
AC DE PRIMO HOMINE DISPUTATUR.

Editio prima in Germania multum auctior atque correctior.

CUM LICENTIA SUPERIORUM.

Pedeponti, Vulgô Stadt am Hoff,
Sumptibus JOANNIS GASTL, Bibliopolæ.
Typis, Maximiliani Simonis Pingizer, Typogr. Aug. An. 1749.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER SEPTIMUS

In quo adversus hæreticos pro fide individuæ Trinitatis pugnatur.

DE Electorum ac Reproborum sorte, quæ videbantur necessaria, fuerunt postremo præcedentis Voluminis libro absoluta. Sequitur, ut de altissimo Trinitatis mysterio, quod Catholicæ Fidei fundamentum est, dicere instituamus. Ut vero in rerum amplitudine ac varietate, missis iis, quæ absque delectu discuti consueverunt, & harum loco collocatis utilioribus, aliqua à nobis methodus teneatur, in qua suum quæque locum servare valeant; tres libros de hoc uno argumento duximus conscribendos. Erit primus Polemicus, eoque adversus Judæos, Samosatenianos, Fratres Polonos, Arianos, Græcosque à Romanæ Ecclesiæ communione sejunctos, divinarum Personarum pluralitatem, divinitatem Filii ac Spiritus Sancti, necnon hujus à Patre, Filioque originem vindicabimus. Alter erit Apologeticus; atque in eo Antenicænorum Patrum doctrina, ac Liberii Papæ, aliorumque fides, ad rectam crisin dilucide revocabitur. In postremo, qui Scholasticus erit, quæstiones cæteras, quæ aut ad humanæ rationis normam exiguntur, aut in utramque partem, salva fide, agitantur, erunt breviter resolvendæ. Atque ita fiet, ut neque à Scholarum recedamus consuetudine, neque validiorem hæreticorum impetus declinemus.

Hæresim ergo principio refutandam aggredimur, longe lateque serpentem; nam præter Judæos à divinitate Personas eliminarunt innumeri propemodum Heterodoxi. In unius Personæ angustias Trinitatem coarctare Montanistas, genus perditissimorum hominum secundo Ecclesiæ sæculo exortum, scribit in Epistola ad Marcellam Hieronymus. Proximo sæculo Noetus, deinde Sabellius blasphemarunt eumdem esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, & in veteri Testamento dedisse legem, in novo in hominum similitudine, & in linguis igneis apparuisse; quod de se ipso pridem dixerat Simon Magus, auctoribus Irenæo, & Augustino. Marcellus quoque ac Photinus, post Paulum Samosatenum, Deum singularem ac solitariam personam dixerunt, ac Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum nomine solo distinctos. His quarto vertente sæculo adhæsit Priscillianus Episcopus Abulensis, ut affirmant Her. LXX. Augustinus, & Leo Magnus Epistola tertia & nonagesima. At Theodorus Mopsuestenus & Nestorius, ut habetur in Oecumenica v. Synodo quaternitatem pro Trinitate dogmatizarunt: ob quam execrandam horrendissimamque blasphemiam Anastasius Imperator anno

518. fulmine ictus interiit. Mahomet etiam Pseudopropheta Saracenorum, qui eo appellantur nomine à *Saraca* Arabum civitate, septimo Christiani nominis sæculo, solum binarium numerum in divinitate constituit, ipsam scilicet Divinam essentiam, ejusque Animam. Subsecutus est circa annum 1531. omnium hominum impudentissimus Michael Servetus, qui præexcelsum Trinitatis mysterium *Tricipitem Cerberum*, ejusque Cultores *Tritheitas* dicere non erubuit, combustus postea Genevæ urgente Calvino, & impio diaboli ministro, impiissimum condemnante. Subscripsere Serveto Valentinus Gentilis, Bernardinus Ochinus, Lambertus Danæus, aliique dicti à recessu Transilvani, Franciscus David Polonus, Nathanael Elianus, Christianus Francus Cracovienſis, Theodosius Schimbergius, & alii innumeri. Adde Socinianos recentiores Crellium, Wolzogenium, aliosque Polonos: qui à Lælio & Fausto Senensibus civibus sectæ nomen acceperunt; nam hi patria pietatis ac sapientiæ Emporio deserta, in Poloniam ac Transilvaniam sese recipientes una cum his, quos memoravi, hæresim inter rudiores efferosque populos propagarunt. Atque his connumerandi sunt hæretici, qui Divinam substantiam dividere ausi sunt, ut Manichæi, quos refutavimus priori libro, & Ariani, atque Macedoniani inferius exagitandi. Consilium namque est, primum Trinitatem divinarum Personarum, deinde singularum divinitatem adversus Impugnatores comprobare: quod Divino implorato Numine facere instituimus.

CAPUT I.

Trinitatem divinarum Personarum ex veteri testamento adversus Judæos, hæreticosque probari.

SUMMARIUM.

1. Usque ad 6. Inclusivè dari trinitatem divinarum personarum Probatur ex versu primo geneseos.
7. 8. & seqq. usque ad 15. Exclusivè occurritur impugnationibus.
15. Idem ostenditur ex versu 26. cap. 1. Geneseos.
16. 17. 18. usque ad 24. Respondetur objectionibus.
24. 25. & 26. Idem evincitur ex cap. XIX. Gen. v. 24.
27. 28. 29. & 30. Solvuntur objectiones.
31. Idem eruitur ex pluribus aliis locis veteris testamenti.
32. 33. Solvitur argumentum.

Cur Hebraico populo Trinitatis mysterium absconditum.

QUAMQUAM Deus Hebraico populo, Trinitatis arcanum principio apertissime revelare, opportunum minime existimavit; illud tamen altissima divinarum Scripturarum significatione censuit esse præcontinendum: ut fideles, qui Christo nomen dedissent, si novitatis suorum dogmatum arguerentur, Judæorum eluderent cavillationes. Hebræis autem duplicem ob causam noluit tantum aperire mysterium; & ne in cultum idolorum proni, Deorum suspicarentur pluralitatem: atque ut gradatim, & quasi per incrementa, altissimarum rerum cognitione humana fragilitas imbueretur. Harum causarum primam affert in Orat. de Moyse Basilius Seleuc. & Isidorus Peluſiota lib. 2. Epist. Ep. 143. alteram magnus Augustinus in Quæst. vet. Testam. cap. 86. Hinc paulatim Sacrosancta Trinitas nobis innotuit: & in libris Moysis unitas divinitatis specialiter prædicata est; in Prophetis Dei Verbum annuntiatum, & Personarum binarius diligentius commendatus: Trinitas denique in nova lege evidentissime demonstrata. At quoniam superno accedente lumine, & Christi divinissimo Magisterio plura apparent in sacris Libris, quæ olim sub cortice literarum latebant; observarunt Patres ac Theologi, in veteri quoque Testamento Trinitatis deprehendi vestigia: quæ data opera hoc loco erunt producenda.

Momentum I. Ex versu primo Geneseos:

In principio creavit Deus cœlum & terram, qui Hebraice legitur אלהים השמים ואת־הארץ׃ ברשית ברא

Hoc primum momentum, quod initur vocabulo *Elohim*, אלהים pluralis terminationis, conjuncto cum verbo *creavit* ברא numeri singularis, in gratiam Scholasticorum, qui eo usi sunt, nisi invictissimum, probabile quidem adversus morosos criticos arbitramur. Advertendum est autem, nos nequaquam

Probat I. ex vocabulo hebraico Elohim.

quam asserere, nomen אלהים significare Personas, ut quidam falso dixerunt; nam cum designet supremum Dominum dignum adoratione, ut diximus lib. II. cap. I. revera divinitatem significat, vel aliquid Deo, tanquam uni, tribuendum. Neque asserimus notari eo nomine triplicem gradum divinitatis, quod Arianum esset, atque Macedonianum; neque esse admittendos tres *Elohim*, ut ludit in dissertatione de hoc nomine Zanchius Socinianus: sed affirmamus, in plurali illius nominis terminatione latere mysterium, neque phrasim esse Hebraicam, uti contendunt complures, pluralis numeri nomen cum verbo struere numeri singularis.

2. Ulterior ratiocinatio.

Ergo ita ex eo textu ratiocinamur. Cum Trinitatis opera *ad extra* inseparabilia sint, & producantur per omnipotentiam, quæ una cum substantia in tribus Personis est eadem, ad hanc significandam unitatem, sapientissimus legislator Moyses unius numeri verbum apposuit, id est ברא, *Creavit*. Cum vero in eadem essentia tres subsistant hypostases, pluralis numeri vocabulum usurpavit אלהים *Elohim*, cum in promptu esset singulare *Eloha* אלוה aut tetragrammaton יהוה, aut quodpiam aliud ex recensitis II. lib. cap. I. Non enim id exigit, ut plures putant, Hebraicæ linguæ syntaxis, neque Hebræi plurali numero utuntur honoris causa. Innuitur ergo eo loco divinarum pluralitas Personarum.

3. Confirm. 1.

Quod id non exigat Hebraica phrasis, ostenditur. Nam etiamsi in sacris libris sæpe plurale nomen cum verbo nectitur singulari, ut observavit quoque Hieronymus: non est phrasis, quam postulet linguæ proprietas, sed in qua aliquid latet significationis. Etenim in Beresceith Ketana legitur: *Nisi hic sermo scriptus fuisset, non licuisset dicere, Creavit Elohim.* Habet consimilia Rab. Moyses Hadar, & alii apud Galatinum lib. 2. cap. IX. Ex Hebræorum ergo antiquiorum confessione, non phraseos natura est, sed occultæ significationis arcanum, terminatio ista pluralis. Deinde etiamsi id eveniret alicubi, ut apud Hebræos non semper nomina & verba, casus similitudine copularentur; ea tamen est divinarum literarum œconomia, ut ubicunque plurali numero de Deo nomen אלהים usurpatur, ne Pagani possint Judæis opponere, in horum quoque libris multitudinem contineri Deorum, & ne ipsi Judæi idololatriæ sumant inde occasionem, è vestigio remedium apponitur, ut advertit Rab. Joannan. Sic ubi in Genesi legitur, *Faciamus hominem*, ne possint Polythei plures Deos suspicari, subditur: *Et creavit Deus hominem.* Genes. XI. dicitur: *Descendamus & confundamus linguam eorum*; & post hæc: *Descendit Dominus.* Cap. XXXV. scriptum est, *Apparuerunt Dii*, & statim: *Fac ibi altare Deo, qui apparuit tibi.* Jerem. XXIII. *Pervertisti verba Deorum viventium*, & protinus: *Verba Domini exercituum.* Ergo propter hanc eamdem Oeconomiam, & non ex hebraica phrasi, ne ex numero plurali Elohim inferri possit multitudo Deorum, verbum additum est singulare. Postremo quod præfatum nomen aliquem numerum ratione terminationis insinuet, arguitur etiam, cum verbis pluralis numeri connectatur, ut 2. Regum cap. VII. *Iverunt Dii*, Genes. XXXV. *apparuerunt Dii*, & XXV. *Abduxerunt me Dii*, aliisque in locis, ubi nostra Vulgata habet Dei nomen singulari numero expressum.

4. Confirm. 2.

Neque Hebræi juxta familiarem Europæorum consuetudinem causa honoris nomen pluraliter efferunt. Nunquam enim legimus è plebe infimos primoribus salutem dicere, עמכם אלהים יהי *Vobiscum Dominus*, sed ajunt semper, יהי עמך Nec mulier Tekoitis I. Regum cap. XIV. ita Regem allocuta est הושיעו המלך *Servate me, o Rex*: sed הושיעה *serva*, inquit: idque constat ex toto Bibliorum Sacrorum volumine etiam ubi sumus Deus vel imperans, vel jubens ad homines loquitur.

5. Confirm. 3.

Præter vocabulum Elohim, addo priorem vocem, בראשית *In principio*: quam nonnulli antiquiores legerunt, *In Filio*: ut Auctor libri, qui inscribitur, *Altercatio Jasonis, & Papisci*, quem scriptum nonnulli dixerunt à Jasone Thessalonicensi, cujus meminit Paulus in Epist. ad Romanos cap. 16. Hunc autem librum summopere commendat in IV. adversus Celsum Origenes. Ita legit quoque Tertullianus cap. contra Hermogenem XX. neque videtur dissentire Chaldaicus Paraphrastes, qui vertit: *In sapientia sua.* Hieronymus tamen principio Quæstionum in Genes. videtur hanc lectionem rejicere: quod revera hebraicum בראשית significet *in Principio.* Verum quod affirmat Hieronymus de Grammaticali literarum sensu, possumus rectissime accipere de Theologico. Scribit enim S. P. Augu-

stinus in Q. ad Dulcitium VIII. *Trinitas insinuatur Creatoris, dicente Scriptura: In principio fecit Deus cælum & terram.* Et causam afferens, ait: *Intelligimus Patrem in Dei nomine, & Filium in principii nomine: qui non Patris, sed per seipsum creatæ primitus, ac potissimum spiritualis creaturæ, & consequenter etiam universæ creaturæ principium est.* Quare non est prorsus rejicienda lectio illa Jasonis: *In filio creavit Deus cælum & terram.*

6. Observatio Pici. Ingeniosa est observatio Pici Mirandulani, qui in fine Heptapli Cabbala præfatam lectionem nititur comprobare. Facta enim literarum partitione, priores tres בראּ significant, *Creavit*: אב *Patrem*: בר *filium*, sola ב, *in*: unde habes, *Creavit Pater in Filio.* Alii Patrem innuunt in litera א, Filium in ב, ac Spiritum Sanctum in ר, quæ sunt prima elementa nominum אב, בן, רוח. At hæc solos Judæos urgent, qui hanc interpretandi rationem plus æquo sectantur.

PELLUNTUR CRITICORUM, ET GRAMMATICORUM OBJECTA.

7. Objectio I. Opp. 1. Ex primo Geneseos versu probari pluralitatem divinarum personarum, negant viri in hebraica lingua doctissimi, idque probat Bellarminus lib. 2. de Christo cap. VII. exemplis clarissimis, quibus ex hebraicæ linguæ proprietate pluralis numerus pro singulari adhibetur. Etenim Genes. XXIV. 9. ubi legimus: *Posuit manum suam super femur Abraham Domini sui*, habet hebraicus codex plurale nomen אדניו, *Dominorum suorum.* Item Exodi xx. 3. ubi vulgata nostra legit: *Non habebis Deos alienos*: habent Hebræi אלהים אחרים לא יהיה לך: *Non erunt tibi Dii alieni.* Rursus falsum est nomen *Elohim* tantum cum singulari verbo conjungi, nam 2. Regum cap. VII. ut diximus, habetur: אלהים הלכו. *Iverunt Dii*: quibus similia plura alibi reperiuntur. Præterea nullus hactenus ea verba ברא אלהים: vertit *Creaverunt Dii*; feciissent autem, si nomen illud pluralem significationem haberet. Denique si in vocabulo illo pluralitas personarum lateret, essent in divinis Scripturis contradictiones apertissimæ: ubi enim legimus Deum esse unum, sensus esset, Deus est unus, & non est unus. Hæc Bellarminus.

8. Solvitur. Resp. Longe plures etiam in hebraica lingua doctissimos in hoc Geneseos loco mysterium animadvertere, ut Hebræi, quos memoravi inter suos antiquissimi, & ex Scholasticis Magister Sententiarum, S. Thomas, Alphonsus Vivaldus, Franciscus Arretinus, Catharinus, &c. Item nobilissimi Sacrarum Scripturarum Interpretes, Augustinus Steuchus, Lyranus, Paulus Burgensis, Joannes De la Haje, alii. Addo hæreticos homines saltem ob linguæ Sanctæ peritiam valde celebres, Ludovicum Cappellum in Diatriba de nomine Elohim, Salomonem Glassium lib. III. Gram. Can. XXV. Alstedium Calvinianum in Lex. Theolog. cap. 2. Meisnerum Phil. Sobr. p. II. & alios, qui cum Catholicis adversus Socinianos pugnarunt. Nec refert Aben-Hezram in Comment. nullum in voce *Elohim* agnovisse mysterium, & ad hebraicam phrasim confugisse: quoniam id fecit hominis ignorantia, & divinorum arcanorum incomprehensibilis altitudo.

9. Respondetur argumentis Bellarmini. Itaque ad primum Bellarmini argumentum dicimus 1. *Jod* non significare semper pluralitatem, sed poni sæpenumero ad distinguendum affixum pronominis, ut in his vocibus אֶת דְּבָרָיו: רַגְלָיו quæ significant *pedem ejus*, *verbum ejus*, non *pedes*, non *verba*: quare in nomine אדניו litera *Jod*, cum sequatur suffixum, non est nota pluralis numeri, sed pronominis; quemadmodum aliquando est signum regiminis, ut Genes. XLII. 30. *Dominus terræ*, אדני־הארץ. Quibus in locis *Jod* a Grammaticis dicitur *Redundans.* Dicimus 2. quod licet ex proprietate linguæ Sanctæ nomina appellativa, quale est *Adonai*, numero plurali pro singulari efferantur: id locum minime habet in voce aliqua primitiva, qualem esse vocabulum *Elohim*, demonstrant etiam hæretici Amama, & Glassius. Tertio reponimus in sacris Bibliis, ubi habetur sermo de Deo, etiam phraseos abjici consuetudinem; & si aliqua de Deo pluraliter enunciantur, statim singulariter repeti, ne plurium Deorum exoriatur suspicio. Quamobrem additur *Elohim* singulare verbum causa hujus œconomiæ, non proprietate sermonis. Cap. vero Exodi xx. *Elohim* enunciatur de Diis Gentium, qui cum plures sint, consulto numero efferuntur pluraliter: ac verbum minori numero ponitur, *Non erit*, quod plures illi Dii non sint adorandi cultu illo, atque honore, qui debe-

debetur Deo unico, ac ſummo. Regum 2. cap. VII. tam verbo הלכו *Iverunt*, quam nomine אלהים *Dii* perſonarum ſignificatur diſtinctio: neque ex plurali verbo *Iverunt* Deorum inferri poteſt pluralitas, nam ſubditur caute aliud verbum ſingulare לפדות־לו *ut redimeret ſibi*, ut intelligatur de uno Deo haberi ſermonem. Quæ unitas etiam manifeſtius colligitur ex verbis ſequentibus פָּדִיתָ לְךָ מִמִּצְרַיִם מִפְּנֵי עַמְּךָ אֲשֶׁר *A facie populi tui, quem redemiſti tibi ex Ægypto*: ubi vides, & ſingulare verbum, & ſingulare pronomen. Ad ultimum Bellarmini argumentum facilis eſt reſponſio; nam hoc nomen *Deus* uſurpatur à Latinis ad ſignificandam ſubſtantiam, & conſequenter nullus vertit unquam *Creaverunt Dii*. Quæ verſio eſſet ſane perverſa, dicente Hieremia cap. x. 11. de Diis Gentium: *Dii cælum & terram non fecerunt*.

8. Roborantur argumenta Bellarmini.

Opp. 2. Bellarmini argumenta aliis innumeris firmari poſſunt exemplis. Etenim ea vox hebraica בעלים quæ *Dominos*, ac *poſſeſſores* ſignificat, paſſim de uno idolo, de uno homine effertur. Evenit idem de nomine אדנים, quod Eſaiæ XIX. 4. cum ſingulari adjectivo copulatum eſt, *Dominorum fortis* אדנים קשה. Nomen Dei אלהים, etiam de unico idolo enunciatur pluraliter in Exodo, ubi vitulus aureus appellatur אלהי זהר, de uno Moyſe, quem Deus conſtituit, לפרעה לאלהים *Elohim Pharaonis*; De uno Samuele, de quo clamavit Pythoniſſa, Vidi אלהים: de una Arca fœderis, quæ 1. Regum cap. 4. dicitur בא אלהים. Aqua etiam, cum una ſit, vocatur מים; & in XXXVI. Ezech. ubi legimus *Aquam mundam*, habent Hebræi plurale, טהורים מים. His ergo exemplis conſtat, eſſe linguæ Sanctæ idiotiſmum, quotieſcunque pluralis numerus uſurpatur pro ſingulari.

9. Reſpondetur ad illa.

Reſp. nego ant. Atque ad 1. Exemplum dico: nunquam legi in Scripturis בעלים, niſi cum de falſis Diis accipitur, qui cum plures ſint, nihil mirum, ſi plurali legatur terminatione. In ſingulari habetur duntaxat, ubi additur nomen unius Idoli, ut Judicum VIII. 33. & Num. XXV. 3. de Idolis *Baal*, & *Beelphegor*. Quum enunciatur de hominibus, & ſignificat rei poſſeſſores, additur ei genitivus, ibique, ut ſupra dictum eſt, *Jod* redundat; aut non ponitur abſolute pro uno Domino ſingulari, ſed indefinite pro omnibus, ut Eſaiæ cap. 1. 3. Ad alterum exemplum reſpondet Cappellus קשה eſſe nomen ſubſtantivum, quo ſignificatur *durities*: neque Hebræis inuſitatum eſt, ſubſtantivum pro adjectivo locare, & dicere E. G. *Dominos duritiei*, pro *Dominos duros*. Sed verior eſt reſponſio, adjectivum ſingulare additum plurali ſignificare apud Hebræos diſtributionem ſingulorum. Sic. cap. præc. XVI. 8. ubi legimus, *Suburbana Heſebon deſerta ſunt*, habent Hebræi, אמלל שרמות *Arva deſertum eſt*: ſcilicet, *quodcunque arvum*. Gen. XLVII. 3. ubi noſtra vulgata ait: *Paſtores ovium ſumus ſervi tui*, רֹעֵה *Paſtor* Hebræi legunt, id eſt *Paſtor unusquisque*. Itaque ſingulare adjectivum קשה *durus* additum plurali אדנים *Domini* partitionem demonſtrat, prædicitque, Aegyptiorum Reges ſingulos futuros eſſe crudeles. Unde recte Vulgata: *Tradam Aegyptum in manu dominorum crudelium*. At nomen אלהים de uno dicitur vitulo, propterea quod erectus fuit in cultum plurium Deorum qui ab Aegyptiis adorabantur, atque loco Unius, Trinique Numinis ſubſtitutus. Hoc nomine nedum Moyſes ac Samuel, ſed Reges ſinguli, Judices ac Magiſtratus ſunt appellati, quod hi omnes referant Dei majeſtatem, gerantque vicem ipſius. Arca quoque præſentiæ ſummi Dei erat ſymbolum ſingulare. Aquæ demum, cum duo illarum ſint genera, ſuperiorum, quales ſunt imbres, & inferiorum, quales ſunt lacuſtres & fluviatiles, מים appellantur.

12. Objectio 3. cum ſolutione.

Opp. 3. Manue Judicium XIII. viderat unum Angelum; & tamen v. 22. dixit ad uxorem ſuam, *Morte moriemur quia vidimus Elohim*

Reſp. Angelum, qui apparuit Manue, vocari אלהים, quoniam Dei præferebat perſonam. Quod ſatis liquet; nam v. 18. ait: *Cur quæris nomen meum, quod eſt Mirabile?* Unde Manue hœdum obtulit & libamenta Domino, qui facit mirabilia; ibid. v. 19. Aut fortaſſe credidit ſibi Deum ipſum apparuiſſe; & ideo ait: *Morte moriemur, quia vidimus Deum.* Memor quip-

quippe erat dictum fuisse Moysi Exod. XXXIII. 20. *Non enim videbit me homo, & vivet.*

13. Objectio 4. Opp. 4. In Hebraica, Ismaelitica, & Arabica lingua quælibet res eximiæ, honoris causa plurali numero designantur. Ergo nomine plurali Elohim, non plurium numerus Personarum, sed unius Dei exprimitur altitudo. Ita ratiocinatur lib. 2. de Trinit. cap. VII. Petavius, Adde scortum honoris causa ita Salomonem adlocum 3. Reg. III. 26. *Obsecro Domine, date illi infantem, & nolite occidere eum.*

Solvitur. Resp. Rationem illam usurpati pluralis numeri, quam ex Aben Hezra Petavius commemorat, scilicet gratia honoris ac dignitatis, ut ipse fatetur, viris quibusdam Eruditis, nimis dilutam insulsamque videri. Profert duntaxat exempla duorum nominum בעלים, & ארונים, quæ ad rem non esse, jam diximus. Ac dato, in his tale linguæ detegi idiotismum; non proinde accidit idem in אלהים; quum illa appellativa sint, istud primitivum. Accedit œconomia Scripturarum, ubi de vero loquuntur Deo, quam supra innuebamus. Pluralem numerum quandoque significare magnitudinem, atque excellentiam, etiam in Hebraica lingua multiplici causa contingit, quam expendit Glassius lib. III. Tract. de Nomine Can. XXXIV. Sed fieri id in vocibus primitivis ad exprimendam dignitatem personæ, falsum est penitus. Etiamsi id fieret; non junguntur tamen ex linguæ proprietate singularia verba nominibus pluralis numeri, nisi ob aliquam significationem, ut vidimus exemplis præcedentium objectionum. Verba scorti ad Salamonem nullam exprimunt pluralitate numeri reverentiam, sed ea simul compellant Regem, & lictorem tenentem gladium. Addo, Verbum activum plurale usurpari in lingua Sancta pro impersonali singulari, & imperativum pro subjunctivo, ut docent Grammatici. De his Cappellus in Diatriba de tribus *Elohim*. Profecto si plurale honoris esset characteristicum, à Deo ferente legem fuisset adhibitum: neque citato loco Salomon dixisset lictori: *Date huic infantem vivum.*

14. Objectio ultima. Opp. ult. Divinæ Personæ, ut constat ex Symbolo, quod tribuitur Athanasio, Catholice appellari nequeunt Domini, vel Dii, sed debent dici unus Deus, unus Dominus: Atqui nomen *Elohim* significat Deum, vel Dominum: Ergo vel erit nomen singulare, vel error in Sacris Bibliis irrepsit. Falsum est igitur in 1. versu Geneseos nomen plurale cum verbo singulari conjungi. Ita arguit Cajetanus initio Comment. in Genesim.

Ejusdem solutio. Respondet Catharinus in IV. Adnot. libro Cajetani sententiam Judaicam esse, & à Patrum auctoritate abhorrentem. At non conveniebat Ambrosio Catharino (ut verbis utar Sixti Senens. lib. IV. Bibliothec. S. annot. 1.) fratrem suum ob tam leves causas in suspicionem læsæ Trinitatis adducere. Quare dicimus certissimum esse apud Hebraicæ linguæ peritos אלהים esse nomen pluralis numeri, cujus singulare est אלוה, atque in hoc apertissime decipi Cajetanum. Quod autem scribit non consentire Symbolo Athanasii, si dicamus plures Deos aut Dominos, solutionem habet ex D. Thoma 1. P. Q. XXXIX. art. 3. ubi ait: *Ad secundum dicendum, quod diversæ linguæ habent diversum modum loquendi: unde sicut propter pluralitatem suppositorum Græci dicunt tres hypostases; ita & in Hebræo dicitur pluraliter Elohim. Nos autem non dicimus pluraliter neque Deos, neque substantias, ne pluralitas, ad substantiam referatur.* At de priori loco, quo utimur adversus Judæos satis, superque dictum est.

Momentum II. Ex versu 26. cap. 1. Geneseos.

Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: qui habetur in Hebraico: אַדָם בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ נַעֲשֶׂה

15. Argumentum 2. Utitur hoc loco ad probandam Trinitatem S. Joan. Chrysostomus Tom. V. hom. 2. Ambros. lib. VI. in Hexam. cap. 7. Theod. Quæst. XIX. in Gen. Justinus in Dialogo cum Tryphone, nec non Interpretes ac Theologi omnes. Argumentum vero quod ex præfato textu deducitur duplex est. Primum literale, & obvium: Verba illa, *Faciamus, &c.* sunt unius Personæ alteram adloquentis; & quæ sequuntur, *Ad imaginem, & similitudinem nostram,* Divinæ Essentiæ indicant unitatem. Est ergo in Deo pluralitas personarum, & unitas essentiæ. Alterum argumentum petitur ex verborum illorum expositione: Imago Patris est Filius; generatio enim est origo viventis à vivente in naturæ similitudinem: neque Filius esset Patris imago & similitudo, nisi eamdem habe-

haberet potestatem, & ei esset consubstantialis: item Spiritus Sanctus, cum sit communis dilectio & amor Patris & Filii, appellari potest similitudo utriusque. Itaque in verbo *Faciamus* intelligimus Patrem, in *Imagine* Filium: in *Similitudine* Amorem; rectèque dictum est, *Ad similitudinem nostram*, quoniam Spiritus Sanctus est Amor Patris, & Filii.

RESPONDETUR OBJECTIS.

16. Objectio 1. Opp. 1. Non infertur ex his verbis *Faciamus &c.* Trinitatis arcanum, si ea protulerit unus Deus, adloquens non alteram in divinitate personam, sed Angelos, quorum ministerio præsertim in opificio hominis usus fuit. Atqui verba illa ad Angelos dirigi, nonnullis, momentis suaderi potest. Primo auctoritate Rabbinorum, inter quos numerandi sunt Aben-Ezra, & R. Moimonides Hebræorum omnium doctissimi: deinde Philosophorum doctrina; nam Plato in Timæo docet in productione hominis à primo Deos adhibitos esse minores. Tertio testimonio divinarum Scripturarum, quæ inuunt, Deum quotiescunque magnum aliquod molitur opus, cælestium Angelorum exercitum consultare, ut lib. 3. Regum cap. XXII. 19. (dum ageretur de Achab internecione ac deceptione) legitur, Deum super solium suum, assistentem sibi exercitum Angelorum consuluisse. Ait ergo Deus hominem fabricaturus, *Faciamus*, quasi de tam præclaro opificio cum sua familia deliberans.

17. Solvitur. Resp. Fieri nequaquam posse, ut prædicta verba dirigantur ad Angelos. Primo enim Hebræi hanc interpretationem excogitantes ne cogerentur Dei Verbum tanquam distinctam à Patre personam fateri, maluerunt cum gentibus pluralitatem adstruere Deorum, ut scribit de hac illorum expositione Basilius; Enimvero ad creationem, cum sit productio ex nihilo, infinita requiritur potentia, neque ad illam Angelus, sive creatura aliqua potest adsumi. Quare illi, qui putant cum Platonicis, minores Deos ad opificium hominis advocatos, plurium Deorum videntur esse cultores: *Conticescant ergo* (inquit Amb.) *& Judæi & Ariani cum suis paribus, qui, dum unum à consortio Divinæ operationis excludunt, plures inserunt, & prærogativam, quam Filio negant, servulis donant.* Atque, etiamsi creatura & Angelus possent esse alterius creaturæ principium, constat tamen, ad hominis productionem Angelorum ministerium non accessisse. Quippe ex rationali anima, & corpore constat homo. Animam ab uno Deo fuisse creatam, constat ex cap. II. v. 7. *Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Similiter de corpore istic legitur: *Formavit Deus hominem de limo terræ.* Si ergo tam corpus quàm anima ab uno procreata sunt, non interfuit hominum productioni Angelicum ministerium. Propterea ne opinemur plures esse hominis conditores, post verba *Faciamus &c.* sequitur in singulari, *Et creavit Deus hominem.* Ulterius hominem fuisse creatum ad Imaginem Dei, non Angelorum, ibidem Scriptura testatur. Accedit, quod neque Angelus est exemplar & idea hominis, neque una esse potest imago Dei, & Angelorum. Quod addebatur de Achab, habet cum generalem, tum particularem solutionem. Generalis est, à nobis non negari, Deum uti quandoque ministris Angelis: utitur sane, & ubicunque id affirmat Scriptura; sed Angelos conditores fuisse hominis, & Scriptura non docet, & demonstrat oppositum. Particularis vero solutio est, Factum Achab non suffragari Judæis, qui fabulantur Angelum, qui decepit Achabum fuisse Animam Naboth, qui innocens fuerat lapidibus obrutus. At quoniam revera fuit Angelus malus de familia Satanæ, respondendum est, latissimam esse disparitatem. Dedecet enim summam Dei bonitatem, homines in mendacium inducere, ideoque fefellit Achabum per Angelum malum, idque non jubendo, sed permittendo, ut diximus lib. II. cap. VII. Econtra cum creare sit opus Dei proprium, & ad ejus spectet omnipotentiam; non est, cur in creatione hominis Angelorum exquisierit operam ac ministerium.

18. Objectio 2. Opp. 2. Prætores, Tribuni, & quotquot summis funguntur magistratibus, solent sub numero plurium dicere, *Jubemus, scribimus, imperamus;* non ad personarum pluralitatem, sed ad majestatem dignitatemque significandam: Atqui Deus reges ac principes dignitate antecellit: Usurpat ergo hac de causa illam proprietatem formamque sermonis, *Faciamus.* Ita cum Judæis argutatur Marcellus Ancyranus apud Eusebium. Addit Socinus: Deum sese more artificum ad hominis opificium hortari, ut Annibal venenum hausturus; *Liberemus*, inquit: *diuturna cura populum Romanum.*

19. Solvitur. Resp. nego conseq. Non enim Deus, more procerum ac magnatum in Sacris literis de se pluraliter loquitur; siquidem in singulari numero verba fecit, etiam cum legem dedit, ac semetipsum Moysi manifestavit. Negari quoque potest etiam in latina lingua, quoties aliquis in plurali loquitur, quamdam declarari dignitatem; nam, ut scribit Laurentius Valla, non quidem in Sacris disciplinis, sed certe in latina lingua plurimum exercitatus, Elegant. lib. III. cap. 110. *Quia glorioſius eſt, quemvis unum per ſe, quam cum pluribus rem claram geſſiſſe, Principes modeſtiæ gratia, ne ſoli videantur omnia gerere, loquuntur fere pluraliter; ut, Nos Maximilianus Romanorum Imperator, &c.* Sed quidquid de Latinis sit; *Si Deus propter auctoritatem ac majeſtatem de ſe loqueretur in plurali, oportuiſſet eum ita loqui, vel ſemper, vel ut plurimum, præſertim cum legem daret in Sina;* inquit Quæst. 20. in Gen. Theodoretus. Quod addit Socinus, olim his verbis refutavit Basilius Hom. 9. in Hexam. *Quis enim faber aut ærarius, aut lignarius ſolus ipſe quidem, nec alio quoquam ſibi cooperante ſtipatus, interque ſuæ artis inſtrumenta deſidens, ſibi ipſi admurmurat dicens: Faciamus ghadium, aut compingamus aratrum?* Atque, etiamsi hæc loquendi consuetudo locum haberet in hominibus, qui possunt operum magnitudine deterreri, & animo hærere suspensi; obtinere non potest in Deo, qui neque indeterminatus esse potest, neque rerum faciendarum amplitudine retardari. Annibal vero plurali locutus est numero, intuens regios milites, qui domus suæ occluserant fores: ac præterea nullum istiusmodi exemplum in sacris libris occurrit, etiam dum verba faciunt Pharao, Abimelech, Achabus, aliique principes superbissimi. Marcello denique Ancyrano opponimus Chrysostomum, Basilium, Theodoretum, ac fere omnes Patres atque Interpretes: sed de horum traditione inferius.

20. Objectio 3. cum solutione. Opp. 3. Veteres Rabini, ut Moyses Gerundensis, & alii, explicant hunc locum, quasi Deus adloquatur terram, ex qua hominem condidit. Resp. dementiam esse singularem, causam materialem ac patibilem, commutare in causam suipsius effectricem, & mortuum elementum ad opitulandum omnipotenti advocare.

21. Oppositio 4. Opp. 4. Decipuntur, qui hominem factum ad Dei imaginem arbitrantur; nulla quippe creatura potest esse similis Deo. Dicitur autem recte homo conditus ad similitudinem Angelorum, quoniam in mortali corpore spirituali anima donatus est. Sunt ergo verba laudata Angelorum, non Dei.

22. Solvitur. Resp. nego ant. Etenim ad imaginem Dei, non Angelorum creatum fuisse hominem subsequentia verba demonstrant: *Et creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam.* Hanc imaginem alii in mente rationali, alii in eo, quod homo præsit volatilibus, piscibus, atque animantibus terræ, alii in libero arbitrio constituunt. Eam in ratione consistere certum puto, quum id affirmet S. Pater XXIV. contra Faustum cap. 2. Hujus quoque imaginis partem saltem esse externum dominium, scribit hom. 8. & 9. in Genes. Jannes Chrysostomus. Quidam dixerunt: quod sicut Deus condidit Adam, à nullo alio progenitum, Evam ex ipso Adam formavit, & humanum genus ab Adamo simul & Eva propagatum est; ita Pater à nullo est genitus, Filius à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, Filioque procedens. Quæ postrema imaginis ratio parum mihi probatur; nam si neque Evam, neque posteros Deus condidisset, erat nihilominus Adam factus in similitudinem Trinitatis. Verum de hac in hominibus existente Divina imagine in altera horum librorum nostrorum parte.

23. Objectio 5. Opp. 5. Quælibet locutio aut vocalis est, aut mentalis; vocalis fit, dum vox ab uno ad alterum dirigitur, mentalis, dum ab uno ad alterum dirigitur intellectio: Atqui non datur unius Divinæ personæ ad alteram locutio, sive vocalis, sive mentalis; nam Divinis personis deberet esse una eademque intellectio, ideoque una non posset ad alteram suam intellectionem dirigere; & ex alio capite, vox à spiritibus invicem adloquentibus non emittitur: Ergo illa verba, *Faciamus, &c.* Non sunt Patris ad Filium, sed unius Dei ad Angelos.

Solvitur. Resp. Locutionem divinarum personarum non esse vocalem, neque mentalem eo sensu, quod Pater manifestet Filio cogitationem aliquam occultam, quemadmodum contingit in Angelis: sed est locutio, qua dirigitur sermo unius Personæ ad aliam per communicationem participationem, & identitatem omnium divinorum consiliorum, quæ una persona habet ab altera per originem suæ processionis.

Momen-

24. Argumentum 3. *Igitur Dominus pluit super Sodom m, & Gomorrham sulphur & ignem, à Domino, de cælo,* hebraice וְיְהוָה הִמְטִיר עַל־סְדֹם וְעַל עֲמֹרָה גָּפְרִית וְאֵשׁ מֵאֵת יְהוָה מִן הַשָּׁמָיִם.

25. Ut vim hujus loci percipias, animadverte, hic nomen יהוה non solum repeti, verum etiam repeti cum tali emphasi, ut unius exprimatur origo ab altero, nempe cum propositione מאת *ex, ab.* Observa quoque, haberi istic nomen Dei primum ac tetragrammaton, quod ubicunque occurrit, semper verum Deum significat, unde exponi nequit de Angelis, ut contendunt Grotius & alii, quos tamen refutat Cantwrightus. Igitur constat ex allato textu, duas saltem esse in Divinitate personas, quarum una originem habet ex altera.

26. Innuit quoque ineffabile Dei mysterium, saltem probabiliter, solum nomen יהוה, ut constat ex libro R. Heccados, qui inscribitur *Revelator arcanorum;* ubi ait: *Animadverte nomen quatuor literarum, prout scriptio ejus est, sic enim scribitur in lingua nostra hebraica* יהוה *significare generantem. At non potest generans esse absque genito: & propterea nos volumus generantem & genitum unam esse substantiam.* Plura vide apud Galatinum. Neque videtur carere mysterio, quod nomen istud sit, ut appellant אותיות שם בן־ארבע. Nam, significat apud Hebræos principium; est enim litera, ex qua cæteræ ducunt originem, & videtur Patrem designare. ה idem est, ac *vivere, & esse;* neque inepte videtur posita ad significandum Filium, per quem creaturæ omnes vivere & esse cœperunt; & in quo, quæ facta sunt, vita erant. Tertia litera ו est nota nexus & unionis, ideoque denotat Spiritum Sanctum, qui est amor & charitas utriusque. Neque absque mysterio dixerim geminari literam ה, & repeti postremo loco; quoniam Filius duplicem habet naturam, divinam nempe, & humanam; sed hæc videntur ingeniorum exercitamenta.

Respondetur Objectionibus

27. Objectio 1. Opp. 1. Repetitio nominis יהוה fit loco pronominis: & idem est, *Pluit Dominus à Domino, ac, pluit Dominus à se, ex alto.* Non enim est in lingua Sancta inusitatum, aliquod nomen vice pronominis geminari; ut Genes. IV. Lamech alloquens uxores suas ait, *Audite me uxores Lamech:* pro *uxores meæ:* Possunt ergo Judæi facile argumentum istud eludere. Ita Vatablus, Petavius, & alii.

28. Solvitur. Resp. nego ant. Etsi enim sæpe nomina loco pronominum repetantur; tamen id non evenit, ubi de Deo sermo fit, ne Judæi idololatriæ sumant inde occasionem: quod hoc potissimum loco erat observandum; ubi proprium Dei nomen apponitur, cum verbo tamen singulari. Sed & repetitur cum propositione, ut diximus, significante originem, non absolute. Neque talis propositio significare potest *ex se, ex alto;* id enim exprimitur sequentibus verbis, *de cælis* מן השמים. Et etiamsi hic locus ad refutandos Judæos non foret aptissimus, maximum tamen adversus hæreticos robur haberet. Quippe probant hinc Trinitatem Justinus in Dialogo cum Tryphone, Irenæus lib. 3. adversus hæreses, S. Athanasius libro contra Sabellii Gregales, S. Hilarius lib. IV. de Trinitate, Tertullianus contra Praxeam cap. 13. cæterique, ut Petavius fatetur, pene omnes. Quorum ductus auctoritate, nimis ægre patior eruditos viros, qui ex proprietate Hebraicæ linguæ, tantum elevant argumentum; præsertim cum extet anathematismus XVI. Synodi Sirmiensis: *Si quis,* Pluit Dominus à Domino, *non de Filio & Patre intelligat, sed ipsum à se dicat pluisse, anathema sit. Pluit enim Dominus Filius à Domino Patre.*

29. Instatur. & respondetur. Dices: Sirmiensem Synodum fuisse conventiculum Arianorum, ut dicemus sequenti libro disputantes de causa Liberii.

Resp. hanc Synodum celebratam fuisse contra Photinum, etsi ab Arianæ factionis Episcopis; qui una in re à fide deviarunt negantes, Verbum esse Patri Omousion, vel potius hoc vocabulum supprimentes: in altera fidei patrocinati sunt, Photinum eo anathemate ferientes. Hac in parte Synodus illa recipitur, & commendatur in lib. de Synodis ab Hilario. Neque aliter sentiunt PP. primi Concilii Antiochèni in Epistola Synodica contra Paulum Samosatenum, ubi ex præcitato textu Personarum divinarum probant pluralitatem. Quare anathema Synodi Sirmiensis Catholicorum sensui cohæret.

30. Objectio 2. cum solutione. Opp. 2. Falsum est nomen יהוה soli Deo tribui, nam hoc nomine appellatur mons, in quo Abraham pro filio obtulit sacrificium, Genes. XXII. Item altare

tare erectum à Moyse Exod. 17. Urbs quoque Jerusalem Ezech. 40.

Resp. nego antecedens. Mons enim altare, & Jerusalem, non appellantur יהוה absolute, sed cum addito; Mons scilicet dicitur יראה יהוה *Dominus videt*: Altare יהוה נסי *Dominus exaltatio mea*; Jerusalem יהוה שמא *Dominus illic*. Quapropter designatur hoc loco Dei præsentia, ac majestas, ut constat ex Divini nominis additamento.

Momentum IV. Ex pluribus aliis locis veteris Testamenti.

31. Argumentum 4. Probatur præterea Trinitas pluribus aliis Divinæ Scripturæ locis: quorum pleraque ad proximas dissertationes de Filii ac Spiritus Sancti divinitate sunt reservanda. Occurrunt modo versus 22. cap. III. Gen. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Et cap. XI. v. 7. *Venite descendamus, & confundamus linguam.* Psalmo II. v. 7. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, Ego hodie genui te.* XXXII. 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Et CIX. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis;* aliaque id genus permulta. Adversus judæos urgendi quoque sunt versus 20. Genes. 44. *Est nobis pater senex, & puer parvulus, &c.* quem R. Hadarsan mystice de Deo, æternoque ejus Filio interpretatur; versus 3. Is. VI. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth,* quem de pluralitate personarum divinarum explicat R. Jonadan & versus 1. cap. LXI, *Spiritus Domini Dei super me,* quem de Spiritu Sancto inhabitante super Messiam exponit R. Kimchi.

Solvitur Argumentum.

32. Objectio. Oppones. Primum testimonium ex cap. III. Geneseos videtur intelligendum de Angelis, quorum scientiam concupierat Adam; non enim credibile est, serpentem homini Divinam sapientiam fuisse pollicitum, & ad hanc creaturam ratione præditam adspirasse. At alterum ex cap. XI. de Angelis accipiendum, tum Philo affirmat in libro de Confus. linguarum, cum Augustinus in XVI de civit. Dei cap. VI. & in 2. Moralium Magnus Gregorius. Quibus consentiunt, qui tenent in veteri Testamento nunquam Deum apparuisse, quæ est opinio clarissimorum virorum quamplurium. Allata verba Psalmi II. & CIX. sunt Davidis ad Salomonem, quem ei peperit Uriæ uxor. In Psalmo XXXII. *Verbum* significat Patris vocem, & *Spiritus* anhelitum oris, non subsistentes Personas. Trisagium denique Isaiæ maximam Dei significat Sanctitatem. Tribus enim gradibus ad perfectionem pervenitur, positivo, comparativo, superlativo.

33. Solvitur. Resp. breviter, priorem locum non posse Angelis tribui, quoniam præcedunt hæc verba ויאמר יהוה *Et dixit Dominus:* nomine ineffabili ac divinissimo appositio. Illa autem phrasi Deus ironice loquitur, & veluti hominem irridens. Similitudinem vero cum Deo potuit homo concupiscere, quemadmodum & Angelus, peccato superbiæ, non quæ ignorantiam consequeretur, sed debitæ considerationis prætermissionem; ut alibi dicendum est. Fatemur, Deum confusionem linguarum operatum mediis Angelis, eosque plura fecisse, quæ Deo tribuuntur, nempe apparuisse Abraham, dedisse legem, aliaque eximia patrasse; sed illi Divinam majestatem verbis signisque præseferebant. Idque præsertim hoc loco, in quo subditur, *Atque ita divisit eos Dominus,* & *dispersit eos Dominus.* Observavit Drusius, in Chronico templi secundi Senes reddidisse, *Descendam, & confundam,* & hanc attulisse causam, *Ne gentes existimarent Judæis plures esse Deos.* Verba Psalm. II. de nullo alio possunt commodius intelligi, quàm de Christo; quum Messiæ hæreditas gentium fuerit repromissa; & de filio Dei naturali, non adoptivo proferantur aperte. Hunc tamen locum adversus Socinianorum interpretamenta iterum discutiemus; nam Judæos, veteresque Sabellianos nunc perstringere cura est. In CIX. non memorari Salomonem constat, quod neque Salomon sederit à dextris David, neque dici possit genitus ante Luciferum, neque fuerit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Addo & istic efferri nomen Dei tetragrammaton. De versu Psalmi XXXII. hæc luculenter Orat. IV. Catech. beatissimus Gregorius Nyssenus. *Neque enim dictio est Verbum, aut Spiritus anhelitus. Quænam enim tanta virtus proficiscitur à verbis, & ab anhelitu, ut sufficiant ad constituendum cælum, & quæ in eo sunt virtutes? Si enim dictioni Verbum Dei est simile, & Spiritus anhelitui, similis est omnino virtus ex similibus, & quantas nostrum, tantas vires habebit Dei verbum. Atqui operatione sunt carentes, quicunque verbis transeunt spiritus: quo fit, ut non agentes, & non consistentes illos omnino constituant, qui ad nostri*

Verbi

Verbi similitudinem Dei verbum deducunt. Sin autem, ut dicit David, Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum, constat mysterium veritatis, quod dictat esse dicendum Verbum in essentia & Spiritum in hypostasi. Hæc Nyssenus. Quod spectat demum ad Trisagium Esaiæ, ultra fateor, superlativa quandoque fieri sola adjectivorum repetitione, ac præcipue in lingua Sancta, in qua non est diversa graduum in nomine terminatio. Verum, hic latere mysterium, colligitur ex trina repetitione, de qua vide accuratam observationem Ambrosii in lib. 2. de Fide ad Gratianum cap. 4. & ex textus prophetici συνάφεια; nam v. sequenti VIII. ait Dominus: *Quem mittam, & quis ibit Nobis?* Quo plurali numero vides Dominum exercituum sedentem super solium excelsum, ter Sanctum vocari ob puralitatem personarum. Sunt ergo, quidquid scribat Petavius, hæc loca ad retundendam pervicaciam Hebræorum idonea; neque, ut ille arbitratur, ex proprietate linguæ facile excutiuntur.

CAPUT II.

Judæorum ac Sabellianorum solvitur argumentum, & demonstratur, non posse illos accusationibus dogma Christianorum impetere.

SUMMARIUM.

1. Proponitur argumentum Judæorum, ac Sabellianorum.
2. Respondetur ad illud.
3. Hebræi per argumentum convincens adiguntur ad deponendam mentis obdurationem.

1. Objectio Judæorum.

ANTITRINITARIORUM sophismata in suum quæque locum distribui: sed restat vulgare illud, quo pervicaciter Christianam fidem quatere moliuntur, petitum ex iis Scripturarum momentis, in quibus prædicatur Deus unus, excludens plurium consortium. Hujusmodi sunt ea verba Deuteronomii VI. 4. *Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus unus est.* Tum Isaiæ XLIV. 6. *Ego primus, & ego novissimus, & absque me non est Deus.* Et ibidem v. 24. *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.* Capite seq. XLV. 5. *Ego Dominus, & non est amplius: extra me non est Deus. Ego Dominus, & non est alter.* Atque id genus bene multa. Ex quibus ita possunt argutare, Si tres essent in divinitate personæ, non esset Deus unus & singularis: At, Deuteron. VI. dicitur *Deus unus*: Non sunt ergo plures in divinitate personæ. Deinde, ubi plures personæ sunt, idem non potest dici primus & novissimus: Sed, ut inquit Isaias: idem Deus *primus est, ac novissimus*; Ergo non sunt plures in Deo personæ. Præterea soli Deo, quem Patrem appellamus, convenit omnia producere: Atqui, ut idem Isaias testatur: præter Deum, qui omnia condidit, *non est alius*; Ergo non est alius præter Deum Patrem. Possunt & istud urgere argumentum: In veteri testamento Deus appellatur Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Atqui Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob est una tantum persona: non enim potest esse Verbum, seu Filius, ut Christiani credunt; cum in horum Scripturis, scilicet Act. III. scriptum sit, Filium fuisse glorificatum à Deo Abraham, à Deo Isaac, & à Deo Jacob: Est ergo Deus patrum nostrorum longe diversus à Filio, quem Deum esse existimant Christi fideles.

2. Solvitur.

Breviter omnia expediam, quum singula probent tantummodo in Deo singularitatem naturæ, non vero unitatem personæ. Ergo cap. VI. Deuter. Dei prædicatur unitas adversus pluralitatem Deorum, quamquam non caret mysterio trina Divini nominis repetitio, ut animadvertit R. Simeon Ben-Johai libro, qui inscribitur Zohar, & R. Ibba apud Galat. lib. 2. cap. 1. Cui addo in libro Raccanath, in quo de numerorum mysteriis agitur, notasse veteres Cabbalistas nomen יהוה *Deus* ter repetitum una cum numerali אחד, *Unus*, conficere numerum XCI. qui resultat etiam ex voce אמת *Veritas*; unde inferunt Cabbalistice significare Deum non esse summam veritatem, nisi ternarius numerus conjungatur cum unitate. Ex quo testimonio probat Glassius Art. VII. de Allegoriis, vetustos Hebræos à doctrina nostra de SS. Trinitate non fuisse alienos. At Isaias 44. Capite

יהוה LXXVIII.
אחד XIII.
אמת XCI.

Messiæ vaticinatur adventum; qui dicitur *primus*, quoniam secundum divinam naturam ante luciferum est genitus; & *novissimus*, quod secundum humanam natus sit in temporum plenitudine, vel, ut explicat Epiphanius, venturus sit in extremis temporibus judicaturus orbem terrarum. Ad tertium respondendum est unum solum Deum creasse universa, quoniam trium personarum una est omnipotentia, ac divinitas: sed videant quomodo sibi constent, qui supra autumabant etiam Angelos fuisse hominum conditores, & modo nobiscum confitentur unum duntaxat Creatorem. Ad ultimum dicimus, Deum Abraham, Deum Isaac, & Deum Jacob glorificasse Filium suum indutum carne, nostraque circumdatum infirmitate; non autem in ea Divina, ac sempiterna substantia, quam Filius ipse habet cum Patre communem.

3. Roboratur Solutio.

Pro coronide hujus adversus Hebræos disputationis quædam addo, quibus eos possimus adigere ad deponendam mentis obdurationem, illamque altissimo captivandam mysterio. Ac primo percommoda videtur perpetua Scripturarum œconomia, profunda linguæ Sanctæ syntaxis, quam non ad regulas Grammatiæ exactam putandum est, sed ex ea potius grammaticales natas institutiones; cum illa primigenia sit, mundique exorta incunabulis. Addendi sunt veterum Rabbinorum libri Commentarii, & Cabbalistarum observationes: inter quas licet multa occurrant puerilia, sunt tamen, quæ monstrant vetustis Hebræis aliquam fuisse mysteriorum nostrorum notitiam, quod ex dictis abunde arbitror manifestum. Juvat quoque exponere Judæis Theologiam Philonis viri inter suos nominis, doctrinæque fama conspicui. Is enim lib. de Sacrificio Abel & Cain scribit in Deo esse Sermonem opificem mundi, qui neque est ingenitus, quemadmodum Pater, neque est genitus, ut sunt homines; & conjungi, inquit, Deum duabus summis efficaciis inter se distinctis, quarum una est *imperium*, altera *bonitas;* sed neutra mensuris capitur. Tradit similia lib. de Cherubim, & lib. 2. de Agricultura Noe, ut observat in notis ad v. de Veritate Religionis Christianæ cap. XXXI. Hugo Grotius. Quare eo pacto consistunt in una, perfectissimaque Divinitate tres distinctæ personæ, quo juxta Philonem secernuntur invicem, & ab ingenito Patre, Sermo opifex creaturarum, & summa, incommensurabilis Bonitas. Rursus R. Maimonides in libro de Fundamentis, Joseph Albo, & Aben-Hezra ad Cap. XVIII. Geneseos, putant in Deo reipsa distingui id quod cognoscit, quod cognoscitur, & cognitionem; quamquam hi omnes unicam statuunt, individuamque divinitatem. Etiam Cabbalistæ, ut constat ex additamentis ad Lexicon Schindleri, Deum in tria diversa lumina dividebant. Ulterius in Gemara Hierosolimitana tit. de Docum. cap. 3. & in Gemara Babylonica tit. Joma cap. 1. memoratur Spiritus Dei, quem vulgo appellant *Schekina*, & in monte Oliveti diu Judæorum conversionem expectasse fabulantur. Quapropter si per Hebræos minime pugnat in unica divinitate Sermonem ab ingenito patre distingui; si non pugnat cognoscentem à cognitione verboque secerni; si non pugnat singularem Deitatem trino consistere lumine: si non pugnat procedere, & mitti à Deo *Schekina* increatum ad populi sui conversionem, divinumque & omniscium Spiritum Prophetarum: fateantur oportet nec repugnare in Deitatis unitate plures personas. Quæ non ideo dicta sunt, quasi omnia Judæorum commentaria probemus; sed ut videant Hebræi ab ipsis reprehendi quæ castigato à nobis, à se depravato sensu creduntur.

CAPUT III.

Divinarum Personarum Trinitas ex tribus novi testamenti locis contra hæreticos asseritur.

SUMMARIUM.

1. Primum testimonium de existentia Trinitatis ex cap. 3. Matthæi, ex 1. Marci. & 3. Lucæ.
2. Secundum ex Matth. c. 28. v. 19.
3. 4. Solvuntur objectiones quædam Sociniarum
5. Tertium ex cap. 5. v. 7. epistol. 1. Joannis.
6. 7. 8. Probatur, versiculum 7. mox citatum esse genuinum, neutiquam adscititium.
9. Prælaudati textûs auctoritatem à complurtibus Ecclesiæ Patribus agnitam fuisse asseritur.
10. Suppositâ cit. versûs Canonicitate patentem trium D. Personarum distinctionem esse infertur.

à num. 11. usque ad 17. respondetur ad Erasmi, ac Simonii fundamenta.

18. 19. & 20. Satisfit Arianis, & Socinianis.

Ubi

Trinitas probatur ex novo Testamento.

UBI de Verbi, ac Spiritus Sancti divinitate sumus disceptaturi, aliqui huc pertinentes afferentur textus Scripturarum. Producam modo tres solos, in quibus trinæ commemorantur Personæ; ac de tertio, quo res conficitur, agendum est accuratius.

1. Probatio 1. ex Matth. Marco, Luca.

Igitur primum testimonium depromitur ex cap. III. Matthæi, ex I. Marci, & III. Lucæ, ubi recensetur Christi baptismus, in quo tres personæ fuerunt declaratæ, Pater & Filius cœlesti illa ac mirabili voce, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: & Spiritus Sanctus, dum super ipsum Christum *descendit corporali specie sicut columba.* Ad quod elevandum perperam reponunt Sociniani, designari istic personam Filii adoptivi, non naturalis. Nam de proprio Filio agi, indicant ea verba: *Hic est Filius meus dilectus*: quæ de nullo alio dicta leguntur: unde in Sexto de Trinitate, inquit Hilarius: *An non tibi in eo, quod dicitur, Hic est, non hoc significare videtur, alios quidem cognominatos ab eo in filios; sed, Hic Filius meus est? Donavi adoptionis plurimis nomen; sed iste mihi filius est.* Et quibus verbis, quæso, naturalis Filius potuerat melius designari? Addo emphasim, quam præfert in Græco codice inculcatio articuli; nam habetur, ὁ υἱός μου, ὁ ἀγαπητός, *ille filius meus, ille dilectus.* Perperam quoque ajunt per Spiritum Sanctum intelligendam esse gratiæ plenitudinem, qua donatus est Christus. Enimvero quis dixerit, gratiam descendere, & super aliquem manere, quemadmodum de Spiritu Sancto legitur in Evangelip? Atque si Pater ac Filius personæ esse creduntur; quare non Spiritus? Num dicent, descendisse columbam, eamque collatæ gratiæ fuisse signum? At non columbam descendisse, sed Spiritum in specie columbæ Evangelistæ testantur. Legunt Græci πνεῦμα τοῦ Θεοῦ καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν: *Spiritum Dei descendentem, quasi Columbam:* Est autem ὡσεὶ particula, quæ nunquam ponitur pro ea, quam Hebræi appellant *Caph veritatis*, sed aut mensuram, aut similitudinem significat, ad differentiam particulæ ὡς, quæ aliquando est, ut Græci vocant, ὡς ὁριστικὸν *definitiva*, ut Joan. cap. I. 14. δόξαν αὐτοῦ ὡς μονογενοῦς *gloriam quasi unigeniti.* Si ergo non dicitur descendisse Columba; quis, nisi Spiritus Sanctus descendit? Num vero reponunt, virtutem Altissimi descendisse in specie Columbæ, id est non vehementi ac repentino sonitu, sed leni? At Spiritum corporali specie, quæ proculdubio Columbæ erat, descendisse asseritur apertissime. Atque sive leni, blandoque illapsu, sive vehementi descenderit, non inferes inde Spiritum non esse personam. Minus audiendus Schlictingius dicens, si in columbæ specie apparuit Spiritus, eumdem & in linguis igneis fuisse super Apostolis dispertitum. Putidissima sane argutatio; quasi à signorum & imaginum partitione fas sit divisionem concludere personarum, & ab effectuum pluralitate multiplicitatem causarum efficientium; & quasi nequeant esse unius artificis plures statuæ, & unius Principis plures imagines, aut virtus divinitatis unius linquæ symbolo circumscribatur. Sed quid moror Unitarios? Hæc leguntur II. Act. Apost. 3. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis; seditque supra singulos eorum.* Vides divisionem charismatum, & signorum in his verbis: *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ.* Vides Spiritus unitatem in sequentibus, *Seditque supra singulos eorum.* De primo autem testimonio satis.

2. Probatio 2.

Habetur alterum Matth. XXVIII. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* En expressa individuæ Trinitatis confessio. Siquidem τὸ *in nomine* unitatem substantiæ, reliqua verba personarum indicant distinctionem. Quod ut eludant, nullum lapidem non movent Sociniani. Etenim reponunt aliqui conferendum baptisma in nomine Patris, & Christi filii ejus adoptivi, ac virtutis potestatisque divinæ. Quæ responsio frivola est, & cavillosa; tum quod si fatentur Patrem & Filium personas esse distinctas, id pari jure de Spiritu Sancto profiteantur necesse est, qui hoc loco eadem ratione exprimitur, & alibi missus dicitur, descendens, Paraclytus, aliisque characteribus designatur, qui subsistentem personam evidenter demonstrant: tum quod inepta est prorsus, & inusitata istiusmodi phrasis, ac sensus extortus, si dixeris ablui baptizatos in potestate potestatis, aut in virtute virtutis. Alii inquiunt, baptizari in Spiritum Sanctum nil denotare, quàm tingi in fidem, doctrinamque Christianam: horumque interpretatio nixa videtur Græcorum versioni, quæ habet εἰς τὸ ὄνομα, *in nomen.* His ultro lubenterque fatebimur, quod baptizari εἰς τὸ ὄνομα, *in nomen*, sit ablui in fidem, & cum professione fidei Trinitatis; sed hinc nequaquam consequitur & Filium, & Spiritum Sanctum non esse distinctas à Patre personas. Quin

cum

cum baptizari εἰς τὸ ὄνομα *in nomen alicujus*, sit sese ei auctorare ac devovere, necnon in ejus jurare doctrinam; quo sensu de Hebræis, qui Moysi se dederunt, scribit Apost. 1. ad Corinth. x. 2. πάντες εἰς τ^ Μωσῆν ἐβαπίσαντο *omnes in Moysen baptizati sunt*; & idem Apostolus negat quemquam baptizatum in suum nomen eadem Epist. cap. 1. 13. 15. scilicet, neminem sibi mancipatum esse, tanquam novi dogmatis auctori: si, inquam, baptizari εἰς τὸ ὄνομα, est se fide ac professione alteri devovere; ex baptismatis forma recte colligimus, baptizatos fidei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, pari devotione, nulloque discrimine mancipari.

3. Objectio Socinianorum.

At insurgunt Sociniani dicentes posse conferri baptismum, & dirigi fidem in nomen plurium, quamquam unum non sint communione naturæ. Quod probari videtur hisce contextibus. In priori ad Corinth. cap. x. v. 2. legimus: *Et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube, & in mari;* ubi nullus dixerit unam esse Moysis, nubis, marisque naturam. Exodi quoque xiv. 31. habetur: *Et crediderunt Domino, & Moysi servo ejus.* Tum 1. Regum cap. xii. 19. *Et timuit omnis populus nimis Dominum & Samuelem.* Adde commendari animam in sui agone, ut proficiscatur ex ergastulo carnis, *in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti, in nomine Angelorum & Archangelorum, &c.* ut habetur in appendice Breviarii Romani. Quid? Etiam fori consuetudo est, nomine simul Principis, & Magistratus, Judicisque subalterni, promulgari leges, ac proferri sententias.

4. Solutio objectionis.

Verum non sunt hæc Antitrinitariorum commentationes melioris notæ præcedentium. Quippe aliud est baptizari in Moyse, & nube, & mari, aliud baptizari *in nomine &c.* Baptizari in Moyse est Moysi credere tanquam legislatori, ut diximus, & eo præeunte ingredi iter sub nube, & per mare. Baptizari in nomine Moysis, nubis, & maris, esset eamdem auctoritatem, eamdemque fidem tribuere, Moysi, nubi, marique: quod cum ineptum sit, jure Apostolus hanc loquendi formam minime adhibuit. Ac præterea Apostolus ibi accipiendus est, veluti scribat: *Et omnes quasi baptizati sunt:* nempe, præfiguratum fuisse baptismum in Moyse, in nube, & in mari: nam & ait, *omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt; & omnes eumdem potum spiritalem biberunt: bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus.* Omnia scilicet olim in figuris contingebant. Ex quo autem Apostolus affirmet transitum maris rubri, duce Moyse, fuisse typum nostri baptismatis, neque aliud promat; ineptiunt profecto, qui contra formam nostri baptismatis deducunt inde argumentum. Me non latet communiter respondere Theologos, vetare Paulum ne Christiani dicantur baptizati in nomine creaturæ; & ideo, si baptizati sumus in nomine Filii, & Spiritus Sancti, est uterque cum Patre unus Deus; huc enim confugiunt omnes. At callidi Unitarii responderent, neminem baptizatum in nomine Pauli, quoniam is neque fuit institutor baptismi, neque novi dogmatis legisque propagator. Quæ, tametsi ad improbum sensum detorquentur, aliquid tamen continent veritatis. Paulus enim hortatur Corinthios, ut vident schismata, neque dicat unusquisque, Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi; quoniam omnes per baptismum in unius Christi doctrinam fuimus mancipati, hominesque sunt Evangelii ministri, non auctores. Non possumus ergo baptizari in nomine alicujus, qui non sit legislator: quod fatebuntur hæretici. Ego itaque dico, quod baptizari in nomen alicujus, est se illi devovere fide, obsequio, obedientia, doctrina, tanquam primo institutori ac Magistro; idque constat textibus, quibus Antitrinitarii abutuntur. Ex quibus infero tam Patrem, quam Filium, & Spiritum Sanctum esse Evangelii institutores ac Magistros primos, summos, maximos, non unum subministrum alterius; imo unum eumdemque auctorem, & institutorem, ratione potestatis ac divinitatis, ob quam dictum est, *In nomine.* Textus vero ex cap. xiv. Exodi non juvat Socinianos; quoniam asserit Israelitas credidisse Deo tanquam Domino, ac Mosi solummodo tanquam Domini *Servo*: neque ad rem est alter ex primo Regum; quippe possumus & Deum & homines simul timere; at non Deo & homini pariter obstringi, tanquam Sacramentorum Institutoribus, atque auctoribus Gratiæ. In Animarum commendatione τὸ *in nomine* invocationis est nota; & non solum Deum, sed etiam Angelos æquum est invocare: in forma autem baptismatis præter invocationem, τὸ *in nomine* summam, ut diximus, auctoritatem, potestatemque significat. Forensis consuetudo, de qua supra, obtinet, ubi in Principe & Magistratu propter aristocraticam politiam

est

est æquale, aut divisum imperium: nam ubi principatur Monarcha, non recte diceretur, *Imperat Princeps ac Magistratus*, sed *Imperat Magistratus nomine Principis*. Et hæc de secunda auctoritate.

5. Probatio 3. Tertiò occurrit celebris versus 7. cap. v. Epistolæ 1. Joannis: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cælo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* Quo cum per quam maxime urgeantur Unitarii, multiplici via conantur ipsum elevare. Nam aliqui hæc verba assuta & insita, non autographa esse contendunt, quam opinionem tuentur Erasmus quoque, & Richardus Simon, vir alioquin Catholicus, & Criticus haud vulgaris: alii saltem nullius roboris esse arbitrantur, quod eo textu nunquam Patres adversus Sabellianos, Arianosque pugnaverint: alii denique illorum verborum vim credunt penitus enervari, si comparentur cum versu VIII. sequenti, *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt.* Quibus agi de unitate testimonii, non substantiæ ac naturæ, manifestissimum est. Ea propter demonstrandum est versiculum illum genuinum esse, non insititium, laudatum à Patribus, atque ad comprobandum dogma Trinitatis aptissimum.

6. Germanus est v. 7 S. Joan. Propositio I. Germanus est præfatus versiculus VII. non adscititius, aut Catholicorum dolo, aut oscitantia ex margine, Scholiisque in textum intrusus.

Probatio 1. Hanc propositionem sic ostendo. Quamquam in nonnullis Mss. venerandæ antiquitatis versus iste desideretur, invenitur tamen in pluribus: nam Robertus Stephanus ex Codd. XVI vetustissimis undique magna diligentia conquisitis septem duntaxat observavit hoc carere versiculo. Lovanienses ex magno Mss. numero testantur in quinque solis desiderari. Correctorium Bibliorum, quod asservatur in Bibliotheca Sorbonica in paucis deesse testatur. Amelotius fidem facit extare in Vaticano Codice omnium antiquissimo; in melioribus Codicibus reperiri testantur Laurentius Valla, Calvinus, Theodorus Beza. Ipse Erasmus fatetur reperiri in vetustissimo Codice Brittanico; & Simonius non negat extare in Ms. San-Germanensi ante annos octingentos exarato. Grotius Tom. III. Theolog. Op. testatur penes se antiquissimum Ms. haberi, cujus auctoritate ait se plurimum duci, hunc versum exhibens. Laudat Salmeron Tract. VIII. in Evangelicam historiam etiam pervetustos Codices Hispanienses ac Rhodienses, quos scribit lectos etiam, aut notos Erasmo. Ex tanto ergo testium, & Codicum numero, negari non potest, quin textus ille germanus sit, atque autographus.

7. Confirmatur. Præterea quod desideretur in quibusdam Mss. non probat insitum esse & assutum. Quotiescunque enim eadem verba secundo ponuntur, facile evenit, ut Amanuenses intermedia prætereant. Neque enim desunt exempla, quibus talis Scriptorum ptobetur incogitantia: nam Jeremiæ cap, XXX. v. 14. & 15. in pluribus Græcis τῶν LXX. quatuor desiderantur commata, quod repetantur ea verba, *Propter multitudinem iniquitatis tuæ.* Et Josue Cap. XXI. 36. in pluribus hebraicis Codicibus deest τὸ, *Civitates quatuor cum suburbanis suis:* ob horum verborum repetitionem. Quæ non habebant vetusti Codices conscripti tempore R. Kimchi circa annum Christi 1190. neque tempore Paraphrastæ Chaldæi, qui scripsit ante Christi adventum, neque tempore Masoretharum; & tamen habent Codices aliqui antiquissimi, ut testatur Masius, Glassius, & præcitatus quoque Rabbinus.

8. Probatio 2. Ulterius hujus loci germanitas ex Epistolæ contextu, & scopo corroboratur. Ex contextu; nam particula copulativa versus VIII. *Et tres sunt, &c.* & versus 9. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est;* haud obscure demonstrant verborum connexionem, & quod Apostolus de duplici testimonio divino, & humano egerit sigillatim. Quod confirmat Scopus Epistolæ. Scripsit enim Joannes Epistolam illam, ut auctor est Athanasius in Synopsi, & in Comment. Beda, adversus Hæreses Marcionis, Cerinthi, & Ebionitarum, qui Christum ante Mariam non fuisse, quemadmodum & Sociniani differunt, opinabantur. Congruum erat ergo, ut Apostolus duplici testimonio præexistentiam & divinitatem Christi, necnon veritatem Incarnationis firmaret. Ex fide igitur Mss. antiquiorum, ex consuetudine Amanuensium, & ex ipsa Apostolica Epistola demonstratur hujus loci augtoraphia.

9. Germanus est v. 7. S. Joan. ex Patribus Ecclesiæ. Probatio. Propositio II. Prælaudati textus auctoritatem agnoverunt complures Ecclesiæ Patres.

Ut omittam Tertullianum in libro adversus Praxam cap. 25. & Cyprianum lib. de Unit. Ecclesiæ, qui citant quidem hunc locum, ut de S. Cypriano constat ex Fulgentio ad decimam Aria-

norum objectionem, sed tamen non adeo aperte, ut cogantur acquiescere Heterodoxi, cum postrema tantum laudent verba, *Tres unum sunt;* ut, inquam, istos omittam, de quibus vide Bullum, Hammondum, & Veronensem doctissimum Blanchinum in Pseudo Athanasiana Enarrat. certe præfatum textum tanquam Divinum proferunt Eugenius Carthaginensis Episcopus in Professione Fidei, quam nomine Confessorum Mauritaniæ exhibuit Hunnerico Regi Ariano anno 484. laudat quoque Auctor Prologi in Epistolas Canonicas, qui tribuitur Hieronymo: Laudat Epistola 1. ad Orthodoxos Hyginus Papa: laudat Victor Vitensis lib. 3. de Persecutione Vandalica: laudant Vigilius Tapsensis in libro ad Varimadum, qui Tomo VI. Biblioth. PP. inscribitur nomine Idacii Clari antiquioris Vigilio, Innoc. III. cap. *Quadam* extra de Celebrat. Miss. & in Generali Concilio Lateranensi adversus Joachimum Abbatem, Bernardus Serm. 1. & 2. in Octavam Paschæ, & Hesylus, qui contestatur hanc lectionem reperiri in antiquissimo Codice Anglicano, atque in altero Hispanicensi. Quorum testimonia vide partim apud Honoratum Tournely, & Nicolaum L'Herminier, partim apud Bullum, & Blanchinum, partim vero apud Salmeronem citatis locis. Inter hos vero, aliosque, duobus sese dedant Unitarii, & Critici necessum est, scilicet Athanasio Africanæ Ecclesiæ Antistiti, qui floruit longe ante exortam hæresim Pelagianam, & semper adhæsit Italicæ Versioni nondum emendatæ à Hieronymo; & Cassiodoro, qui floruit quidem sexto sæculo, & post emendatam Versionem Italicam, sed utebatur antiquissimis, probatissimisque Codicibus undequaque summa diligentia collectis, ut ipsemet scribit libro divinarum Instit. cap. VIII. Quod animadvertendum est, ne reponant Morosi Sugillatores Cassiodorum Versione jam deturpata fuisse deceptum. Athanasius ergo producit testimonium istud in Expositione Symboli, quam ex penu Bibliothecæ Veronensis Capituli vulgavit præfatus Blanchinus: & Cassiodorus illud affert in libro Complexionum, quas edidit alter Veronensis Urbis vir celeberrimus Scipio Maffei. Quare hi duo ambo Itali, & ejusdem Urbis Patritii videntur tandem controversiæ materiem penitus substulisse.

10. Propositio III. Supposita laudati versus Canonicitate, patens est trium divinarum Personarum distinctio.

Constat, quandoquidem Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus dicuntur tres, & unum, sunt ergo tres personalitate & hypostasi, unum divinitate & natura. Quippe dici nequit quod sint plures, & unum secundum eamdem rationem; neque quod unum sint solo consensu, & unitate testimonii, ut dicam infra. Ex. v. 7. S. Joan. pater distinctio trium D. Personarum.

Respondetur Erasmo ac Simonio.

Opponit autem Erasmus. Sanctus Cyrillus lib. 14. Thesauri cap. penultimo profert contra Arianos versum VIII. *Et tres sunt qui testimonium dant in terra, &c.* Non omisisset autem primum, seu antecedens, si in aliquo vetusto Codice reperisset. Nullam pariter hujus mentionem fecit Augustinus, qui contra Maximinum Arianum omnia argumentorum genera complexus est: neque Beda, cui in observandis antiquis exemplaribus nec diligentia defuit, nec peritia linguarum. Ad hæc: Hieronymus, qui hunc versum intrusit, unde illum exscripsit? Certe ex Græcis exemplaribus: sed hæc aut variabant, aut non: si non variabant, cur prætermiserunt Cyrillus, aliique Patres? Si variabant, quomodo docet Hieronymus utrum sit rectius, utrumve scriptum ab Apostolo? Præterea conqueritur Hieronymus aliquos eum accusare tanquam falsarium, corruptoremque sacrarum Scripturarum. Quis vero eum clamasset falsarium, nisi publicam mutasset lectionem? Rursus additio hujus loci nihil efficit adversus hæreticos; quia cum constet olim codices variasse, nihil hoc telum adversus illos valebit. Præterea Erasmus, qui ex codice Brittanico hunc versum reposuit, ne cui esset ansa illum calumniandi, consuluit postea duos codices miræ vetustatis in Burgensi Bibliotheca D. Donatiani, & neuter habebat. Accepit quoque à Paulo Bombasio deesse in vetusto Codice Vaticano; in quo & auctoritas erat vetustatis, & Pontificis, quoniam ex illius Bibliotheca petitus est. Consentit editio Aldina, quæ eo caret. Hæc sunt, ob quæ Erasmus rediit iterum ad ingenium, postquam in editione Antuerpiensi anno 1531. lectionem Apostolicam restituerat. 11. Objectio 1. Erasmi.

Resp. Cyrillum, Augustinum, & Bedam hunc textum Arianis non objecisse, vel quod ad manus haberent codices qui eo carebant, vel quia cum possent aliunde Arianos confutare, de *authenticitate* 12. Solutio Erasmi objectionis.

tate hujus loci contendere noluerunt. Usi sunt tamen hoc loco alii PP. quamplurimi, quos Prop. 2. memoravi; unde constat versum in omnibus Bibliis extasse, quæ hi Patres habuere præ manibus. Neque Hieronymus publicam mutavit lectionem; quandoquidem versus ille extabat in antiqua Itala, qua ante Hieronymi ætatem utebatur Athanasius Africanus Episcopus, nec non in vetustissimis membranis, unde exornavit Complexiones suas Cassiodorus. Hæc dicimus, dato quod Prologus in Epistolas Canonicas auctorem habeat Hieronymum, quod inter Eruditos non constat. Discerni autem potuit, quænam esset vera & Apostolica lectio ex Codicum Collatione, & numero: pluribus enim, & antiquioribus fides habenda est; præsertim ubi apparet causa erroris Amanuensium, ut istic contingit. Neque omnes Ecclesiæ Hieronymum falsarium, corruptoremque divinarum Scripturarum appellaverunt, ut fecissent, si publicam mutasset lectionem: sed omnes illum veneratæ sunt, & merito suspexerunt. Quod id ausus sit aliquis invidus & obtrectator, famam Hieronymo non minuit, sed auget: neque indicio id est communem mutasse lectionem, sed castigasse privatam. Hac emendata habemus telum efficax contra hæreticos, qui nequeunt reponere nos pro lubitu sacras literas depravasse, cum id factum sit ex Mss. melioris notæ, & ex Patribus. In Burgensibus, quæ citat Erasmus, errorem dicimus irrepsisse, cujus non opus est, ut repetamus originem, aut exempla Erasmo ipsi notissima. Vaticanus Codex, de quo Bombasius Erasmum reddidit certiorem, non est antiquior in Bibliotheca Pontificis; cum alium vetustiorem, in quo extat hic versus, viderit Amelotius; cui addendi sunt, quos 1. Prop. recensui, etiam Brittanicus, qui invitum Erasmum ad Bibliorum suorum restaurationem impulerat. Quod ait non deesse Codici Vaticano Pontificis auctoritatem, quoniam ex illius petitur Bibliotheca, indignum est Erasmi eloquio ac doctrina: non enim thecis, paginisque librorum continetur Romani Pontificis auctoritas; neque ullus ex Successoribus Petri decrevit prædictum Codicem, aut Aldinum, aut Burgensem esse undequaque completum & Apostolicum; quemadmodum de Vulgatæ nostræ lectione tum Papa, cum Tridentina Synodus statuerunt.

13. Objectio 2. Richardi Simonii.

Opp. 2. Cum Richardo Simonio. Tres sunt notæ, quibus dignoscitur hujus fal-

sitas testimonii; quarum prima est, quod desit in septem Mss. Regiis, in v. Bibliothecæ Colbertinæ, in multis Græcis, Latinisque, in Syriacis quoque, Arabicis, & Aethiopicis. Altera, quod in multis Codicibus versus VIII. præmittitur septimo, quod nempe Scholium ex Margine in textum irrepserit. Tertia, quod nullus ante v. sæculum, & Victorem Vitensem ipsius meminit; neque etiam Hieronymus, cui supponitur Prologus in Epistolas Canonicas, & falso illi adscriptus.

14. Solutio objectionis Simonii.

Resp. Has Simonii conjecturas nullius esse momenti. Etenim quantum ad primam; constat versum septimum in pluribus Codicibus inveniri, & cur in aliquibus desit: quæ duo priori propositione sunt demonstrata. Non minus levis est altera; nam cum amanuenses errorem in scribendo adverterent, quæ omiserant reposuerunt: idque fateri debet Simonius, qui parum sibi constans Prima Parte cap. 18. Criticæ novi Testamenti laudat Codicem San-Germanensem ante annos octingentos exaratum, in quo versus septimus legitur non per modum Scholii & in margine; ut etiam in pluribus ex his, quos recensuimus. Levissima quoque est tertia; quandoquidem hunc textum laudarunt Athanasius Africanus, & Hyginus Papa, aliique bene multi ante ætatem Hieronymi.

15. Solutio de Prologo in Epist. Canonicas.

Quod attinet ad Prologum in Epistolas Canonicas, num sit Hieronymi, necne, parum refert; cum alios præter Hieronymum Patres habeamus testes locupletissimos. At Simonius minimis ductus momentis illum Hieronymo adjudicavit, quem doctissimi PP. Benedictini Tom. 1. Divinæ Bibliothecæ dignis Censuris exceperunt. Asseruit Richardus adscribi perperam Hieronymo, quod in pluribus vetustissimis Mss. desideretur. Respondent Benedictini extare in Regiis num. 3561. & 3564. in Colbertinis num. 1. & 158. scriptis, nullo refragante, ante tempora Caroli Calvi, in quatuor quoque Bibliothecæ San-Germanensis, & in Corbejensi antiquissimo. Addunt non nullas præfationes, quas omnes fatentur esse Hieronymi abesse à vetustissimis Mss. in Regio num. 3564. desiderari Præfationem in librum Ezræ, & in tribus Exemplaribus Canonis Hebraicæ Veritatis deesse Præfationem in Psalterium. Deinde ait Simonius suppositium esse hunc Prologum quod extet in quibusdam Ms. absque nomine Auctoris. At Benedictini ex adverso demonstrant alias quo-

quoque Hieronymianas præfationes, vel omnes, vel aliquas sine auctoris nomine reperiri in Codice Ms. Montis Majoris prope Arelatem, in Canone Hebraicæ Veritatis Carcassonensis Ecclesiæ, in Colbertino antiquissimo n. 16. in San-Germanensi num. 164. Tertio opponit Simonius Prologi Auctorem esse Collectorem illum, qui omnes libros novi, ac veteris Testamenti uno volumine complexus est. Et id conatur ostendere ex Præfatione affixa initio Actuum Apostolorum, quæ non est scripta à Hieronymo, sed desumpta ex ejus Prologo Galeato. Verum respondent Monachi in Prologo Galeato de libris novi testamenti altum haberi silentium, ac memoratam Præfationem desumptam esse ex Epistola Hieronymi ad Paulinum: ex qua putant derivasse etiam Prologum breviorem, qui reperitur in pluribus Mss. ante Apostolicas Epistolas. His eximuntur argumentationes Simonii, de quibus laudati Patres, Acta Eruditorum Lipsiæ anni 1693. à pag. 97. ad 110. & in Commentariis de Script. Eccles. Tom. 1. Sæculo IV. in Hieronymo, Cap. XI. Casimirus Oudin Monachus excucullatus.

16. Objectio 2. de Prologo. Verum tamen est quod iidem Monachi gravioribus ducti argumentis censent Prologum, de quo agimus, non esse Hieronymi. Primo, quod in ipso Prologo occurrit nomen Epistolarum Canonicarum, quas alibi S. Doctor appellat Catholicas, non autem Canonicas, uti vocari cœperunt ab ætate Cassiodori, qui hoc nomine utitur VIII. Capite libri divinarum Institutionum. Ulterius quod auctor prologi glorietur rem perutilem se facere Ecclesiis, cum in priorem ordinem ac seriem Apostolicas revocet Epistolas; nam & perpetuo talem ordinem servasse comperitur, neque res videtur tantæ, ut inquit, utilitatis. Tandem ob styli barbariem, & orationem indignam Hieronymo eloquentissimo: apud quem nullibi invenies illud infimæ latinitatis *Quod quia*, ut in hoc Prologo offendes.

17. Solutio objectionis de Prologo. Cæterum neque hæc magnum habent pondus, & respondet ad singula Honoratus Tournely De Trinit. pag. 116. perantiquum esse Canonicarum Scripturarum vocabulum, usurpatum à Synodo Anthiochena, & à IV. Carthaginensi: hanc styli discrepantiam nec Erasmum sagacissimum deprehendisse: Auctorem Prologi non designare, num Epistolarum ordinem inverterint veteres, num sui coætanei. Quibus addo ex Confessione eorumdem Benedictinorum, hunc Prologum præferre nomen Hieronymi in Mss. antiquioribus Corbejensi, Colbertino, San-Germani, & S. Andreæ prope Avenionem. Nolo tamen certum proferre judicium, dum solis agitur conjecturis. Si prologus non sit Hieronymi, cedit in reprehensionem Erasmi; si vero sit, in confutationem Simonii; quum interim uterque peccet: nam Hieronymus in sacris literis versatissimus infidelitatis argui non debet, nec ipse omnium primus versiculum in Apostolicam intrusit Epistolam.

Respondetur Arianis et Socinianis.

18. Objectio 2. Arianorum, & Socinianorum. Opponunt 3. Hæretici: In versu VIII. sequenti: *Et tres sunt qui testimonium dant in terra Spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt;* non subintelligitur ulla substantiæ unitas, nullumque subest arcanum. Ergo neque in versu septimo præcedenti.

Solutio 1. Resp. Plures à Theologis adhiberi responsiones, quarum singulæ argutationem istam eludunt. Dicunt aliqui vetustissimos Codices non habere postrema verba, *Et hi tres unum sunt*: & Grotius diserte tradit addita fuisse ab Arianis; in quam sententiam inducitur ex antiquissimo manuscripto, quod deprehendit cum aliis pluribus concordare. Observant alii haberi in textu Græco ἡ εἰ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν, *Et hi tres in unum sunt*. Animadverti ego legi apud Idacium Clarum, sive Vigilium Tapsensem, in libro contra Varimadum, *Et hi tres in nobis sunt*. His omnibus liquet magnum interesse inter versum VII. & VIII. discrimen. Repetunt alii responsionem ex versu 9. proximo: *Si testimonium hominum accipimus, Testimonium Dei majus est.*

19. Solutio Ego vero, etsi omnes Sententiæ istæ probabiles sunt, & prima præsertim, cum Lovanienses testentur se quindecim pervetustos legisse Codices, in quibus non erat, *Et hi tres unum sunt*: hæc tamen verba genuina esse profiteor. Nolo enim contra hæreticos disputans partem Apostolici testimonii avide arripere, partem timide rejicere. Autographum censeo undequaque, tum quia legitur in Vulgata Latina, quæ cæteris versionibus præstat; tum quia legitur quoque à S. P. Augustino libro II. contra Maximinum cap. 22. Sed operæ pretium est, ut evidenter ostendam, quomodo posteriora verba præcedentium vim non infringant. Primum ergo Spiritus, Sanguis, & Aqua Sacramenta & signa sunt: & quotiescunque de Sacramentis ac

signis

ſignis enunciatur quod unum ſint; id non intelligitur quod ſint una ſubſtantia, ſed quod ſint ſignum unius ſubſtantiæ; veluti ſi dixero, *Petra, & Aqua ſunt unum*, volens ſignificare in Petra Chriſtum, & in Aqua Spiritum Sanctum, non ſequitur petram & aquam unam habere naturam, ſed ſequitur tantum, quod unam naturam habeant Chriſtus & Spiritus Sanctus, quorum ſunt ſigna. Quod vero Spiritus, Aqua, & Sanguis ſint Sacramenta vel ſigna, oſtendit loco nuper laudato S. P. Auguſtinus; ubi docet ſpiritum ſignificare Patrem, de quo Joannes cap. IV. *Spiritus eſt Deus:* Sanguinem ſignificare Filium, de quo Joan. cap. I. *Verbum caro factum eſt*: & Aquam ſignificare Spiritum Sanctum, de quo idem Joannes cap. VII. *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ; hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Cum ergo Spiritus, Aqua, & Sanguis ſint ſigna, dum dicitur quod ſunt unum, demonſtratur duntaxat unitas in ſubſtantia Patris, Filii, & Spiritus Sancti, qui per hæc Sacramenta ſignificantur. Econtra Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus non ſunt ſigna, non ſunt Sacramenta; ideoque dum dicitur quod ſunt unum, ipſorum naturæ unitas demonſtratur. Lege citato loco Auguſtinum.

20. Solutio 3. Deinde hæc propoſitio *Unum ſunt* proferri poteſt & de una ſubſtantia, & de rebus ſpectantibus ad unam ſubſtantiam. Enunciaretur de una ſubſtantia ſi dicerem E. G. *Pater & Deus unum ſunt:* proferretur de rebus ſpectantibus ad eamdem ſubſtantiam, ſi dicerem, *Anima & corpus unum ſunt*, ſcilicet, *unus homo.* Porro Spiritus, Sanguis, & aqua pertinebant ad eamdem ſubſtantiam Chriſti, exierunt enim de corpore ipſius; & conſequenter rectiſſime dictum eſt quod ſunt unum, nempe ſpectant ad eamdem Redemptoris humanitatem. Pater vero, Verbum, & Spiritus Sanctus non ideo dicuntur, *Unum*, quod partes ſint ejusdem ſubſtantiæ, & licet natura diverſi, ad eamdem ſpectent divinitatem; propterea quod divinitas neque partes habet, neque plurium naturarum diſtinctionem. Dicuntur ergo unum priori ſenſu, hoc eſt, unum divinitate ac ſubſtantia. Rurſus ea verba: *Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis*, habentur græce Καὶ τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ, τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ αἷμα. Omnia ſunt generis neutrius, τὸ πνεῦμα, τὸ ὕδωρ, τὸ αἷμα, ideoque dicendum fuiſſet καὶ τρία μαρτύροντα, non vero καὶ τρεῖς μαρτυροῦντες, niſi hæc verba referrentur ad verſum ſeptimum præcedentem ὅτι τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ. Quare Spiritus, Aqua, & Sanguis dicuntur, *tres*, & *unum* hoc tantum ſenſu, quod addant teſtimonium in terra præter illud Divinum, & cæleſte, quod perhibetur à Patre, Filio, ac Spiritu Sancto. Poſtremo aliquid haberet ponderis hæreticorum cavillatio, ſi in 7. & 8. verſu fieret comparatio inter unitatem, in qua conveniunt οἱ μαρτυροῦντες, teſtimonia cæleſtia, atque unitatem, in qua conveniunt Spiritus, Aqua, & Sanguis: at non fit comparatio hæc, ſed inter rem, quam teſtificantur. Cum enim Apoſtolus agat de fide in Chriſtum, quem verum Deum, ac verum hominem eſſe credimus, oſtendit eſſe verum & unicum Deum ex teſtimonio cæleſti, verum & unicum hominem, ex teſtimonio terreno: idque ob hæreſes, quæ tunc graſſabantur circa Chriſti Divinam, humanamque naturam.

CAPUT IV.

Expenduntur hæreticorum objecta ex novo teſtamento petita.

SUMMARIUM.

à num. I. usque ad II. ceu ultimum exploduntur figmenta hæreticorum.

1. Objectiones Hæreticorum ex novo Teſtamento. His itaque, aliisque momentis fides individuæ Trinitatis adſtruitur. Quorum pleraque de Verbi, ac Spiritus Sancti divinitate diſputaturi proferemus in medium: nam in præſentiarum antiquorum Sabellianorum, nec non Crellii, Wolzogenii, aliorumque è grege Socinianorum objecta ſolvenda ſunt, quibus in genere hanc fidem Catholicam quatere moliuntur. Sunt autem iſtiusmodi.

2. Objectio I. Crellii. Opponit I. Crellius. Joannis XVII. 3. Chriſtus ita Patrem alloquitur: *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant Te, ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Solus ergo Pater Deus

est, & aliæ personæ excluduntur à communione divinitatis. Ea quippe est vis adjectivi hujus *Solius*, ut cæteros omnes excludat à participatione rei enuntiatæ, sive, ut inquiunt, *prædicati*: V. G. Si dicas, *Solus Christus est hominum Redemptor*, erit sensus nullum alium Redemptorem hominum esse præter Christum.

3. Solutio. Communis & vera responsio est Patrem dici solum Deum per exclusionem Deorum, quos insana Gentilium superstitio venerabatur, non per exclusionem Filii ac Spiritus Sancti. Observat Petavius lib. de Trinit. III. cap. 1. haberi in Græco τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν, ubi articulus τὸν demonstrat illud μόνον *solum* copulandum esse cum sequentibus ἀληθινὸν θεὸν *Verum Deum*, non cum præcedenti pronomine Σὲ *Te*. Ait distare plurimum has duas propositiones, *Pater solus est Deus*, & *Pater est ille solus Deus*, quemadmodum discrepant hæ, *Socrates solus est Philosophus*, & *Socrates est solum Philosophus*. In quarum prima significatur, Socratem Philosophum esse, & nullum alium præter eum esse Philosophum; in altera, Socratis nullam esse scientiam præter Philosophiam. Norunt hæc pueri, qui non ignorant proprietatem vocabulorum, quam dicunt Dialectici *appellationem*.

4. Solutio clarior. Huic responsioni lucem addam ego clariorem, quamquam forte non eget. Sensus horum verborum, *Hæc est vita æterna, &c.* est, Vita æterna comparatur per practicam fidem in unum Deum, & in Filii ejus Incarnationem. Metonymia est enim, quemadmodum in versu 25. cap. XI. *Ego sum resurrectio, & vita*, & in 12. cap. XI. Epist. ad Rom. *Delictum illorum divitiæ sunt mundi*: id est; Ego resurrectionem, & vitam tribuo, & Gentium multitudo, atque opulentia ex delicto, & incredulitate Judæorum profecta est. Describitur itaque cap. XVII. Joannis modus parandæ æternæ vitæ, qui est ejurata Deorum multitudine, unum Deum confiteri, & Christi doctrinam religionemque sectari. Vide Ignatii Martyris Epistolam ad Magnesianos, ubi de Christo ait, τοῖς ἐξοκείλασιν εἰς πολυθείαν τ ἔναι, ϗ μόνον ἀληθινὸν θεὸν καταγγείλαντα τὸν ἑαυτὲ πατέρα: *Qui ad multitudinem impactis Deorum, unum, & solum verum Deum annunciat Patrem suum.* Confer cum Joanne quæ habet Paulus in priori ad Thessalonicenses cap. I. v. 9. *Ipsi enim de nobis annuntiant, qualem introitum habuerimus ad vos: & quomodo conversi estis ad Deum à simulacris, servire Deo vivo, & vero, & expectare Filium ejus de cælis, &c.* ubi vides Deum verum ac viventem appellari per oppositionem, non ad Filium, sed ad simulacra, & idola; quæ nihil sunt aliud, quàm aurum & argentum, opera manuum hominum.

Opponit 2. Apostolus in Epist. 1. ad Corinth. cap. VIII. *Nobis*, inquit, *unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum. Et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Habet similia ad Ephesios cap. IV. 5. Distinguitur ergo Deus à Domino, & primum nomen soli Patri tribuitur, alterum Filio. 5. Objectio 2.

Resp. 1. Posse contra adversarios verba Apostolica retorqueri; sicut enim Jesus Christus dicitur unus Dominus sine exclusione Patris; ita Pater dicitur unus Deus absque exclusione Filii. Secundo respondendum est, Patrem dici solum Deum ad exclusionem inanium Deorum: quod liquet ex verbis immediate præcedentibus: *Nam etsi sunt qui dicantur Dii, sive in cælo, sive in terra (siquidem sunt Dii multi, & Domini multi) nobis tamen unus, &c.* Quo in loco Deum vocari Patrem per oppositionem ad eos, qui εἰσὶ λεγομένοι οἱ θεοὶ, nomine tantum, non re, supervacaneum est demonstrare. Ac demum Corinthiis nuper ab idolorum cultu conversis Apostolus altissima Fidei arcana ratus est non statim esse exponenda; unde cap. 3. *Tantum parvulis* (inquit) *in Christo lac vobis potum dedi, non escam.* Quamquam & præcitata verba obvium habent sensum Christianæ professioni valde consonum, videlicet, Nobis unus Deus Pater, ex quo omnia, primarium rerum universarum principium, & divinitatis fons, & origo: & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, id est nulli creaturæ subjectus, sed Sapientia Patris, per quem omnia creata sunt, omniaque instaurata. Solutio.

Opponit 3. In prima ad Corinthios cap. XII. 4. & seqq. idem Apostolus ait: *Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus: Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: Et divisiones operationum sunt: idem autem Deus.* Ibi tres designantur, & unus tantum, id est Pater, vocatur Deus. Quibus cohærent cum Apostolicum Symbolum, tum Nicænum & Constantinopolitanum, quæ solum patrem appellant Deum. Objectio 3.

7. Solutio. Resp. Paulum alloqui homines, qui ad Idolorum simulacra proficiscentes dæmonum vaticinia plurimi faciebant. Ait enim v. 2. *Scitis quoniam cum gentes*

tes essetis ad simulacra muta prout ducebamini euntes &c. id est spe discendi futura ad idola agebamini, sive ad Deorum vates, quales erant in Templo Pythio, Amphiarai, & Trophonii. Quærere ergo poterant Corinthii duo: primum, cum aliquando contingat, ut futura prædicant tam à Deo afflati, quam à Dæmone, quomodo possimus inter illos discernere. Alterum, cur non omnes prædicendi futura donarentur scientia. Ergo ut priorem solvat dubitationem versu 3. immediate proximo, inquit: *Ideo notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens dicit anathema Jesu: Et nemo potest dicere, Domine Jesu, nisi in Spiritu Sancto.* Docet his Prophetarum oracula in veteri testamento fuisse divino Spiritu afflante, quoniam à Dei cultu homines non abducebant, & nunc pariter verbum ab his narrari, qui non dicunt Anathema, id est, non execrantur Jesu Christi nomen: ipsiusque Evangelium. Ita perspicue primum dubium resolvit. Ut vero solvat alterum, versu 5. ait: *Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus &c.* id est, non omnibus omnia dantur; sed tamen singula gratiarum dona ex eodem principio ac Spiritu proficiscuntur, & ad eumdem pertinent Dei cultum; quemadmodum diversi Ministrorum ordines ad unius Domini famulatum, omnesque operationes ad unicam supremam causam sunt referendæ. Quamobrem dividuntur fidelibus charismatum dona, sed ordinantur omnia ad unius Ecclesiæ utilitatem, & unius Dei religionem promovendam, quomodo diversa corporis membra, tametsi eumdem actum non habeant, ad unius hominis vitam, & commoditatem: quo exemplo narratis variarum gratiarum officiis eodem loco utitur Apostolus. Atque istam esse germanam hujus loci interpretationem constat legenti.

Do tamen, ne quis obganniat, etiam aliorum interpretationem non malam. Dicunt ergo Theologi & Interpretes, Apostolum nomine Spiritus, Domini, ac Dei, vel unum Spiritum Sanctum designare, vel tres personas. Si primum velis; congruit triplex illa appellatio diversis muneribus ejusdem Spiritus; nam charisma proprie respondet Spiritui, ministratio refertur ad Dominum, & operatio ad Dei spectat omnipotentiam. Si autem velis tres ibidem designari personas, dicunt Dei nomen accipiendum esse οὐσιωδιῶς, *secundum proprietatem* principii ac fontis; quo sensu Pater speciali quadam ratione *Deus* appellatur. Quæ sunt proculdubio verissima; sed, ut arbitror, præcedens responsio propius accedit ad scopum, & sensum Apostoli.

9. Corollarium.

Ex quibus patet quid ad Symbola Fideique formulas sit respondendum. Cum enim hæ primum rudibus & ab idololatria revocatis proponerentur, taliter institutæ sunt, ut expresse inanium Deorum superstitionem eliminarent, simulque Catholicæ religionis continerent arcana. Atque hinc est quod ab eo exordiuntur articulo, *Credo in Deum, &c.* quod, ut scribit Cyrillus Alexandr. lib. de Adorat, in Sp. *Fides Cathecumenorum prima sit, ab opinione multitudinis Deorum removeri.* Sed sublimiori quodam stylo etiam divinitas Filii in Symbolis insinuatur seq. articulo: *Et in Jesum Christum, &c.* quippe, ut scribit Ambros. in Caput 1. ad Galat. *nec minorem Filium significat cum eum Dominum nostrum vocat, nec Patrem majorem quia eum Deum nostrum appellat: quia non erit verus Deus Pater nisi & Dominus sit; neque verus Dominus Filius nisi & Deus sit.* Verum de Filii divinitate suo loco. Consimilia sunt, quæ ex aliis Scripturarum divinarum libris opponunt Sociniani, nimirum ex 1. ad Timoth. 25. ex Epist. ad Romanos III. 30. & XV. 28. ex cap. V. Joannis, 44. ubi unius Dei mentio fit; sed ubique per oppositionem ad Deos Gentium. Quare necesse non est, ut singula proferamus.

10. Objectio Wolzogenii.

Opponit ulterius Joannes Ludovicus Wolzogenius in lib. qui inscribitur Præparatio ad utilem lectionem Sacr. literarum cap. XXIX. Pontificii, id est, Romanæ Communionis Theologi, etsi Trinitatis defensores acerrimi, tamen veritatis evidentia coacti agnoscunt eam ex Sacris literis probari non posse; sed opus esse recurrere ad Traditiones. Sic enim scribit Dionysius Petavius Jesuita doctissimus in Magno Opere suo de Trinitate lib. 1. cap. 1. §. 3. *De tribus Personis divinitatis, earumque una essentia, ante Nicænum Concilium perfecte sciri, & scribi non potuit, quia mysterium istud post certamen cum Arianis demum Catholicis est revelatum, & confirmatum.* Ita scribit quoque Sacroboscus in Defensione Tridentini Concilii pag. 1. cap. 6. Alius Jesuita Petrus Skarga in illa Christi verba, *Baptizate &c.* ait, quod Apostoli dogma Trinitatis initio reticere soliti erant. Et Bellarminus lib. IV. de Verbo Dei cap. 6. §. Jam vero:

vero: *Cum è Scriptura*, inquit, *non convincerentur Ariani, eo quod easdem Scripturas aliter exponerent, quàm Catholici, damnati fuerunt ex sermonibus non scriptis, pie tamen intellectis.* Idem habet Salmeron Comment. in Joan. XVI. 12. Florimundus in sua Historia de ortu, & progressu hæresum, Hosius, Feuardentius, Gordonus, Gretserus, & alii innumeri. Si ergo tam præclari, & summe docti viri fatentur è Sacris literis non evinci Trinitatem per legitimas, & irrefragabiles consequentias; constat, quod in Sacris literis dogma istud nullum verum habet fundamentum.

II. Solutio.

Resp. nego aliquem ex Pontificiis Scriptoribus asserere Trinitatis mysterium non posse ex Sacris literis evidenter probari. Docent quidem præter Scripturas, etiam per Traditionem Trinitatis dogma ad nos fuisse perductum; sed istud ex Scripturis non erui, nullus Romanensium asseruit. Traditio quidem necessaria est, & ad dignoscendum quænam sit vera Scriptura, cum sit Verbum scriptum ex Patrum documentis recipiendum; & ad sensum ejus intelligendum, ubi perobscura est, & eget Judicis vivi declaratione. Hæc docet Petavius cap. 1. de Trinitate; ubi nescio an sint verba citata à Wolzogenio, quæ forsan me legentem fugerunt. Si ea scripsit alicubi, de verbo *Omousion* Petavius est exponendus, quod certum est Nicænam Synodum consecrasse, & de vocabulis Ousiæ, & Hypostasis, de quibus agit. lib. 1. cap. 3. §. 3. At etiam primitus dogma Trinitatis profitebatur Ecclesia, & falsum est Nicænos Patres non pugnasse pro hac fide Scripturis. Audiatur Theodoretus lib. 1. Hist. cap. VIII. *Talis fuit Arianorum corrupta sententia. Ibi animadversa fraude, allegarunt Episcopi ex Scriptura resplendescentiam, fontem, flumen, characterem ad substantiam, & hoc, In lumine tuo videbimus lumen, Et hoc, Ego & Pater unum sumus, &c.* Docet postea quod struentibus Arianis impietatem vocibus illis DE NIHILO, & FUIT, alienis à Scriptura, Patres usi sunt verbo *Consubstantialis* ex priscorum Traditione. Nec aliter docent Sacroboscus, & Salmeron. Quamquam, etsi Patres ex sola Traditione damnassent Arium, esset judicium eorum irrefragabile, cum & Verbum traditum sit ad faciendam fidem aptissimum. Bellarminus autem falso citatur à Wolzogenio; ait enim: *Etsi quædam Scripturæ poterant adferri contra Arianos, tamen quia Arius etiam proferebat Scripturas; ex doctrina non scripta, sed tradita per manus Patrum sibi in Ecclesia succedentium eumdem condemnaverunt.* Non ait, non posse Arianos convinci Scripturis, minime: sed ait, cum multa sint Scripturæ, quæ videntur facere Christum minorem Patre, satius judicarunt Nicæni Antistites Arianos his Scripturis abutentes ex Verbo traditio condemnare. Verum tamen est, Bellarminum testem advocare Theodoretum loco citato, ubi docet Patres adversus Arianos certasse quoque Scripturis, & vocabulum Omousion propter Patrum priscorum auctoritatem consecrasse. Petrus Skarga scrisit Apostolos statim non aperuisse Neophytis Trinitatis arcanum, sed initio Deum unicum prædicasse, ut fecit Paulus Athenis in Areopago. Ex quibus non sequitur, aut non annunciasse Trinitatem, aut hanc ex Scripturis non demonstrari. Hosius, Feuardentius, Gordonus Huntlæus in locis citatis à Wolzogenio inquiunt duntaxat, non omnia scitu necessaria ex sola Scriptura probari, neque Apostolicas rejiciendas esse traditiones: quod nos etiam opportuniori loco docebimus. Non tamen negandum est Scriptoribus istis, præsertim Petavio, aliqua verba nimis dura excidisse; sed & Petavium ex Verbo Dei scripto Trinitatem demonstrare constat legenti librum II. cap. VII. & sequentibus.

CAPUT V.

Traditione Patrum divinarum Personarum numerus comprobatur.

SUMMARIUM.

1. & 2. Afferuntur SS. Patrum testimonia pro D. Personarum Trinitate.
3. Occurritur alicui objectioni.
4. Traditur monitum salutare circa abstinentiam à citandis scriptis vere, non saltem dubiè apocryphis.
5. 6 7. & 8. Recensentur plura ejusmodi Scripta.

PAU-

Numerus D. Personarum ex Traditione Patrum.

PAucis me expediam; nam veteres Patres Trinitatem agnoviſſe videntur fateri recentiores hæretici; qui ut tantum à ſe veritatis præſidium amoveant, ajunt impudenter, nimium Platonicorum placitis Scriptores ſæculorum priorum fuiſſe addictos; atque majori ex parte hæreſi proximos Arianorum. Quod quanta injuria ac falſitate dictum ſit, alter liber monſtrabit.

1. Probatio 1.

Fatentur ergo plures in Deo eſſe perſonas Clemens in Epiſtola ad Corinthios, quam genuinam eſſe conſtat ex Irenæo, Clemente Alexandrino, Origene, Euſebio, & Hieronymo, qui illam citant. Ex qua D. Baſilius cap. 29. de Sp. Sancto producit apertiſſimum illud teſtimonium: *Vivit Deus, & Dominus Jeſus Chriſtus, & Spiritus Sanctus.* Meminit Trinitatis & Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone habito circa annum 140. in quo præter Deum Patrem ſcribit eſſe *Filium, virtutem Dei, ac Deum, non ut ſolis lux vocabulo nominatur, ſed numero alterum.* Athenagoræ, qui floruit circa annum 166. in Apologia hoc eodem anno, ut Pagius obſervat, exhibita M. Aurelio, & Lucio Vero, cap. IX. ſententia eſt: *Chriſtianos concipere etiam Filium Dei, nec eſſe cur quisquam ridiculum putaret Deo eſſe Filium; cum Pater, & Filius unum ſint, ſitque Filius in Patre, & Pater in Filio unitate, & potentia Spiritus.* Irenæus lib. v. adverſus hæreſes cap. 6. ait, *Patrem vere Dominum, & Filium vere Dominum eſſe.* Floruit autem Irenæus circa annum 180. de quo plura apud Maſſuetum differt. 3. art. 5. Lege & libri IV. caput 7. Dionyſius Romanus circa annum 272. martyrio coronatus in celebri contra Sabellianos Epiſtola diſſertiſſime Trinitatem prædicat. Idem præſtat Tertullianus, qui ad Fidem Chriſtianam converſus eſt juxta Pamelium anno 196. Is in libro contra Praxeam tam aperte Trinitatem defendit, ut Joanni Clerico in Hiſt. Eccl. Sæc. 2. Ann. 186. num. 4. videatur tres Divinas admiſiſſe ſubſtantias. Nam cap. 11. ait: *Tres autem non ſtatu, ſed gradu, non ſubſtantia ſed forma, unius autem ſubſtantiæ, & unius ſtatus, & unius poteſtatis; qua unus Deus, ex quo & gradus iſti, & formæ, & ſpecies, in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti deputantur.* Sed de Tertulliani fide alibi. Nam modo ſat eſt vidiſſe in eo Sacroſanctæ Trinitatis Confeſſionem. De Patribus vero tam Græcis, quam Latinis, qui poſt III. floruere ſæculum nulla exoritur dubitatio. Vide, ſi plura peroptas, Baſilium Magnum in Exercit. Monaſt. Cyrillum Hieroſolymitanum Catech. XVI. Gregorium Nazianz. Orat. 13. 29. 32. Epiphanium hæreſi 56. & 62. Joannem Chryſoſt. Hom. 11. in Marcum, Theodoretum quæſt. 20. in Geneſ. Quid ſingulos cenſeo? *Omnes, quos legere potui, qui ante me ſcripſerunt de Trinitate, quæ eſt Deus, divinorum librorum veterum & novorum Catholici Tractatores hoc intenderunt ſecundum Scripturas docere, quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus unius, ejusdemque ſubſtantiæ inſeparabili æqualitate Divinam inſinuent unitatem; ideoque non ſint tres Dii, ſed unus Deus: quamvis Pater Filium genuerit, & ideo Filius non ſit, qui Pater eſt: Filius à Patre ſit genitus & ideo non ſit Pater qui Filius eſt: Spiritusque Sanctus nec Pater ſit, nec Filius, ſed tantum Patris & Filii Spiritus, Patri & Filio etiam ipſe coæqualis, & ad Trinitatis pertinens unitatem.* S. P. Aug. lib. 1. de Trinit. Cap. IV.

2. Probatio 2.

Hujus perpetuæ Traditionis teſtes hamus locupletiſſimos Patres omnes Concilii Nicæni celebrati anno 325. Conſtantinopolitani an. 553. Toletani 1. anno 400. Arelatenſis 4. an. 830. Lateranenſis an. 1215. Tridentini an. 1545. &c. Romanos quoque Pontifices, ac præſertim Dionyſium apud Athanaſium in Epiſt. de Synodo Nicæna, Hormisdam Epiſt. 76. ad Juſtinum, Gregorium Magnum in Symb. Agathonem in Epiſt. ad Conſtantinum, Heraclium, & Tiberium Auguſtos, Leonem IX. ad Epiſcopum Antiochenum, Innoc. III. lib. 4. de Myſt. Myſſæ cap. 11. &c. Imperatores etiam invictiſſimos atque Auguſtiſſimos, Juſtinianum in Conf. Fidei, Baſilium Macedonem in Exhortatione ad Leonem Filium ſuum, Leonem Philoſophum in Epiſt ad Regem Omarum, Carolum Magnum ad Toletanum Epiſcopum Elipandum, &c. Theologos denique, & Catholicos univerſos.

3. Inſtantia cum ejus ſolutione.

Neque eſt quod adverſus hanc perpetuam Eccleſiæ traditionem dicas, Gentiles nunquam Catholicis objeciſſe pluralitatem Deorum, aut abſurda, quæ ex hoc Fidei myſterio conſequi videntur. Enimvero neque omnes Gentilium libros extare credendum eſt, neque primos Catholicos fidei capita, cujusmodi eſt Trinitas, Incarnatio, Euchariſtia, irriſoribus Ethnicis revelaſſe. Quamquam hi Chriſtianos redarguebant, quod Chriſtum tanquam Dei filium haberent; ut liquet ex prima S. Juſtini Apologia: imo revera Praxeas & Celſus

sus data opera conabantur ostendere, à Catholicis pluralitatem teneri Deorum; quos Tertullianus, & Origenes confutarunt. At lege Jueninum in Comment. de Sacramentis pag. 286.

4. Cautella. Quoniam vero plurimi, ut faciant nubem testium ampliorem supposititia Veterum scripta pro Sanctæ Triados fide commendant, & hæretici homines imperitiam nostram ridere solent; monitos juniores vellem, ut à citandis apocryphis dubiisque sedulo abstineant, nec morem gerant simplicioribus Scholasticis: quorum aliqui probare nituntur Trinitatem ex lib. VI. cap. II. & lib. VIII. cap. 15. Constitutionum Apostolicarum, quæ sub Clementis Romani nomine circumferuntur. At has suppositas censent complures Critici. Tribuunt enim (inquiunt) Apostolis, quæ profecto inferioribus evenerunt temporibus, ordinationes Diaconissarum, permultasque liturgias prorsus ignotas Apostolorum ætati. Scatent quoque pluribus absurdis, & anacronismis, quum doceant mulierum, non virorum barbam esse tondendam, quartas nuptias manifestam esse libidinem, septem Diaconos positos ante Paulum ab ipso benedicendos; cum Paulus ante Stephani mortem, & Diaconorum institutionem, imo ante annum Christianæ Aeræ XXXI. blasphemus fuerit & persecutor. Quare hi libri, plurimorum sententia, vel sunt Clementi abjudicandi, aut certe enormiter ab hæreticis depravati.

5. Probatio 3. Afferunt quoque nonnulli Dionysii Areopagitæ textus apertissimos ex cap. I. de Divinis Nominibus, & de Mystica Theologia cap. 3. Quos libros esse Areopagitæ multi quidem defendunt, & Sacra Parisiensis Facultas an. 1527. Erasmum negantem censoria virga notavit. Quidquid sit, certe non desunt, qui hac præsertim ætate judicent illos apocryphos. Habent vero & suæ opinionis argumenta, ut quod inscribantur Timotheo, & tamen Ignatii Martyris laudent Epistolam; cum Ignatius scripserit Timotheo jam vita functo. Tum quod Auctor scribat se interfuisse morti Deiparæ assumptæ, ut traditur, anno post Filii ascensionem quintodecimo, & longe ante conversionem Dionysii, qui Christo nomen dedit anno tantum decimo septimo, quo Paulus Athenas appulit. Addunt citari in his libris Ignatii Epistolam ad Romanos conscriptam post Dionysii Martyrium; nam Ignatius passus est Imperante Trajano anno CXVI. A. D. XX. Decembris, & Dionysius sub Domitiano anno XCVI. ministrorum conspiratione trucidato. His ergo dubiis incertisque fides niti non debet Catholica: quamquam, ut dixi, sunt, qui libros Dionysii genuinos esse defendunt, eumque martyrio coronatum sub Adriano: inter quos Natalis Alexander Dissert. XXII. Sæculi I. & Annatus lib. IV. art. VIII. sed negant Launojus, Morinus, Dupinius, aliique quamplurimi.

6. Probatio 4. Citat quoque in Thesauro Jodocus Coccius Epistolam Prochori, sive Historiam S. Joannis, quam fabulosam & apocrypham, & indignam quæ nomen præferat unius ex septem primis Diaconis censent Baronius, Bellarminus, Natalis Alex. Dupin, & quotquot de Ecclesiasticis Scriptoribus accurate pertractarunt. Et quidem liber fabulis nugisque refertus est, præsertim ubi narrat Sanctum Joannem coram Apostolis procidisse, ne proficisceretur in Asiam; & in insula Pathmos non Apocalypsin, sed Evangelium scripsisse. Observarunt præterea docti viri stylum sapere posteriorem ætatem; cum in explicanda Trinitate adhibeat vocabula post exortas Sabellianam, atque Arianam hæresim usurpata. Fabulam quoque putant, quod II. cap. narratur, fideles Joanni statim, ac ex dolio ferventis olei exivit illæsus, Templum ante portam Latinam ædificasse, quod neque Apostoli permisisset humilitas, neque superstitiosa Romani Senatus, populique religio.

7. Probatio 5. Accedit Hermæ, seu Pastoris liber scriptus circa annum LXIX. in quo expresse traditur divinitas Filii; appellatur namque Deus antiquior omni creatura, & Divinum Consilium ad conditionem, & productionem universorum. Extant ibi etiam Spiritus Sancti apertissimæ notæ divinitatis. Nonnulli hunc librum *Scripturæ* nomine cohonestarunt, ut Irenæus lib. IV. cap. 3. Origenes hom. I. in Ps. 37. & pluribus aliis in locis. Athanasius vero lib. de Decretis Nicænæ Synodi ait in Canone Scripturarum Sanctarum desiderari. Rejiciunt tamen Eusebius lib. 3. cap. 25. Rufinus in Symbolo, Prosper cap. 30. contra Collatorem, Gelasius Papa in Decreto de Scripturis Canonicis, Tridentina Synodus, & universalis Ecclesia. Licet tamen non sit in Canone receptus, fatentur omnes esse librum optimæ notæ, & quamlibet demum subierit sortem, stylo simplicissimum Ecclesiæ perutilem, & sæculorum omnium approbatione celeberrimum. Videantur testimonia à Cotelerio hujus Operis editioni præmissa. Is ergo liber poterit tanquam specimen antiquæ

quæ doctrinæ, non tanquam Divinus, & Canonicus commendari. Sed quoniam sunt, qui hujus libri Visiones, quæ præcipuam occupant partem, putant pias fraudes à prudentioribus spernendas; & perierunt insuper Græca exemplaria, si excipias fragmenta quædam è Veteribus collecta; nescio quo loco Hermam habituri sint Unitarii.

8. Confirmatio ulterior.

Hi sunt ergo antiqui Patres, quorum auctoritatem plures pro Fide Trinitatis producunt. Quibus connumerandus venit Sanctus Zeno Episcopus Veronensis. Huic plures attribuuntur Conciones editæ à Guarino an. 1508. & postea Bibliothecæ Patrum insertæ. Non sunt tamen genuinus Zenonis fœtus; primo, quoniam is martyrium passus est sub Gallieni imperio, sive, ut aliquibus placet, sub Juliano Apostata, & nihilominus Concione v. perstringit data opera hæresim Arianam longa post tempora exortam, si tamen sub Gallieno occubuit, ut sententia fert probalior. Deinde in Concione de Continentia enumerat plusquam quadringentos annos, ex quo Paulus suam ad Romanos dedit Epistolam; & consequenter quinto tantum Ecclesiæ sæculo floruit harum Concionum Collector. Denique observatum est à viris doctis Conciones istas ex variis depromptas esse Auctoribus: nam quatuor integræ sunt Basilii, plures Hilarii, nonnullæ desumptæ absque delectu ex Græcis, Latinisque Scriptoribus. Quapropter non sunt beati Zenonis scripta pro certissimo antiquitatis monumento proferenda. Sunt ergo Theologis, dum à Traditione petunt argumenta, Opera supposita & spuria à legitimis secernenda: & ubi lapsi sunt Scholastici, ne horum lectione decipiantur Tyrones, jure illos commonefacio. Quamquam etiam apocryphi libri, si tamen antiqui sint, nec interpolati probentur, produci possunt ad demonstrandam Traditionem, quæ vigebat in Ecclesia eo tempore, quo fuerunt conscripti, non ita tamen, ut à Patribus, quorum nomen præseferunt, accipere videantur auctoritatem.

CAPUT VI.

Denegandum non esse Trinitatis Mysterium, quod illud humana ratio capere nequeat; nec dogma Catholicorum seipsum evertere.

SUMMARIUM.

1. Argumentum hæreticorum.
2. Solutio eiusdem.

à n. 3. uspue ad n. 27. proponitur altercatio Sociniani, & Catholici, ubi ultimus per contrariorum solutionem plenam obtinet victoriam.

1. Objectiones Hæreticorum circa Trinitatis Mysterium.

Objectio 1. humana ratio illud capere non potest.

Jam nos hæretici ad humanam provocant philosophiam. Opponunt primo credendum non esse quidquid in animo parit dubitationem, nec ullum esse tam sublime mysterium, ut ab ejus scrutatione ac probatione sit abhorrendum. Quod inferunt primo ex Apostolo 1. ad Thessalonic. v. 21. ubi monet ut probemus omnia, & quod bonum est retineamus. Ad hæc, inquiunt modum indagandi veritatem dogmatis alicujus esse solam Scripturam, ad quam, velut ad Lydium lapidem religionis exigendæ sunt controversiæ: neque ad Christianam fidem pertinere, quidquid humana ratione non constat in Sacro textu aut expressis literis contineri, aut hinc deduci per legitimam consequentiam. Addunt hanc vocem *Mysterii* inani terriculamento rude & inconditum vulgus absterrere ne persequatur veritatem. De unaquaque re, quæ cadit sub examen, duo quæri, An sit, & Quomodo sit; & res esse innumeras, de quibus sciri potest, & reipsa constat vere existere, licet quomodo sint humanam fugiat scientiam. Has duas quæstiones, perinde ac in aliis rebus, in dogmate occurrere Trinitatis. Mysterium, inquiunt, est quando ignoratur: sed non est ulla ratione prohibendum, ne inquiratur, an sit? Hæc quæstio est solidis & irrefragabilibus argumentis resolvenda, & objectiones justis & idoneis rationibus sunt refellendæ, ut quisque erudiatur in fide; neque Religionis capita simpliciter, & absque probatione debent obtrudi. Si ergo ratione non constat esse Trinitatem, non est credenda.

2. Solutio.

Resp. non esse quidem cæco modo credendum quidquid nobis proponitur; esse tamen, ubi constat de vetitate revelationis, sive in sacris expressæ literis, sive per manus traditæ, rationem fidei subjiciendam: neque temere scru-

tandas rerum divinarum causas, quæ mentis nostræ conatum superexcedunt. Quod monet Apostolus in 2. ad Corinth. x. 5. dum hortatur, ut simus *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Salubriter vero idem Apostolus præcipit, ut omnia probantes teneamus quod bonum, & verum est, scilicet, ne credamus cuique spiritui, atque ne iis assentiamur, qui se Prophetas dictitant, docentes falsas doctrinas: ut etiam ait in 1. Epist. cap. 4. Joannes, scribens: *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint: quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum.* Demus quæso, solam Scripturam esse Lydium lapidem, normamque unicam pro controversiis fidei dirimendis, (quod constantissime falsum esse contendimus); quare nos Sociniani philosophicis argumentis aggrediuntur? quare Fidei capita denegant, quod videantur humanam superare rationem? Teneamus hanc regulam; & Scripturis Deum unicum annuntiantibus, & Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum prædicantibus captivetur infirmæ mentis obsequium. Nam quod verbis literarum Sanctarum inextricabiles nectantur cavillationes, facit ingenioli nostri audacia. Aut Scripturam insinuare manifesto Trinitatem putandum est, aut subobscuris vocabulis. Si manifesto, quid certamus syllogismis? si obscuritate aliqua terminorum, cur mysteria volumus ratione comprehendere? At hoc Trinitatis arcanum clarissime in novo præsertim Testamento revelatum, firmissima confessione conclamamus. Quod si proponeretur obscurius, hic æque ac in aliis, non ad humanæ rationis recurrendum esset judicium, sed ad magistram veritatis Ecclesiam: alias si humanè pensitanda sunt omnia, neque erit Divina revelatio prima ratio credendi, neque Fides, quæ vincit mundum, Græcorum sublimior philosophia. Interim quomodo hæretici indagandi veritatem modum teneant, videant ipsi. Duo illa quæstionum genera, an sit, & quomodo sit res aliqua, & nos distinguimus: sed quando de prima certi sumus, negamus ratione esse alteram investigandam. Si enim de rebus ante oculos positis sæpenumero nequimus reddere causam, & in explicanda E. G. motus & extensionis natura tantæ occurrunt difficultates; quantæ insurgant necesse est Divina rimantibus? Dicant Unitarii, qui Deum in remotissima, cæli parte putant abscondi, & fatentur omniscium, quomodo de tam loginquo intimas scrutetur cogitationes? Exponant quomodo animal ab animali generetur, & ingens è minutissimo semine crescat arbor? Narrent nobis conceptionis Virginis arcanum, resurrectionis modum, mundi productionem ex nihilo. Si hæc omnia se nescire scribunt Sociniani in altero Tomo Wolzogenii pag. 310. quare ergo ea credunt, si moni in altero Tomo Wolzogenii pag. 310. quare ergo ea credunt, si modum ignorant? Credimus, inquiunt, quia certi sumus de priori quæstione, etiamsi non capiatur secunda. Et nos credimus Trinitatem, quoniam certi sumus existere, quæ est prima quæstio; tametsi non percipiamus quomodo consistat unitas substantiæ cum pluralitate personæ, quæ est quæstio altera. At inquit hæreticus, non est ergo Trinitas mysterium, nisi eo pacto, quo mysteria sunt res innumerabiles quæ sunt in mundo, quarum novimus existentiam, sed modum nescimus? Etiam, mi Sophista; nam harum rerum existentiam scimus naturaliter vel sensu, vel discursu; sed existere in divinitate tres personas nequaquam naturaliter notum est; sed supernaturali revelatione. Atque in hoc sita est natura mysterii, quod nec etiam priorem quæstionem, An sit, quisquam sciret, nisi Deus revelasset. Potius, inquis, culpandi erunt defensores Trinitatis, qui non modo docent Deum unum, & Trinum esse, verum etiam modum, quo id fiat, in specie determinant, nimirum Patrem generare & concipere Filium contemplando seipsum, & ab utriusque voluntate æternam manare Spiritus Sancti processionem. Verum neque omnes Theologi id statuunt ac definiunt, quibus & nos consentimus: & si plurimi discrimen illud probant generationis, & processionis, ducuntur argumentis, quæ suppeditare videtur ratio imaginis, & amoris, quam in Deo reperiri non decernunt ipsi audacter, sed à Deo revelante acceperunt. Quid ergo? credimus absque ratione? Minime; quoniam ratio ipsa suadet, Divina esse intellectu nostro sublimiora, & non Fidem rationi, sed rationem Fidei esse accomodandam. Attamen, cum ea, quæ evertunt sese, falsa sint; nec possint consequenter à Deo revelari; videamus oportet quomodo probent Adversarii Trinitatem esse philosophiæ ac rationi contrariam: siquidem rationem omnem naturalem excedere ultro concedimus.

ALTER-

ALTERCATIO SOCINIANI, ET CATHOLICI.

3. Altercatio Sociniani Dogma Trinitatis seipsum evertere.

SOCINIANUS. Dogma Trinitatis seipsum evertit, quia ex eo sequitur unum tantum esse Deum, & simul quoque tres Deos esse. Unum tantum Deum esse, ore palam Catholici profitentur, tres autem Deos esse fateri nolunt, sed vis tamen hæc inest verbis eorum, cum dicunt tres esse distinctas Personas, quarum quælibet sit Deus. *Filius est Deus. Nimirum Pater est Deus, Spiritus Sanctus est Deus. Ergo tres sunt distincti Dii. Quod facile intelligitur ab unoquoque, qui modo tria numerare non dedidicit. Cum enim Trinitarii, quando volunt probare in Deo esse tres distinctas personas, ita argumentari soleant, Pater est persona Divina, Filius est Persona Divina, Spiritus Sanctus est Persona Divina, Ergo tres sunt personæ Divinæ, quia scilicet tres numerantur; utique pari jure concludere licebit: Pater est Deus summus, Filius est Deus summus, Spiritus Sanctus est Deus summus; Ergo tres sunt Dii summi. Si urgeremus exempla à rebus creatis petita: Petrus est homo, Paulus est homo, Joannes est homo, Ergo tres sunt homines: Vel, Michael est Angelus, Gabriel est Angelus, Raphael est Angelus; Ergo tres sunt Angeli, si, inquam, hæc urgeremus exempla, exclamarent Adversarii, aliter se rem haberi in creaturis, aliter in Deo. At nunc cum divinarum personarum exemplo utimur, quid sunt dicturi?

4. Solutio Catholici.

CATHOLICUS. Non consequitur tres esse summos Deos ex quo singulæ tres Personæ Deus sint, cum unam habeant, eamdemque naturam. Quod ut percipias lumine Scripturarum Sanctarum, Deus spectari potest dupliciter, quantum ad Essentiam, nempe summam perfectissimamque naturam, & quantum ad substantiæ modum, in quo ratio personæ consistit. Ergo dum dicis, *Deus est Pater*, intelligis Deum habere excellentissimam illam substantiam cum modo subsistendi sibi proprio, quem appellamus Paternitatem. Et cum repetis *Deus est Filius*, dicis Filium habere illam eamdem substantiam cum sua hypostasi, quam vocamus Filiationem. Idem de Spiritu Sancto dicendum est. Sophisma igitur præfatum sic solvitur. Pater est Deus, id est habet Divinam substantiam cum personalitate Filii, Spiritus Sanctus est Deus, id est habet eamdem Divinam substantiam cum personalitate Spiritus Sancti. Ergo triplex est in eadem Divina substantia Personalitas: quæ illatio & vera est, & legitima. Neque valet paritas de trina personalitate; quandoquidem alterum Sophisma pari ratione exponendum est: Pater est Persona, id est Divina substantia non accepta indefinite, sed cum modo existendi, qui est *Paternitas*, Filius est persona, id est Divina substantia, non accepta indefinite, sed cum modo existendi, qui est *Filiatio*, Spiritus Sanctus est persona, id est Divina substantia non accepta indefinite, sed cum modo existendi, qui est *Spiratio passiva:* Ergo sunt tres modi existendi in una eademque substantia. Quæ pariter consequentia vera est & Catholica. Ex quibus sequitur falsum esse eadem ratione numerari Deum in priori syllogismo, & numerari Personam in altero; quoniam Deus numerari non potest ratione naturæ, quæ una est, sed ratione duntaxat modi existendi, qui triplex est. Provenit id ex conditione naturæ, ac personæ: quippe natura, quæ dicitur absolute, dividitur tantummodo propter limitationem ac finitatem, ideoque natura infinita dividi nequit, aut numerari. At persona dividitur & numeratur propter relationem ad aliam, quam necessario connotat. Enimvero numerus & distinctio sive ex limitatione, sive ex ordine ad aliud, necesse est oriatur. Quare natura infinita numerari non potest, etiamsi numerari possint Personæ. Neque urget paritas ex numero Angelorum, vel hominum; quum in his multiplicetur natura ob priorem causam distinctionis, videlicet propter limitationem. Si enim natura humana, vel Angelica foret infinita, Petrus, Paulus, Joannes non essent tres homines, sed unus homo; & Michael, Gabriel, Raphael non essent tres Angeli, sed unus Angelus.

5. Objectio Sociniani

SOCIN. Quod dogma Trinitatis seipsum perimat, est, quia ex eo sequitur unam Personam esse aliam, nempe Patrem esse Filium, & Spiritum Sanctum, & rursus Filium esse Patrem & Spiritum Sanctum; denique Spiritum Sanctum esse Patrem & Filium. Ita enim argumentari licet: Deus ille unus est Pater, Filius est Deus ille unus: Ergo Filius est Pater. Major propositio extat in Scriptura. Assumptio est Adversariorium sententiæ consentanea, Conclusionem ergo negare non possunt. Similiter etiam de Spiritu Sancto concludi potest: Unus ille Deus est Pater, Spiritus Sanctus est ille unus Deus, Ergo Spiritus Sanctus est Pater. item: Unus ille Deus est Filius, Spiritus Sanctus est

unus ille Deus. Ergo Spiritus Sanctus est Filius. Atque hæ collectiones aliter solvi nequeunt, nisi dicatur alium Deum esse Patrem, alium Filium, alium Spiritum Sanctum, adeoque tres distinctos Deos esse.

6. Solutio Catholici.

CATH. Dicimus primo consecutiones illas si spectentur regulæ syllogismorum, quas Adversarii tanto rigore servare conantur, falsas esse, & collectiones horum argumentorum peccare, ut inquiunt, in forma. Quotiescunque enim præmissæ particulares sunt, ut in adductis syllogismis, argumentatio vitiosa est, & nihil concluditur, veluti si dicas, Petrus est homo, Paulus est homo, Ergo Petrus est Paulus. Secundo respondeo ut supra, Deus ille unus est Pater, si τὸ *Deus* accipiatur pro summa perfectissimaque natura, ut à Paternitate contrahitur ad unum modum existendi, concedo: si sumatur quatenus complectitur omnes existentiæ suæ modos, nego. Hoc enim sensu Pater non est ille unus Deus, nisi simul comprehendantur Filius, & Spiritus Sanctus: sed ex adverso argumentari fas est: Deus ille unus est Pater, prout Deus est Divina substantia existens in supposito Patris, Filius non est Deus ille unus, prout Deus est Divina substantia existens supposito Patris, Ergo Filius non est Pater. Atque idem de reliquis dicendum est. Igitur ut collectiones prædictæ solvantur, sat est quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus in eadem simplicissima divinitate diversam habeant subsistendi rationem.

7. Obectio 3. Sociniani.

SOCIN. Sequitur ex hac de Trinitate sententia, neque Patrem, neque Filium, neque Spiritum Sanctum esse unum illum verum Deum. Sic enim potest concludi: Unus ille verus Deus est Pater: Filius non est Pater, Ergo Filius non est Deus ille unus. Item: Unus ille verus Deus est Filius, Pater non est Filius. Ergo Pater non est ille verus Deus. Priorem conclusionem Trinitarii non admittent: posteriorem nullius Christiani hominis aures ferent.

8. Solutio Catholici.

CATH. Eodem modo distinguo majorem: Unus ille verus Deus est Pater, quatenus Dei nomen importat Divinam substantiam, & unum duntaxat modum existendi, concedo: prout Dei nomen cum naturam, tum modum omnem, quo subsistit, complectitur, nego. Et dico probari tantum argumentatione præcedenti, Filium non esse illum summum Deum, prout concipitur divinitas unica hypostasi terminata. Ita enim valet ratiocinatio: Unus ille verus Deus est Pater, in quantum cum Deitate intelligitur relatio ad Filium, sine qua non est Pater: Filius ab ipso Patre distinguitur à Deitate, quatenus hæc solummodo accipitur, prout refertur ad Filium. At Deitas sumpta duntaxat prout refertur ad Filium, non est natura, sed persona, quoniam sola persona dicitur relative: Ergo Filius distinguitur à Persona Divina Patris, non à substantia, & natura divinitatis.

9. Objectio 4. Sociniani.

SOCIN. Ex dogmate Trinitatis sequitur quamlibet personam esse Trinam in personis. Ita enim argumentabor: Deus ille unus est Trinus in Personis Quælibet persona divina est Deus ille unus. Ergo quælibet persona divina est trina in personis. Hanc conclusionem ipsi Trinitarii falsam esse agnoscunt; necesse igitur est vel majorem, vel minorem propositionem falsam esse.

10. Solutio Catholici.

CATH. Nego sequelam. Et ad probationem dist. majorem, ut supra: Deus ille unus est Trinus in personis, si Deus ille unus accipiatur adæquate, & prout omnem existendi modum complectitur, sive tam secundum id, quod dicit absolute quam secundum id, quod dicit connotative, concedo. Deus ille unus est Trinus in personis, si sumatur inadæquate, & prout divinitas ad unum subsistendi modum determinata est; seu secundum id, quod dicit absolute, at non secundum omne id quod importat connotative, nego majorem propositionem.

11. Objectio 5. Sociniani.

SOCIN. Quæ sunt eadem realiter uni alicui rei, etiam inter se realiter sunt eadem. Atqui tres illæ personæ divinæ realiter inter se distinctæ realiter sunt idem uni cuipiam rei, nempe essentiæ divinæ. Ergo personæ illæ tres realiter inter se distinctæ, inter se realiter sunt eædem. Conclusio est falsissima, & sibi manifeste contradicit. Itaque oportet præmissarum aliquam falsam esse. At prima præmissarum, seu major propositio in dubium vocari non potest, quia omnibus noto nititur principio: *Quæ sunt eadem uni tertio, inter se sunt eadem.* Hinc ipsi Trinitarii hoc principio alibi utuntur, cum probari solent, attributa Divina non distingui realiter inter se, sed esse eadem, quia cum uno tertio, nempe cum Divina essentia sunt eadem. Quare necesse est alteram præmissarum, seu minorem propositionem, quæ sententiam Trinitariorum continet, falsam esse.

12. Solutio Catholici.

CATH. Nego majorem; ad probationem

nem dico prædictum axioma (licet applicari non debeat rebus divinis, quemadmodum, nec aliud, *Ex nihilo nihil fit*,) nihil posse juvare Socinianos. Primo quia valet quidem in iis, quæ convertuntur ad invicem, at non in iis, quæ important oppositionem vel relationem. Nam rationale & irrationale idem sunt cum animali, quum gradus, quos dicunt Metaphysicos, sola distinguantur ratione, & tamen rationale & irrationale, eo quod sunt differentiæ oppositæ ejusdem generis, realiter inter se distinguuntur. Cum ergo Divinæ personæ importent vicissim oppositionem, & relationem, quamquam idem sunt cum essentia, non poterunt idem esse inter se. Deinde quotiescunque plura sunt idem secundum essentiam, sed necessario aliquem connotant terminum, non sequitur: Hi termini idem sunt cum essentia, Ergo idem sunt inter se. Etenim actio & passio sunt idem realiter cum motu, & spectata sola motus essentia sunt idem inter se: sed quoniam actio connotat agentem, & passio passum; si actio & passio non essentialiter accipiantur, sed ratione terminorum quos connotant, debent inter se realem dicere distinctionem. Similiter Paternitas & Filiatio sunt idem cum essentia, & quatenus accipiuntur substantialiter, sunt idem inter se: at cum Paternitas, & Filiatio dicantur ad aliud, & connotent terminum diversum, sumptæ personaliter, connotative & relative, realiter distinguentur, salvo quoque axiomate philosophico, quod tamen non cogimur in divinis admittere. Nec ratio est eadem de attributis, quæ sunt eadem inter se, propterea quod cum sint absoluta, non possunt aliqua opposita relatione distingui. Solent autem respondere Theologi dist. ma. Quæ sunt eadem realiter uni alicui incommunicabili, sunt eadem inter se, conc. quæ sunt eadem uni alicui communicabili, nego. Hæc responsio communis est; sed cum remaneat difficultas, quomodo fieri possit, ut tertium aliquod cummunicetur pluribus, nec tamen hæc plura communicentur sibi invicem; & quærantur Sociniani nos petere ubique principium, etiamsi falsum sit; responsionem primam teneto.

13. Objectio 6. Sociniani.

Socin. Sequitur ex dogmate Trinitatis, quod in Deo simul una, & tres substantiæ sorent. Unam esse Dei unius substantiam extra controversiam est: tres autem simul esse substantias in Deo inde colligitur; quia tres sint distinctæ in eo personæ, id est substantiæ intelligentes.

Solutio Catholici.

Cath. Resp. in Deo unicam esse substantiam, quatenus substantiæ nomen significat id, quod per se existit, neque indiget aliquo subjecto vel substentaculo: esse tres substantias, prout nomen substantiæ apud quosdam veteres significat subsistentiam, scilicet rationem existendi incommunicabilem alteri. Verum hoc nomen *Substantia* jam ab omnibus in priori sensu tantum accipitur. Vide cap. ultimum hujus libri.

14. Objectio 7. Sociniani.

Socin. Videmus in rebus creatis unius substantiæ intelligentis unam tantum esse personam. Monstretur vel unicum exemplum, sive hominis, sive angeli, qui non sit una persona, sed plures. Cum ergo Deus quoque una sit substantia intelligens, necessario sequitur, eum non tres personas, sed unam tantum personam esse. Hic vero objicitur ab adversariis, aliam esse rationem Dei, & rerum creatarum. Cur verò? Quia, inquiunt, res creatæ sunt finitæ: increata autem Dei essentia est infinita. Verum hæc differentia inter finitum & infinitum nullum habet momentum. Tum enim demum momentum aliquid habitura esset, si persona increata non æque infinita foret, atque essentia, seu substantia, in qua subsistere creditur. Nunc cum aliter res se habeat, eadem ratio hic est finitæ, & infinitæ personæ, manetque tam creatam, quam increatam substantiam non posse esse plures personas. Cur enim finita substantia nonnisi unam personam constituere potest? nempe quia persona, aut suppositum totam in se substantiam complectitur, nec potest eadem substantia eodem tempore secundum idem bis esse idem; ac porro nec bis esse suppositum, bis persona. At eadem ratio est etiam in Divina substantia. Siquidem persona quælibet Divina totam Divinam substantiam amplectitur, nec partem aliquam sibi tantum decerpit, aut decerpere potest, nisi persona ac suppositum esse desinat. Quare non magis substantia infinita potest plura in se habere suppositа, aut personas, quam finita: quia alioqui pluries quam semel infinita foret, toties nimirum, quot personæ sunt. Quo accedit, quod si ideo Divina substantia plures personas contineret, quia infinita est, sequatur etiam infinitas personas esse posse. Nam ob quam causam tres personæ statuuntur esse in una Dei substantia, ob eamdem possunt etiam quindecim, imo centum, quin & infinitæ personæ statui.

Cath.

15. Solutio Catholici.

CATH. Resp. unius substantiæ non posse quidem esse nisi unam personam ejusdem rationis ac muneris, posse tamen esse personam unam, & alteram, tribuens naturæ diversam subsistendi rationem. Nam multis Theologis placet tres simul personas Divinas potuisse assumere eamdem naturam humanam, illamque reddere triplici titulo subsistentem. In quorum sententia non sequitur eamdem substantiam eodem tempore bis esse *idem*, sed tantum multiplici titulo existere, & ad plurium Personarum jura transferri. Quod cum nostratibus tenet universa Schola Thomistica, præeunte Angelico tertia P. Q. III. art. 6. Scotistæ vero, qui opinantur unius naturæ creatæ unicum tantum posse dari suppositum, docent disparem esse rationem de substantia finita, & infinita; quod in illa personalitas sit merum complementum naturæ, in ista non indigentia existentiæ, sed perfectio summæ fœcunditatis. Sed prior sententia, loquendo de personis Divinis in ordine ad naturam creatam, est verior. Duæ autem, aut plures subsistentiæ creatæ esse nequeunt in eadem natura, non quod repugnet unam naturam ad plurium jura pertinere; sed quoniam omnes res creatæ discrepant essentia. Quare plures personæ creatæ necessario distinctam arguunt substantiam; neque possunt in uno homine, vel uno angelo diversa adinveniri supposita, nisi multiplex reperiatur natura. Ergo tres personæ Divinæ, quæ non discrepant essentialiter, eamdem poterunt terminare naturam, non quod singulæ non complectantur totam substantiam, sed quoniam sunt substantialiter indistinctæ. Non decerpit quidem una persona partem Divinæ naturæ, sed illam terminat sub uno tantum respectu; & cum hi respectus sint plures, plures sunt quoque personæ. Petis, cur non sint infinitæ? In primis quia tres tantum proponit nobis Scriptura. Ulterius quia summum bonum non potest ad intra communicare sese nisi per generationem, & processionem. Etenim non potest esse nisi unus Pater. Unius Patris non potest esse nisi unus Filius consubstantialis, si enim plures sunt Filii, necesse est ut unus non adæquet generationem paternam. En generationis Divinæ unicus terminus. Tum Pater & Filius per mutuam dilectionem producunt Spiritum Sanctum, quæ dilectio est una & eadem, & cum sit infinita habet unicum terminum, scilicet ipsum Spiritum. En una duntaxat à Patre, Filioque processio.

16. Instantia.

Si insurgas: quomodo Filius & Spiritus Sanctus personæ infinitæ sunt, si carent potestate generationis? Quare Spiritus Sanctus & ipse aliam personam non generat? Cur non dantur termini infiniti omnium divinorum attributorum quemadmodum dantur intellectus, & voluntatis? Si, quod excellentius est, plures habet operationes intrinsecas, ut constat de homine in comparatione animalium cæterorum, quare Deus non habet infinitas internas operationes, quibus communicatione naturæ, constituantur infinitæ personæ?

17. Solutio.

Resp. Infinitam perfectionem generationis esse etiam in Filio, & Spiritu Sancto, quoniam habent eamdem essentiam à generatione indistinctam; non tamen generant, quia id spectat non ad perfectionem substantiæ, sed ad proprietatem personæ: Spiritum Sanctum non producere personam aliquam, eo quod oppositio relationis non permittit, ut habeat rationem principii respectu Divinæ personæ, quia ipse procedit ab aliis Personis, quæ in Divinis esse possunt; quod clarius exponam agens de numero processionum divinarum: Divina attributa non esse divinarum personarum principia, quia referuntur duntaxat ad creaturas, ut omnipotentia ac providentia; aut ad essentiam, non ad terminum subsistentem, ut simplicitas, æternitas: infinitas: falsum demum esse quod perfectioris substantiæ plures sint operationes, cum in angelis pauciores sint operationes, quam in homine, videlicet non est in eis, neque sensuum exercitamentum, neque imaginatio, quia sola spirituali pollent natura: & Deus, qui simplicissimus est, unam habet operationem, quæ est sua substantia, multiplex sola terminorum connotatione.

18. Objectio 8. Sociniani.

SOCIN. Primarium fundamentum Trinitatis est distinctio excogitata inter essentiam, & Personas Deitatis. Verum arenosum est istud & debile fundamentum. Quod ut clarius pateſcat, expendamus propriam significationem duarum istarum vocum *Essentiæ*, & *Personæ*. Essentia rei alicujus est id, quod res est, sive propria rei natura, ex qua constat. In exemplo, id cujus gratia hoc lignum vocatur lignum, est ligni istius essentia. Simili modo essentia Dei altissimi nihil aliud est, quam Divina ejus natura, per quam, & cujus gratia ille Deus est. Persona autem nihil aliud est, quam substantia prima completa intellectu prædita. Si ergo persona est substantia intelligens, tres per-

personæ erunt tres substantiæ, vel essentiæ. Ad hæc, persona non est pars aut membrum rei ullius, sed est res ipsa perfecta, completa, & per se subsistens, ideoque habet suam propriam singularem essentiam. Quod enim caret propria & peculiari essentia, id vel nihil est, vel pars tantum, vel accidens aliquod alterius rei, ut exempli gratia, manus, aut pes, aut longitudo hominis. Cum ergo Trinitarii affirment in Deo esse tres distinctas personas, quarum quælibet non partem, sed integram essentiam habet, revera essentiam Dei multiplicant, & trinam faciunt. Rursus ubicunque multiplicantur subjecta, multiplicantur etiam quæcunque de illis dicuntur; nam quot sunt homines, tot sunt corpora, tot animæ, tot substantiæ, & quot sunt angeli tot sunt spiritus, &c. Igitur multiplicatis personis, debet etiam multiplicari essentia. Corruit ergo fulcrum Trinitatis primarium.

19. Confirmatur. Altera basis Trinitatis est, quod commenti sunt Trinitarii in eadem essentia triplicem modum existendi, ineptum supra quam dici potest effugium. Nam I. Si una res pluribus modis uno tempore existeret, non esset una, sed multæ, tot nimirum quod sunt vices, vel modi, quibus existit. II. Commentum hoc tam simile est opinioni Sabellii, quam ovum ovo. Ille enim sensit Deum summum esse unam solummodo personam, quæ se tribus modis revelarit, semel tanquam Patrem, secundo tanquam Filium, tertio tanquam Spiritum Sanctum. III. Deus altissimus propter infinitatem essentiæ suæ unam habet essentiam, ergo unum existendi modum; cum per unum existendi modum haberi possit quidquid ad summam perfectionem ejus requiritur.

20. Confirmatur. Tertium doctrinæ de Trinitate fundamentum est περιχώρησις, id est, mutua personarum circumincessio, seu immanentia, & unius personæ existentia in altera, & vicissim hujus in illa; quomodo vero homo rationalis, qui non fungum pro corde gerit, se ex isto labyrintho expediet? Primum enim difficile intellectu est, quomodo fiat hæc mirabilis personarum immanentia. Secundo qui fieri potest, ut tres personæ permixtæ sint, & habeant eamdem essentiam, neque inter se confundantur? Tertio si in qualibet Persona est tota Trinitas, erunt tres Trinitates, una in Patre, altera in Filio, tertia in Spiritu Sancto, sicque erunt novem personæ Deitatis: quod si rursus istæ novem personæ sibi mutuo inexistant, tum erunt novies novem, id est octoginta & una. Quarto si quælibet persona est in tota Trinitate, sequitur Patrem esse in Patre, Filium in Filio, &c. quæ locutio quid significet nemo intelligit. Quinto si verum est Spiritum Sanctum apud Jordanem apparuisse, & secundam personam humanam assumpsisse naturam, cum Pater in cœlo remanserit, necessario personæ à se invicem digressæ, ac sejunctæ fuerunt.

21. Confirmatur. Quartum hujus doctrinæ stablimentum est duplex acceptio nominis *Dei*, essentialiter, & personaliter. At hujus distinctionis nec minimum vestigium est in Scripturis. Dein, verbi gratia, si Filius totam habet Divinam essentiam; nulla est ratio, cur nomen Dei, etiam quando Filio tribuitur, non debeat accipi essentialiter. Denique qui nomen Dei audit, statim concipit Creatorem, ac Dominum universorum, & unicum profitetur; creare autem & dominari munus personæ est: & ideo nomen *Deus* significat unam tantum personam, neque alia est mirifica ejusdem nominis distinctio. Fucata ergo verborum specie, & absurditatibus maximis Trinitatis dogma à Catholicis explicatur.

22. Solutio Christiani quoad 1. caput Catholicæ Doctrinæ. Cath. Nos nequaquam Personam à substantia secernimus, non enim ignoramus traditam personæ definitionem, quod *sit rationalis naturæ individua substantia*. Putamus quoque, licet non idem statuant omnes, personam naturæ nullam addere distinctam modificationem aut formam: etiam concedimus unamquamque personam Divinam esse totam substantiam, non partem, alias duæ vel tres simul personæ majores forent una, neque essent singulæ invicem coæquales. At persona, & natura distinguuntur connotative, quod hæc dicatur ad seipsam, illa referatur ad aliud. Quare non sequitur, sunt tres personæ, ergo sunt tres substantiæ completæ; sed istud duntaxat, sunt tres personæ, ergo sunt tres ejusdem substantiæ suppositæ, & connotata. Ratio est, quia essentia significat id quod est; & persona id quod est alteri incommunicabile; unde si in una substantia sint plures proprietates incommunicabiles alteri, erunt distinctæ personæ in unitate substantiæ. Frustra quæritur in creaturis hujus mysterii exemplum. Scripturis credendum est. Audis Patrem; nomen est relativum, nomenque Personæ. Audis Deum; nomen est absolu-

tum, nomenque substantiæ. Audis Deum Patrem; & substantia significatur & ordo ad alium. Hunc tantum ordinem addit supra naturam Persona: neque ulla implicantia est unam indivisibilem substantiam trinam esse in personis; quia unitas ad absolutam naturam attinet, numerus ad relationem. Ad id, quod sequitur, dico unam tantum personam esse totam substantiam, sed non esse omnes terminos, omniaque connotata ejusdem substantiæ, ut monui in resp. ad septimum. Quod opponitur tertio loco verum est, quando multiplicatis subjectis multiplicari possunt quæ dicuntur de singulis; sed Divina natura multiplicari nequit, cum sit infinita & assentialiter una: nec adhiberi debent exempla à subjectis creatis petita.

23. Solutio Christiani quoad 2. Caput.

Ad argumenta, quibus alterum Caput doctrinæ Catholicæ impetitur, respondeo falsum esse, quod plures modi existendi multiplicent rem existentem, cum multiplicent solummodo naturæ existentis ordinem, & respectum. Non enim diversus est homo dum sedet, & stat, quamquam modus standi & sedendi diversi sint, diversaque ratione connotent locum. Quare autem distincti modi existendi nequeant esse eodem tempore in eadem essentia creata, diximus in resp. ad VII. Ad secundum constat, toto cælo distare hæresim Sabellianam à doctrina Catholicorum; quippe ex diverso modo, quo persona sese manifestat, non sequitur personæ distinctio, ut sequitur ex diverso modo terminandi naturam. Ita E. G. potest eadem persona apparere modo in nube, modo in rubo, & idem Spiritus nunc in columbæ specie, nunc ignis; quoniam modus iste appellat aut rem creatam, aut locum, non terminat diversâ personali proprietate substantiam. Hanc diversam proprietatem negavit Sabellius, & profitentur Catholici. Ad tertium dico sequi ex infinitate substantiæ unitatem ejusdem, quia cum substantiæ discrepent invicem aut specie, aut separatione naturæ, importat utraque distinctio limitationem, quæ repugnat substantiæ infinitæ, ut demonstravi lib. I. cap. VI. Mom. III. At personæ neutro modo invicem distinguuntur; & consequenter earum distinctio nullam importat imperfectionem. Vide cap. VII. ejusdem libri in Resp. ad 3. Addo personas non habere infinitatem & perfectionem nisi ratione substantiæ; unde dicendum non est, sunt plures personalitates perfectissimæ & infinitæ, sed, plures personalitates, quæ sunt unica perfectio infinita.

24. Solutio christiani quod 3. Caput.

Quæ contra tertium Trinitatis fundamentum opponebantur, ex dictis facillime solvuntur. τὴν περιχώρησιν, circuminsessionem, & immanentiam divinarum Personarum, in eo sitam dicimus, quod ratione unius naturæ nequeant invicem abscindi & divelli. Itaque ad primum respondemus fieri hanc circuminsessionem per inseparabilem naturæ unitatem, quæ cum ubique sit tota, separationem non potest recipere personarum. Ad 2. dicimus personas non distingui ab essentia, quoniam illi relative non opponuntur; distingui inter se, quia referuntur ad invicem. Ad tertium reponimus unam personam esse intra aliam, quatenus unum sunt substantia ac majestate, non quod proprietas unius personæ sit proprietas alterius: & ideo non sunt tres Trinitates, quia non sunt tres substantiæ in quibus tres hypostases uniantur, sed una eademque substantia in qualibet proprietate. Ad 4. dico Patrem esse in Patre & in seipso, in quantum est sua substantia; & Filium esse in Patre in quantum nascendo recipit substantiam Patris: quo sensu utraque propositio est vera, Pater est in seipso, &, Filius est in Patre; quia etiamsi *Paternitas* non sit *Filietas*, utraque proprietas personalis eadem res est cum substantia communi. Ad ultimum satis liquet ex lib. II. cap. IV. Prop. 2. Deo convenire immensitatem, neque Patrem in remotissimo cælorum recessu considere.

25. Confirmatio.

Inepte adversus duplicem significationem hujus nominis *Dei* nugantur Hæretici. Etenim cum sit ex genere eorum quæ dicuntur concreta, significat primario naturam, deinde ejus extantiam in aliqua hypostasi, quomodo hæc vox *homo* directe naturam humanam, & de secundario individuum, in quo subsistit. Interdum ergo in Scripturis significat Divinam substantiam ut consistentem in aliqua definita hypostasi, ut in hac enunciatione Joan. I. *Deus erat Verbum*: interdum eamdem divinitatem subsistentem in quapiam persona, indefinite & universe, ut Genes. I. *Creavit Deus cælum & terram.* Facile est utrumque dignoscere. Si enim enuncietur aliquid spectans ad munus personæ, debet accipi Dei nomen pro Persona, veluti si dicas, *Deus carnem assumpsit.* Si quodlibet pertinens ad naturam, pro natura; ut in exemplo, *Deus est unus.* Si aliquid demum conveniens personæ ratione naturæ, accipi debet pro natura in qua-

qualibet persona consistente; ut dum dixeris, *Deus est infinitus, omnipotens, Creator & Dominus universorum.* Imperite ergo in hisce salebris Sociniani versantur.

26. Objectio Sociniani. SOCIN. Ex doctrina Trinitatis multa consequuntur absurda. Sequitur primo, veras esse has duas contradictorias, Deus est genitus, &, Deus non est genitus. Tum eamdem rem communicari, & non communicari, quum Filius habeat communem cum patre naturam, non paternitatem, quæ cum natura res una est. Item sequitur esse simul tres Personas, & unam præcedere aliam, & opera certo ordine distribui inter plures, quorum una est operatio. In has casses incidunt (inquiunt novi Ebionitæ) adoratores Trinitatis.

27. Solutio Catholici. CATH. Nullum absurdum ex fide Catholica derivatur. Non primum, quia si in his propositionibus, Deus est genitus, &, Deus non est genitus, supponat *Deus* pro diversa persona, nulla est contradictio: si in prima supponat pro filio, in secunda pro omnibus personis indeterminate; non sunt hæ propositiones simul veræ, sed prima vera est, altera falsa. Non sequitur secundum, quoniam Essentia patris communicatur filio, sed non communicatur personaliter, videlicet secundum rationem, quæ constituit personam patris, ut nono libro explicabimus. Non ultimum denique; sunt enim Divinæ personæ simul æternitate ac natura, sed tamen una habet originem, & procedit ab altera. Opera autem ad extra sunt quidem tribus personis communia, ut habetur Joan. v. 17. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*: & *Quæcunque Pater facit, hæc & filius similiter facit.* At in operibus diversæ rationes sunt distinguendæ: quarum aliquæ ad communem pertinent omnipotentiam, aliquæ a personalem proprietatem. In exemplo sit, quando in Jordane vox Patris intonuit, *Hic est filius meus dilectus, &c.* vocis sonum tota Trinitas creavit, sed verborum significatio ad solum Patrem pertinuit. Dominica pariter incarnatio, in quantum est conceptio & productio hominis, etiam à Patre, & Spiritu Sancto peracta est; nam de Patre dicitur: *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum:* & de tertia persona, *Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.* Sed prout Incarnatio est assumptio ac terminatio naturæ humanæ, est solius Verbi, quia terminare naturam non opus est omnipotentiæ, sed munus hypostasis. Ita quoque Columbæ species, in qua visibiliter Spiritus Sanctus apparuit à tota Trinitate est perfecta, sed conditio Doni est soli Spiritui tribuenda. At de postremo hoc argumento plura S. P. Augustinus lib. 11. de Trinitate cap. v.

CAPUT VII.

Superiores responsiones exemplis ac rationibus illustrantur.

SUMMARIUM.

1 2. & 3. per exempla firmatur dari SS. Trinitatis Mysterium.

4. Demonstratur Trinitatem personarum non officere D. Simplicitati.

Exempla & Rationes responsionum Catholici. PROPOSITA contra Trinitatem argumenta urgentur fere omnia à Wolzogenio Barone Austriaco Sociniano, qui Crelliana sophismata sub nova quadam larva produxit, postquam adversus Crellium doctissimi viri pugnaverant. Dignus autem videbatur, cui singillatim responderetur, quod omnia Majorum suorum arma tractaverit, idque callida dexteritate: cæteri autem Scriptores ineant ut plurimum cum solo Crellio certamen. His ergo hæreticis concedendum est Trinitatem mysterium esse, quod mentem superat omnium creaturarum. Verum nec desunt in rebus creatis exempla, quibus quodammodo comprobetur.

1. Generationes creaturarum indicant Trinitatem. Tenent primum locum permulta Trinitatis vestigia, quæ in creaturis occurrunt. In his primum fiunt generationes, quæ cum sint perfectiones rerum (est enim perfectio gignere sibi simile) non debet Deo repugnare: unde Isaias inquit, *Qui alios parere facio, ipse non pariam? qui cæteris generationem tribuo, sterilis ero?* Compertum quoque est esse in Deo summam felicitatem & beatitudinem: ad quam requiritur societas, & consortium aliorum: Societas autem hominum vel Angelorum ad Dei beatitudinem conferre nequit, cum summum bonum mutuari non debeat à re creata felicitatem. Idem affirmandum est de perfecta amicitia, qualem in Deo

esse non videtur in dubitationem revocandum. Sunt pariter innumeræ similitudines, quæ ob oculos nostros versantur, quarum unam affert S. P. Augustin. serm. 38. de Verbis Ap. cap. 7. ex aqua, dicens: *Fons, fluvius, & potio sunt aqua, & tamen nihil horum est alterum.* Aliam serm. 1. cap. 3. à sole, scribens: *In sole tria sunt, & sicut videmus separari non possunt, cursus, splendor & calor.* Tertiam petit de Fide & Op. cap. 9. ab igne, *in quo sunt simul splendor, motus & calor.* Profert & quartam lib. XIV. de Trinitate his verbis: *Mens meminit sui, intelligit se, diligit se: hoc si cernimus, cernimus Trinitatem, nondum quidem Deum, sed imaginem Dei.* In omni creatura vestigium extat Trinitatis, secundum quod unum aliquid est, & secundum quod aliqua specie formatur, & secundum quod quemdam ordinem tenet, ut idem Augustinus explicat lib. VI. de Trin. cap. ultimo. Accedit perfectio numeri Ternarii, cujus invenimus ordinem in rerum naturalium principiis, in partibus temporis, in corporum dimensionibus, in animarum potentiis ac speciebus, in differentiis motuum, in unaquaque re, quæ producta fuit in mensura, numero, ac pondere, & cui inest terna perfectio, unitas, veritas, bonitas. Quare perfectissimam quamque rem hoc numero designamus, ut cum dicimus aliquem ter beatum, termaximum. Sed de his plura apud Bongum de mysteriis numerorum. Legite & D. Thomam 1. P. q. 45. art. 7. Estium in 1. Dist. 3. §. X. & XI. & Contensonium lib. 3. dissert. 3. cap. 1. Speculat. 2.

2. Trinitas non repugnat naturali rationi.

Atque hisce exemplis possumus Trinitatis mysterium etiam rudibus insinuare. Quibus addam palmaria quædam ex Conflictu Serapionis, & Arnobii, qui extat Tom. VIII. Biblioth. PP. pag. 203. Peto (ut quæ illic pluribus comprehenduntur, paucis exponam) cur Trinitas naturali rationi repugnat? Num quia fieri non potest, ut eadem sit multarum personarum operatio? Nequaquam, Duorum quippe oculorum est unus contuitus, duarum aurium unus auditus, duarum manuum unus tactus, duorum pedum unus gressus, duorum labiorum unus sermo. Si dixeris has operationes non esse perfectas in uno duntaxat principio; ponantur tres pretiosæ margaritæ obscuro quodam in loco, & singulæ eodem lumine pariter conspicientur. Si ergo multi pretiosi lapides uno fulgore ornatum sui splendoris ostendunt, quomodo nequeunt plures personæ unica fidei luce in una divinitate discerni? At, inquis, tres margaritæ eumdem numero valorem non habent. Ita est: sed possunt industria artificis ita necti, ut unum regis diadema componant: & si arte plures construuntur gemmæ, ut sint regni unius diadema; quare in uno divinæ fœcunditatis thesauro esse nequeunt plures personæ ita naturaliter compactæ, ut singularum unum sit regnum, una Potestas, una divinitas? Fieri non potest, dices, ut multorum unum regnum sit, atque indivisum imperium? Etiam; nam tres imperatores aliquando pari potestate regnaverunt, Augustus, Antonius, Lepidus, qui instituerunt Triumviratum; & iterum tres filii Constantini, & rursus, Honorius, Arcadius, Gratianus, licet non tanta animorum, quanta decuisset, consensione. Cum ergo temporale imperium talem in se continere valeat concordiam pacis; quanto erit major consensio, & unitas personarum in regno, quod nulla potest animorum discrepantia turbare? Instas non posse divinæ majestati mortale regnum aptari, cum trium Augustorum unus sit genitus tempore ante alium, ac senior ætate juniores præcedat: sed dicam econtra, hoc inter temporale, æternumque regnum interesse discriminis, quod in illo unus est semper altero anterior, quia ipsorum vita tempore præterlabitur, sed æternitas omnis successionis ac mutationis est expers. Affirmas imperceptibile esse, quod una persona originem habeat ab alia, & tamen singulæ sint duratione coæquales. Verum occurro asserens, non repugnare quod plura simul sint coæterna, & unum proficiscatur ab alio: quandoquidem ex flatu vox, ex voce efficitur sermo; & uno eodemque momento flatus, vox, & sermo oriuntur. Hæc aliaque permulta in citato conflictu Serapionis, & Arnobii digna lectu repieries, valde utilia, si cum ingenii moderatione legantur: & longe plura, sed sublimiora, apud Augustinum toto libro IX. de Trinitate.

3. Miracula credibile faciunt Mysterium Trinitatis.

His addere possem plurima miracula, quæ reddunt Trinitatis mysterium evidenter credibile, demonstrantque non esse humana ratione temere investigandū aut impugnandū pertinaciter. Quædam vide in Magno Theatro vitæ humanæ Tom. VII. pag. 219. alia in vita Basilii, quam scripsit Amphilochius, nonnulla apud Victorem Vitensem lib. 1. de Persecutione Vandalica, & Gregorium lib. III. dialogorum cap. 32. lege & Baronium Tom. VII. ad annum Christi 583. num. 42.

42. & 43. Unum narro tantum maximum ac perpetuum, nobis domesticum, & ad hæreticos convincendos aptissimum. In cista enim fellea B. Claræ Sanctimonialis nostri Ordinis reperti sunt post obitum tres globuli, in trianguli formam dispositi, imagine, colore, & pondere pares: quorum unus tantum pondus habet, quantum duo aut tres: tres item quantum duo, vel unus; ita ut, sive separatim spectentur, sive omnes simul, sive unus cum duobus comparetur, nullum vel minimum sit inter illos discrimen. Qui, ut Ecclesia loquitur, *Sanctissimæ Trinitatis Symbolum referentes* servantur adhuc in pretiosa cruce dispositi una cum passionis Christi mayſteriis mirabiliter in corde ejus impressis.

4. Trinitas Personarum non officit D. Simpliciati.

Exemplis ac miraculis accedit argumentum, quo simul demonstratur Trinitatem personarum non officere Divinæ simplicitati. Tantum abest ut plures Personæ destruant Divinæ substantiæ unitatem, uti opponunt hæretici; quin potius nisi in Deo esset distinctio trium personarum, non foret Deus summe unus, qualem esse ratio naturalis evincit. Etenim supponatur in divinitate una tantúm Persona. In ea, si aliæ Divinæ personæ dari nequeant, operationes intellectus, & voluntatis nullum terminum subsistentem producent; nam si producant, jam habemus Personas. Atqui si intelligendi, & volendi operationes nullum terminum substantialem producant, Deus non est perfecte unus, sed in substantia compositus. Ergo nisi plures dentur personæ, non salvatur in Divina substantia naturalis unitas & simplicitas. Probatur minor: Aut Divinæ operationes sunt eadem Divina substantia, aut sunt prolationes & actiones à Divina substantia distinctæ? si hoc asseris, compositum Deum pronuntias, ut recte ait Irenæus lib. 1. cap. 18. Si vero propter unitatem, ac simplicitatem Divinam non distinguis operationes à Divina substantia: ob eamdem causam non debes distinguere à Divina substantia intelligente, ac volente, terminum intellectionis ac volitionis. Quæ argumentatio non valet de operationibus transeuntibus, cum istæ connotent terminum extrinsecum, & natura sua à divinitate sejunctum. Ex quibus obiter nota, pluralitatem personarum divinarum nullam in Deo inferre compositionem, sed summam simplicitatem, ut dixi lib. 11. cap. 111. Propositione ultima.

CAPUT VIII.

De Verbi divini ante Incarnationem præexistentia.

SUMMARIUM.

1. Proponitur status quæstionis.
2. 3. 4. & 5. Probatur Dei filium fuisse in aliqua substantia ante temporalem sui conceptionem
à n. 6. usque ad 22. diluuntur Sophismata diabolica.

1. Præexistentia verbi Divini ante Incarnationem.

CÆTERORUM hæreticorum, qui in Christum Dominum impiissimas eructaverunt blasphemias, tres videntur, ac sunt profecto, iniquissimi, Cerinthus, Arius, Socinus. Cerinthus circa annum vulgaris Æræ 80. illum purum hominem prædicavit asserens ante Mariam non fuisse; quem secuti sunt Ebionitæ sic dicti, vel ab Ebione quodam, vel quod ab Ethnicis, Judæis, & Christianis derelicti, fuerint אביונים, id est pauperes ac miserrimi. Adversus hanc pestem scripsit Ephesi Evangelium Joannes, ut auctor est in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis S. Hieronymus. Arius deinde vertente anno 320. aut paulo ante, ex Schismatico & fautore Meletii factus est ductor hæreticorum, & Filio Dei divinitatem negare ausus est; quem proscripsit sacrosancta Nicæna Synodus, & Patres quarti sæculi confutarunt. Socinus Sabellianorum, ut supra vidimus, fermento corruptus etiam Ebionitarum, & Arianorum errores sectatus est, ita ut habeatur ætate quidem posterior, sed primus impietate ac perfidia. Nam cum Sabellio unam statuit in divinitate personam, cum Ebionitis negavit Christum Deiparæ tempora præcessisse, & cum Arianis adversus Filii divinitatem pugnavit: neque paternam generationem fateri voluit, neque Verbi consubstantialitatem cum Patre. Itaque refutata hæresi Sabelliana, videndum est, an Christus ante temporalem sui conceptionem præexiterit, deinde utrum sit verus Filius Dei, ac postea an sit æterno Patri consubstantialis. Nunc de priori quæstione.

2. Propositio. PROPOSITIO: Filius Dei fuit in aliqua subſtantia, priusquam conciperetur à Virgine.

Probatio 1. Id primum evincitur ex Evangelio Joannis cap. 1. quod tale habet initium: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum.* Per Verbi nomen deſignari Perſonam probatur. Ac primo, quoniam de hoc Verbo ait Evangeliſta, *Verbum caro factum eſt*, Et Verbum incarnatum aliquam perſonam eſſe, etiam hæretici profitentur. Deinde, quia Joannes declarat hoc Verbum fuiſſe Filium Patris, dicens: *Vidimus gloriam ejus, quaſi Unigeniti à Patre.* Quod hæc perſona fuerit ante aſſumptam humanitatem, oſtenditur. Primo: Hoc Verbum erat in principio: Eſſe in principio idem eſt, ac eſſe ante omnes creaturas: Ergo ante omnes creaturas erat Verbum. Ita Joannes Chryſoſtomus Hom. 7. in Joannem: *In principio erat: ante omnia intelligibilia, & ante ſæcula ipſum intellige.* Et Ambroſius lib. 1. de Fide ad Grat. cap. 5. *Erat apud Deum, erat, erat, erat. Ecce quater, erat. Ubi impius invenit quod non erat?* Bene ex hoc loco Nicæni PP. damnaverunt Arium, qui dicebat, Verbum factum ex non extantibus, & fuiſſe aliquando, cum nondum eſſet: ut refert Socrates lib. 1. Hiſtoriæ cap. VIII. Deinde ſic arguo: Per ipſum Verbum omnia facta ſunt; Ergo erat antequam omnia fierent. Item: Hoc Verbum caro factum eſt; extabat ergo, priusquam naſceretur ex Virgine. Rurſus argumentari licet: Ex primo Geneſeos, *In principio creavit Deus cœlum & terram*, ſequitur nullam creaturam fuiſſe productam ante cœlum & terram: Igitur ex primo Joannis, *In principio erat Verbum*, infertur nihil fuiſſe ante Verbum.

3. Probatio 2. Secundo probatur ex eodem Evangelio Joannis cap. VIII. 56. ubi legitur: *Dixit eis Jeſus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum.* Fuit ergo Dominus Jeſus ante Abrahamum. Hæc verba à recentioribus Socinianis ita exponuntur, quod Chriſtus fuerit, antequam fieret Abraham, Divina, ut inquit Hugo Grotius, conſtitutione. Sed peſſime impii Evangelica verba contorquent. Tum quod conſtitutione, & prædeſtinatione non ſolum Chriſtus Abrahamum præceſſerit, verum etiam quilibet prædeſtinatorum: tum quod ex viſceribus textus infertur evidentiſſime Abrahamo Jeſum præextitiſſe ætate ac tempore. Dixerunt etenim Judæi: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?* Hoc perinde eſt, ac ſi dixiſſent: Ut Abraham te videre potuiſſet, & tu illum debuiſſes naſci in eadem Abrahami ætate: At cum nondum quinquagenarius ſis, non es natus ætate Abrahami: Igitur neque Araham te videre potuit, neque tu illum. Judæos hæc objectare de præexiſtentia temporis, ſatis liquet. Igitur Chriſtus, qui reſpondit, *Antequam Abraham fieret, ego ſum;* facit ſe multo antiquiorem Abrahamo: & ſenſus horum Verborum eſt, Abraham expetivit videre jam peractam Incarnationem, & Spiritu, ac fide me vidit; Et ego qui non ſum purus homo, ſed Deus ſempiternus, antequam Abraham crearetur, jam eram. Obſervarunt præterea Theologi ac Patres his verbis *antequam Abraham fieret, ego ſum*, Verbi æternitatem ſignificari. Primo quod τὸ *fieret* deſignans creaturam opponatur τῷ *ſum*, non, *eram*, aut, *factus ſum*, quæ magis priori verbo reſpondebant; quoniam illud *ſum* deſignare ſolet æternitatem, ut Pſalmo CI. 28. *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient*: quod etiam de Chriſto repetitur in Epiſt. ad Hebræos cap. 1. 12. deinde, quod hæc verba Joannis ſimillima ſint illis Pſ. 89. 2. *Priusquam montes fierent, tu es, &c.* quibus certum eſt Divinam permanentiam, atque æternitatem deſcribi. Quod obſervatum etiam ab Auguſtino Tractatu in Joannem tertio & quadrageſimo.

Prob. 3. Nullus eſt, qui Deum Patrem præceſſiſſe quamcunque creaturam inficias eat; idque neget probari ex cap. XLI. Eſaiæ v. 4. *Quis hæc operatus eſt, & fecit, vocans generationes ab exordio? Ego Dominus primus & noviſſimus, ego ſum.* At ſimilia enunciantur de Chriſto Domino Apocalypſeos 1. 8. *Ego ſum* ἄλφα, *&* ω, *principium & finis, dicit Dominus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt:* & cap. ult. 13. *Ego ſum* ἄλφα, *&* ω, *primus & noviſſimus, principium & finis.* Ergo & Chriſtus creaturam omnem præceſſit. Neque vero poſſunt textus Apocalypſis accipi tantum de Deo Patre; primo, quia cap. 1. fit ſermo de Judice, & Salvatore noſtro, de quo verſu proximo habetur: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Rurſus, quia cap. ultimo advertitur præfata verba eſſe Domini Jeſu, v. 16. *Ego Jeſus miſi Angelum meum teſtificari vobis hæc in Eccleſiis. Ego ſum radix, & genus David.* Denique cap. XXI. 6. repetit eadem 4. Probatio 3.

dem

dem verba Agnus, *qui ſedebat in Throno*: quem eſſe Jeſum pro nobis occiſum non eſt dubitandum. Habet ſimiliter Apoſtolus ad Hebræos XIII. 8. *Jeſus Chriſtus heri, & hodie, Ipſe, & in ſæcula.* Et Michæas v. 2. *Et egreſſus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* Et quidem hæc de parvulo naſcituro in Bethlehem, Dominatore Iſrael. Hujus generis extant in Tabulis utriusque fœderis plurima.

5. Probatio 4. Quarto probatur ex Traditione Patrum Antenicænorum; nam de aliis nulla occurrere poteſt dubitatio. Illorum quippe Patrum communis ſententia fuit in veteri Teſtamento, quotiescunque Deum apparuiſſe narratur, Filium Dei ſeſe ſub variis ſpeciebus hominibus manifeſtaſſe. Ita enim docet Juſtinus in Dialogo cum Tryphone, nempe fuiſſe Chriſtum, qui ad Ilicem Mambre apparuit Abrahamo, & in Bethel Jacob, atque Moyſi in rubo ardenti. Neque diſſentit Juſtinus lib. IV. adverſus hæreſes cap. XI. & XII. Tradit idem Clemens Alexandr. in I. Pedagogi cap. 7. Tertullianus cap. XIV. & XVI. adverſus Praxeam, Origenes in III. ac VI. contra Celſum. Quam fuiſſe opinionem omnium fere Græcorum conſtat ex Procœmio Euſebii in Hiſtoriam Eccleſiaſticam, ut animadvertit Eſtius in cap. III. Exodi v. 2.

Sophismata Diabolica diluuntur.

Objectiones & Solutiones. Argumenta prædicta graviſſima, ac præſertim ſecundum Lælio Socino ſolutu difficillimum viſum eſt, eique reſponſionem à Deo ipſo patefactam ſcribit Fauſtus in diſputatione adverſus Eraſmum Joannis edita anno 1595. arg. 4. & Schmalzius in Reſp. ad Paraſophiſm. p. 5. Lælium ergo, quoniam non potuit Spiritus Domini obcæcare, decepit profecto Diabolus. Cum ſpiritu nequitiæ in nomine Jeſu Chriſti pugnam itaque aggrediamur.

6. Objectio I. Opp. 1. Senſus verborum Joannis cap. VIII. *Antequam Abraham fieret, ego ſum*, eſt, priusquam Abraham fiat Pater multarum gentium in futura converſione, jam ego ſum Salvator veſter ac pater. Non ergo inde evincitur Chriſtum Abrahamo præextitiſſe. Prob. ant. Græca verba ſic habent, Ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγώ εἰμί; quæ ſi ad verbum latinè reddere velis, ita ſonabunt; *Antequam Abraham fieri, ego ſum.* Atque ita reddidit Arias Montanus. Eſt enim τὸ γενέσθαι, *fieri*, Aoriſtus verbi γίνομαι, *fio.* Sed voces Aoriſticæ, ut norunt qui linguæ Græcæ aliquam dederunt operam, ſignificationem mutuantur à verbis, quibus junguntur, ita ut ſi cum præterito tempore jungantur, præteritum, ſi cum præſente, præſens ſignificare ſoleant. Ergo in hoc textu, cum τὸ γενέσθαι *fieri*, jungatur πρὼ λέγω, *dico*, & τῷ εἰμὶ, *ſum*, præſentis temporis, præſentis ſignificationem habere debet. Minor probatur: Joannis XIII. 19. ubi legit Vulgata: *Amen dico vobis, priusquam fiat*, habetur in Græco, Ἀπ' ἄρτι λέγω πρὶν τὲ γενέσθαι, & XIV. 29. ubi legimus, *Dixi vobis, priusquam fiat*, eſt in græco εἴρηκα ὑμῖν πρὶν γένεσθαι; ubique Aoriſtus à verbo præcedenti temporis ſignificationem mutuatur: neque huic regulæ contraria exempla, ait Wolzogenius, adhuc vidimus. Debemus ergo publica via incedere, non ferri per avia, & dum per oſtium poſſumus, nolle ingredi per feneſtram.

7. Solutio Reſp. nego antecedens. Ad probationem concedo voces aoriſticas indeterminati temporis eſſe: an autem ſint præteriti, vel futuri, dicimus inferendum eſſe ex contextu. Hoc loco & ex Judæorum cum Chriſto diputatione, & ex propoſitione πρὶν, *antequam*, conſtat aoriſtum γένεσθαι, *fieri*, præteriti ſignificationem habere. Ad probat. 1. retorqueo adverſus Socinianos ipſorum ſophiſmata: quippe Joannis XVI. 29. aoriſtus γένεσθαι, *fieri*, eſt futuræ ſignificationis, & nihilominus jungitur cum præterito, εἴρηκα, *dixi*, II. Nego in orationis complexu nulla verba præterita reperiri, cum ſint plura, ut illa, *dixerunt Judæi*, & *Abraham vidiſti*, &c. III. Socinus contendit aoriſtum hic habere ſignificationem futuri temporis, ita ut ſenſus ſit, Antequam Abraham fiat, caput omium credentium (quod poſt aſcenſionem meam futurum eſt) ego jam ſum Chriſtus, & Servator veſter; id enim probare conatur in lib. contra Bellarm. & Wiech. cap. 7. claſſ. v. & tamen verbum λέγω, & εἰμὶ præſentis temporis ſunt: quomodo ergo aoriſtus à verbis, quibus jungitur, temporis ſignificationem mutuatur? IV. Verbum præſens *dico* infert tantum ſermonis præſentiam, non rerum quæ dicuntur: alioqui quæcunque Chriſtus futura enunciavit, fuiſſent dum adhuc loqueretur, præſentia. Inquit Wolzogenius: Si Chriſtus ſimpliciter exiſtentiam ſuam ante Abrahamum ſignificare volebat, cur potius non dixit, *Ego eram, vel fui?* Sed ſupra dictum eſt, melius per verbum præ-

præsens significari æternitatem, allatumque exemplum illud aptissimum Ps. 89. 2. πρὶν τὰ ὄρη γενηθῆναι, σὺ εἶ, *Antequam fierent montes, tu es.* Cur non ait Psalmista, *Tu eras*, aut *fuisti?* Nimirum id temporis, non æternitatis character fuisset. Quid? Mavult Wolzogenius, *Ego eram?* Ita habet Syrus, auctore Grotio.

8. Instantia Wolzogenii. Instat Wolzogenius. Genes. XVII. 5. Abraham prius vocabatur Abram, id est, Pater excelsus; quod nomen mutatum est in Abraham, significans Patrem multarum gentium: & hujus nominis significatio tum demum impleta est, cum gentes crediderunt in Christum; ut explicat Apostolus ad Romanos IV. 11. & seqq. Sensus ergo valde egregius, & Servatore nostro dignissimus prædictorum verborum est, Antequam Gentes in filiorum Abrahami censum recipiantur, ego sum illa, quam ab initio colloquii mei dixeram, lux mundi, seu Servator olim à Deo promissus, & nunc missus.

9. Solutio. Resp. utique Patrem multarum gentium esse Abraham, & hanc prærogativam adeptum per fidem in conversione Gentilium. Sed non sumitur hoc loco Abraham juxta nominis etymon, id est, ut significat prærogativam paternitatis multarum gentium; sed quatenus significat personam, quæ longa ætate Christi Incarnationem præcesserat. Ratio manifesta est, quoniam ita accipitur, ut diximus, nomen Abrahæ in toto orationis complexu, & Christus Dominus respondit Judæis objicientibus, *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* Accedit discrimen esse maximum, si dicamus, Antequam Abram fiat Abraham, & Antequam Abraham fieret. Detur, priorem enunciationem reddere sensum, quem Sociniani commenti sunt: at postremæ quis talem vim inesse censebit? Adde summam sagacitatem Joannis, qui ubicunque verba aliam præter literam significationem præferunt, caute solet advertere. Suam interpretationem obviam non esse, fateri debent Sociniani, qui illam credunt Lælio post multas preces divinitus revelatam.

10. Solutio ulterior. Quoniam vero Faustus Socinus ait, Christum a cute detorsisse nomen Abrahæ ab ipso homine, cui fuerat impositum, ad rem quam significat; præter dicta de scopo, & cohærentia hujus loci, adverte in Scripturis, ubi exprimitur Abrahami prærogativa & conditio, non haberi propositionem de secundo adjacente, *Abraham est*, sed de tertio, *Abraham est pater multarum gentium*, ut constat ex cap. XVII. Genes. 5. & ex Epist. ad Rom. IV. v. 18. iisdem scilicet locis, quæ vaferrimus Socinianus objectat. Quamobrem in cap. VIII. Joannis, in quo occurrit propositio de secundo adjecto, *Antequam Abraham fieret*, non prærogativa conditionis exprimitur, sed existentia personæ.

11. Objectio 2. Wolzogenii. Opponit 2. Wolzogenius contra argumentum ex 1. Joannis. Proposuit sibi Evangelista novæ creationis historiam describere, ob quam fideles novæ creaturæ appellantur 2. ad Corinth. 5. 17. & Christus dicitur principium creationis Dei in Apocalyps. cap. 3. 14. Hinc orditur descriptionem suam iisdem verbis, *In principio*, prout Moyses suam orsus est historiam. Et sicut Moyses testatur Deum omnia creasse per verbum suum, sive sermonem, & jussum; ita Joannes indicat v. 3. omnia, quæ pertinent ad spiritualem structuram facta esse per Christum. Præterea sicut in veteri creatione omnia acceperunt vitam, ita ait Joannes versu 4. etiam in Christo vitam fuisse, quæ in novis creaturis parata sit. Et quemadmodum Moyses inquit, tenebras fuisse super abyssum; sic v. 5. meminit Joannes lucis, quæ in tenebris lucet. Ita comparat Evangelista novam creationem spiritualem cum veteri. Ex quibus hæc consequuntur. Dum Moyses inchoat historiam suam *In principio creavit Deus cælum & terram*, principium illud ad historiam mundi conditi est referendum, quasi dicat, in principio rerum hujusmodi, seu ante omnes res in mundo factas, creavit Deus cœlum, & terram. Ergo cum Joannes dicit: *In principio erat Verbum*, principium istud referri debet ad narrationem creationis spiritualis, & eorum quæ pertinent ad Evangelium, quasi dicat, Ante omnia, quæ ad Evangelium spectant, erat Verbum.

12. Confirmatur. Confirmatur 1. quia ut constat ex Marci cap. 1. v. 1. & ex Act. Apost. cap. 1. 21, principium Evangelii inchoatur à prædicatione Joannis Baptistæ. Et Joannes, postquam ait per Sermonem totum opus novæ creationis peractum esse, subnectit v. 6. *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes.* 11. Quia multa reperiuntur loca Scripturæ, in quibus verba *In principio* simpliciter posita designant, non principium omnium rerum, sed earum tantum, de quibus est sermo, ut Joan. 15. 27. *Et vos testabimini, quoniam à principio mecum estis.* Sic etiam Epistolam suam primam orditur Joannes: *Quod erat à principio,*

cipio, quod vidimus, &c. III. Quia dato etiam, quod Christus fuerit in principio creationis, non sequitur fuisse æternum; quoniam potuit illum Deus ante mundum creare, quemadmodum & alias res, quales in exemplo sunt Angeli.

13. Confirmatur. Multo minus, inquit Organum diaboli, probatur Christi præexistentia ex versu 14. *Et Verbum caro factum est.* Primo quia legendum est, *Et Sermo fuit caro*, cum sit verbum ἐγένετο, quod verbum denotat *fuit*, ut notum est omnibus, qui Græcam linguam vel primis degustarunt labris, & habemus exemplum supra v. 6. *Fuit* (Gr. ἐγένετο) *homo missus à Deo.* Deinde si ita transferatur, *Verbum caro factum est*, sequitur Verbum incarnatum desiisse esse, quod fuerat, sicuti cum aqua in Cana Galilææ facta est vinum, non amplius fuit aqua: quando uxor Loth facta est statua salis, non amplius mansit fœmina. Denique Evangelista per illa verba, *Et Sermo fuit caro*, significat solummodo fuisse Christum quantum ad naturam infirmum ac mortalem; quia cum præcedenti versiculo meminisset summi boni, quo cumulat eos, qui eum receperunt; ne quis crederet auctorem felicitatis nostræ diversum esse ab aliis hominibus; aut dubitaret, quomodo homo mortalis ad tantam dignitatem eveheretur, ut fieret Filius Dei, addendum erat, etiam Dominum Jesum fuisse hominem fragilem, ac mortalem.

14. Solutio 1. Resp. Gratis & ad libidinem Wolzogenium scopum præfigere Evangelistæ. Is, auctore Hieronymo, scripsit Evangelium rogatus ab Asiæ Episcopis adversus Cerinthum, aliasque tum grassantes hæreses, & maxime Ebionitarum, qui asserebant Christum ante Mariam non fuisse; unde compulsus est Divinam ejus edisserere nativitatem. Addit Irenæus lib. II. cap. II. scripsisse adversus Nicolaitas, & Gnosticos, qui Christianæ simplicitati Platonicam miscebant Philosophiam. Contendunt quidam respexisse initio Evangelii ad Philonem Alexandrinum, qui plura de Sermone Dei disputavit, ne Christiani similitudine sermonis fallerentur. Quæ omnia vera simul esse possunt; nam *omnes hæreses revi noster piscator excluſit*, ait lib. I. ad Grat. cap. 5. S. Ambrosius. Vide quam bene cum hoc scopo Evangelii verba cohæreant. Gnostici inter Æones nominabant λόγον, *Verbum*, ζωὴν, *Vitam*, σωτῆρα, *Salvatorem*, & μονογενῆ, *Unigenitum*, quæ nomina extant etiam apud Proclum ad Timæum Platonis. Hinc fabula Valentiniana à nobis explosa lib. 2. cap. 5. Principio itaque Joannes demonstrat τὸν λόγον *Verbum* esse ipsum Deum, dicens: *In principio erat Verbum, &c.* Deinde cum Gnostici assererent, alium esse Deum Creatorem, alium esse Verbum fabricatoris filium, alium, ut inquit Irenæus, de superioribus Christum; ait Joannes, unum esse Deum, qui omnia fecit per Verbum suum, *Omnia*, inquit, *per ipsum facta sunt.* Destruit deinde aliud Gnosticorum figmentum, affirmans non aliam esse emanationem λόγον, *Verbum*, & aliam ζωὴν *Vitam*, dicens in Verbo vitam in principio fuisse: *In ipso vita erat.* Sequitur hanc vitam simul esse lucem spiritualem omnium hominum, neque aliunde expectandam æternam vitam, *Et vita*, inquit, *erat lux hominum, &c.* ne quis putet diversum esse ζωὴν *Vitam*, diversum σωτῆρα, *Salvatorem.* Narrat deinde testimonium Joannis Baptistæ, qui venit ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes in ipsum crederent. Quid autem credendum est? Sane credendum nedum unum esse λόγον, *Verbum*, ζωὴν *Vitam*, σωτῆρα *Salvatorem*, sed etiam ab hoc Verbo indistinctum esse Christum, seu μονογενῆ, *Unigenitum*: quod significat his, quæ sequuntur: *Et Verbum caro factum est, &c.* Vides verborum ordinem, & cohærentiam? Itaque cum talem fuisse scopum Joannis constet Patrum auctoritate, constet verborum complexu, constet ex comparatione errorum Ebionitarum, & Gnosticorum cum Evangelicis verbis; quis credet Wolzogenio fabellas propria imaginatione fingenti?

15. Solutio 2. Sed concedamus quoque scopum Joannis esse, historiam nobis novæ creationis describere; quippe revera sumus in Christo nova creatura, novumque figmentum: quid inde adversus Catholicam Fidem fiet consequens? Imo ita nobis fas erit argumentari. Demonstrat Joannes auctorem novæ creationis esse Verbum Dei: Ait hoc Verbum non esse diversum à Creatore rerum universarum: Igitur Creator rerum universarum idem est ac auctor novæ creationis. Major propositio est Socinianorum. Minor autem S. Irenæi lib. III. cap. XI. & probatur. 1. De hoc Verbo inquit Joannes: *Omnia per ipsum facta sunt.* Ergo per ipsum factæ sunt nedum novæ creaturæ, sed etiam veteres. Vide Augustinum in 1. de Trinit. cap. 6. 11. Ait Evangelista: *Et sine ipso factum est nihil;* ergo nulla creatura est, quæ non sit facta per Verbum. III. Addit Joannes: *Mundus per ipsum factus est;* igitur

Verbum à quo nova creatura facta est, est idem Verbum per quod factus est mundus. Factus utique, ait Socinus, id est, *refectus*, idiotismo Hebræorum, qui utuntur verbis simplicibus pro compositis. Sed pro futile commentum! Hebræa lingua verbis compositis caret, & ideo verba simplicia habent aliquando apud Hebræos significationem compositorum: at non caret verbis compositis lingua Græca, qua certum est scripsisse Joannem. Adde consonantiam Scripturarum, quæ alibi docent per Verbum, & per Filium Dei creata fuisse omnia, ad Hebræos 1. v. 10. 1. ad Corinth. VIII. v. 6. Proverb. VIII. àv. 22. ad 31. &c.

16. Solutio 3. Ex his facilis est ad Wolzogenii argumentum responsio. Ac primo illud retorquetur in adversarium; nam si Geneſis 1. ea verba, *In principio creavit Deus cælum & terram*, significant ante omnes res, quæ creatæ sunt, creata fuisse cœlum & terram: Ergo cap. 1. Joannis illa verba, *In principio erat Verbum*, designant, antequam esset Verbum, nihil fuisse. Deinde notandum est discrimen inter τὸ *creavit*, & τὸ *erat*. Si in principio cœlum & terra creata sunt, ergo antea non erant. Econtra, si Verbum in principio jam erat: ergo in principio creatum non est. Deinde non ait Evangelista simpliciter, *Verbum erat*: sed, *Verbum erat apud Deum, Deus erat Verbum*, id est, erat *æternum*: quod habet expresse Arabicus.

17. Solutio 4. Ad 1. Confirmationem concedo Christi prædicationem habuisse initium à Joannis baptismate; sed ea verba *In principio*, non referuntur ad baptismum Joannis, sed ad Verbi existentiam; non enim scriptum est, *In principio fuit homo missus à Deo*, sed, *In principio erat Verbum*. Imo ita argumentum retorquetur: Evangelii prædicatio non habuit initium nisi à baptismo Joannis: Ea verba, *In principio erat Verbum*, non appellant supra baptismum Joannis: Ergo ea verba, *In principio erat Verbum*, minime appellant supra initium Evangelii. Ad 2. dico, quod significatio hujus vocis *Principii*, etsi indifferens sit, à verbis quibus nectitur, satis liquet. Quare, si 1. Joannis cap. 1. τὸ, *Quod fuit ab initio, & audivimus &c.* significat, ut contendit hæreticus, initium auditæ prædicationis, eoquod sequatur verbum, *Audivimus*; in cap. 1. Evangelii designare debet æternam existentiam apud patrem, quum sequantur hæc verba, *Et Verbum erat apud Deum*. Ad tertiam dico primum, Angelos prima die fuisse conditos, non ante mundum hunc aspectabilem. Deinde si velis ante cœlum terramque creatos, (quod tamen est falsum) id parum refert. Qui enim hanc tenent sententiam, exponunt verba Geneſis, *In principio creavit cælum, & terram*, de Principio rerum corporearum, quarum narrationem prosequitur Moyses: sed in Evangelio Joannis τὸ *In principio*, significat ante res omnes tam corporeas, quàm spirituales; eoquod à Verbo facta sint omnia, id est tam visibilia, quam invisibilia, & sine ipso factum sit nihil, οὐδὲ ἕν, id est, nec unum quidem eorum, quæ facta sunt. 18. Solutio 5.

Nec quidquam efficiunt sophismata Satanæ contra vers. 14. Nam ad primum respondeo, optimam esse versionem nostram, *Et Verbum caro factum est*, quum, ἐγένετο, ita reddatur etiam ab Adversariis v. 3. ubi extat Græce, πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, *Omnia per ipsum facta sunt*; & v. 10. καὶ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ ἐγένετο, *Et mundus per ipsum factus est*. Neque ad rem est exemplum v. 6. ubi ἐγένετο non simpliciter ponitur, ut v. 3. 10. & 14. sed cum participio ἀπεσταλμένος, *Missus*. Est autem certa regula, quod ἐγένετο quando cum participio jungitur, significat, *fuit*, aut, *erat*, ut observarunt quoque Valla, & Erasmus. Alterum est argumentum procusum in officina Eutychianorum, qui post unionem Verbi Divini cum humana natura, hanc fuisse absorptam putabant: quibus respondetur, Verbum factum non esse carnem conversione humanæ naturæ in Divinam, sed assumptione humanitatis; ut probat Chrysostomus Hom. 11. in Joannem ex verbis sequentibus, *Et habitavit in nobis*: quæ non mutationem divinitatis significant, sed habitationem, & commorationem: ut dicam in lib. de Incarnatione. Quamquam si vera esset etiam hæresis Eutychiana, ita retorqueretur argumentum adversus Socinianos: Antequam aqua fieret vinum, erat aqua: antequam virga fieret coluber, erat virga; antequam mulier fieret statua salis, erat mulier: Igitur antequam Verbum fieret caro, erat Verbum. Ad ultimum, concedo Verbum factum esse carnem mortalem & infirmam; at nego antequam id fieret, non præextitisse. Carnem autem, non animam, commemoravit Joannes, aut per synecdochen, ut Ps. 62. 2. *Ad te omnis caro veniet*, aut ad commendandam magis dilectionem, & humilitatem Filii Dei; ut probat lib. 83. Quæst. q. 80. S. P. Augustinus. 19.

Opp. 3. contra 4. argumentum. Quod PP. Antenicæni asserant Filium Dei olim Objectio 3.

lim Patriarchis apparuisse, nullum est ad probandam hujus præexistentiam argumentum. Ergo &c. Prob. ant. Exodi XIX. 20. habetur descendisse Dominum in Sina, & cap. XX. dedisse legem Moysi, & in Epist. ad Hebræos cap. 2. v. 2. & in Act. Apost. cap. VII. v. 30. habetur legem datam fuisse per Angelos. Item Deus, qui Genes. XVIII. 1. 2. apparuit Abrahamo, ut colligitur ex Epist. ad Hebræos cap. XIII. v. 2. fuit Angelus. Igitur nunquam in veteri Testamento Deus apparuit. Præterea hæc antiquorum PP. opinio non solum nullum habet in Scripturis fundamentum; verum etiam Scripturis è diametro opponitur: quippe ex eadem Epistola ad Hebræos cap. 1. Deus novissime locutus est nobis in Filio. Ergo non per Filium, sed per Angelos loquebatur olim Patribus, ac Prophetis.

20. Solutio objectionis. Resp. nego ant. ad probat. dico non unam esse Patrum sententiam circa apparitiones Dei in veteri Testamento; nam quidam arbitrati sunt apparuisse Filium Dei visibilem speciem assumendo, & propterea dictum fuisse Angelum, quasi missum à Patre, quemadmodum appellatur ab Esaia cap. IX. 6. aliqui docent revera apparuisse Angelos, sed in his fuisse ipsum Filium Dei per singularem assistentiam, & præsentiam. Prima est opinio Patrum Antenicænorum; secunda Hieronymi, Augustini, Gregorii Papæ, Fulgentii, aliorum, *Apparuit Angelus*, (inquit S. P. lib. 3. contra Maximinum prope finem) *in Angelo autem Deum fuisse quis dubitat*? Sive uni, sive alteri sententiæ subscribas; fateri debes olim Filium Dei apparuisse, neque pugnare inter se recentiores, ac veteres Patres.

21. Roboratio Solutionis. Certe quod ipsemet Filius Dei apparuerit, valde probabiliter Patres affirmarunt. 1. Quia Num. XXI. 5. legitur Hebræos tentasse Dominum, qui illos eduxerat de Ægypto, & eam ob rem misisse Dominum in populum ignitos serpentes. Et in 1. ad Corinth. cap. X. 9. habetur, tentasse Christum. Christus ergo erat Angelus, qui eduxit Hebræos de Ægypto, & de quo Deus Pater ait Exodi XXIII. 20. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via.* II. Observarunt eruditi viri in iis Scripturarum locis, in quibus Dominus apparuit, vel allocutus est homines, haberi in Onchelos, in Targum Jonathanis, & Jerosolymitano Dei מימרא, *Verbum*: quod mire confirmat veterum opinionem. Tertio: Cum habeatur ex Proverb. VIII. omnia facta esse per Dei Verbum ac Sapientiam; haud incongrue dicitur etiam per Verbum & Filium Dei mandata, & magnificentiam Patris hominibus innotuisse.

22. Explicatio ulterior. Hanc sententiam si substinere velis, dicas legem datam per Angelos fuisse, quoniam Filius Dei daturus legem choris Angelicis stipatus apparuit, ut habetur Deut. XXXIII. 2. Ex Angelis, qui apparuerunt Abrahamo primum quidem fuisse Deum, & cæteros veros Angelos, cum ex toto cap. XVIII. Gen. constet Abraham cum uno duntaxat suppliciter egisse, à quo separati sunt alii duo, qui venerunt Sodomam: cum quibus Loth pluraliter loquebatur, & qui ministri erant illius summi Angeli, & Domini, quem Abraham adoravit. Novissime denique Deum locutum nobis in Filio unito substantialiter naturæ humanæ; per quem olim loquebatur multifariam, aut in specie visibili non hypostatice unita, aut in visione, & in ænigmate. Verum propter aliorum Patrum, Magistrorumque auctoritatem nolo interim hanc definire quæstionem. Ut ut sit, affirmarunt veteres Filium Dei apparuisse Patriarchis: igitur tanquam certissimum supponebant, Filium Dei tunc extitisse.

CAPUT IX.

Dei Patris esse Filium unicum, verum, proprium & naturalem.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. 4. 5. Propugnatur, esse Deo Patri filium ab eo genitum, id est, non adoptione, & gratiâ, sed generatione, ac naturâ talem. à num. 6. usque ad 16. Arii, & Socini Gregalibus respondetur.

De æterna Patris Generatione. SEQUITUR quæstio de æterna Patris generatione, quam Anti-Trinitarii aggrediuntur: de qua hanc thesim Catholice pronuntiamus.

PROPOSITIO: Est Deo Patri Filius ab eo genitus, id est, non adoptione, & gratia, sed generatione, ac natura. 1. Propositio.

Ex veteri Testamento probatur. Nam

Probatio 1. ex veteri testamento.

Psalm. 2. 7. legimus; *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: Ego hodie genui te.* Ad Davidem hæc referunt R. Kimchi, Saadias, & etiam Grotius. Sed ad Messiam spectare fatentur R. Selomoh Jarchi, Jonathan, & Aben-Ezra; imo mystice ad Christum pertinere primi quoque declarant. Profecto de Christo dictum constat ex Epist. ad Hebræos cap. 1. & ex Act. Apost. cap. IV. 24. & sequentibus. Christus ergo est Filius Dei: & quidem filius ab æterno, & filius generatione. Ait enim Psalm. *Hodie genui te. Hodie* adverbium est æternitatis, ut in hunc locum observat S. P. Augustinus; quia in æternitate nec præteritum quidquam est, quasi esse desierit, nec futurum quasi nondum sit, sed præsens tantum. *Genuit* absolute prolatum veram significat generationem. Ergo habet æternus Pater filium à se genitum sibique coæternum. In Psalmo pariter CIX. 3. habetur: *Ex utero ante luciferum genui te.* Quem psalmum de Christo dictum satis licet ex cap. XXII. Matth. v. 44. Octavo Proverbiorum habentur similia. v. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum. 24. Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram. 25. Ante colles ego parturiebar.* 30. *Cum eo eram cuncta componens, &c.* Perperam hæc de Sapientia, quatenus attributum est, hæretici interpretantur. Quis enim ignorat, possideri, concipi, parturiri connotare Filii personam? Quis neget illum, qui adest summo Deo, qui cuncta componit, qui ludit in orbe terrarum, esse rem aliquam subsistentem? Si Filii generationem vellet quis recensere, posset-ne expressius illam describere?

2. Probatio 2. ex novo testamento.

Probatur 2. Ex novo Testamento. Joan. 1. 18. hæc extant, *Unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Ubi de hoc filio dicitur v. 15. fuisse ante Joannem. II. Dicitur omnes de plenitudine ejus accipere: dicitur ipsum solum Patrem vidisse, quod de comprehensione constat accipiendum: dicitur tollere peccata mundi: dicitur esse auctorem gratiæ, quemadmodum Moyses fuit auctor legis; & à priori versu ad ultimum plurimis divinitatis characteribus insignitur. Et cap. v. 17. ait Dominus: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Hinc Jesum verissimum esse Dei filium ratione multiplici evincō. 1. Quia ut solveret Judæorum objectionem, quod non esset languidus sanandus sabbato: respondet se eadem opera Patris implere, & quæcunque ille facit hæc & filium similiter facere; videlicet & Patrem & Filium post rerum creationem non posse ab opere revera cessare, & licet sabbato nihil fuerit productum, & hominibus ab operibus servilibus sit abstinendum; Patrem tamen ac Filium suum, *usque modo*, continuo scilicet, & incessanter *operari* conservando, benefaciendo, sanando. II. Sequitur Joannes v. 18. *Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere, quia non solum solvebat Sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Habet Græca πατέρα ἴδιον, *Patrem proprium.* Et ob hanc præcipue causam mortem illi intentarunt; quare si Filius non fuisset verus Deus, videretur Judæorum scelus aliqua ex parte excusandum; eo vel maxime, quod illum adjurante Pontifice, Matth. XXVI. 63. an revera esset Dei filius, se esse confessus est, nec diluit illatam sibi accusationem blasphemiæ. III. Scribit ibidem Joannes, sicut Pater suscitat mortuos, sic & filium vivificare quos vult: tam illum, quàm istum habere vitam in semetipso: utrumque esse eodem jure honorificandum ab omnibus. Plura sunt hujus generis in Evangelio Joannis, quæ ut simus breviores, omittimus.

3. Confirm. 1.

Neque dissentit Evangelista Matthæus: cujus insignem locum produximus principio capitis III. Addamus præclarissimam Petri confessionem cap. XVI. 16. *Tu es Christus filius Dei vivi.* Hac emphasi non intelligitur duntaxat Jesum esse Christum, esse Messiam, esse filium Dei adoptivum; quippe id antea Petrus audierat ab Andrea, ut constat ex cap. 1. Joannis 41. sed hæc fuit revelatio æterni Patris, non carnis & sanguinis, nimirum mortalis hominis. Quare ob talem veram, eximiamque confessionem meruit Petrus cæteris Apostolis anteponi, & distincto laudis præconio à Domino celebrari.

Confirm. 2.

Prætermittendus non est Apostolus Paulus, qui in Epist. ad Hebræos cap. 1. v. 2. scribit: *Novissime diebus istis locutus est nobis in filio.* Ubi plurimis characteribus æternam designat generationem. Nam 1. ait per hunc filium condita esse sæcula: ita appellantur metonymice spiritualia. Ac nota particulam *Per*, non vertendam esse, *propter*, quasi propter Christum Deus mundum condiderit; tum quia græce extat δι' ὃν, & propositio διὰ cum genitivo causam significat effectricem: tum quia v. 10. de hoc filio dictum asseritur. *Tu in principio, Domine, terram fundasti.*

Ergo

Ergo Filius iſte omnium rerum creator eſt. II. Appellatur ſplendor, & character paternæ gloriæ; quibus demonſtratur eſſe generationem ejus naturalem, cum ſit ſplendor & imago Patris, & ab eo tanquam lux à ſole proceſſerit: unde recte habet Syrus צמחא, *Germen.* III. Dicitur: *portans omnia verbo virtutis ſuæ*, id eſt omnia comprehendens, & continens, quibus exprimitur ſumma Chriſti poteſtas, ac pleniſſima omnipotentia, IV. Ait Apoſtolus *hunc filium ſedere ad dexteram majeſtatis in excelſis.* Extat græce τῆ θρόνε τῆ μεγαλωσύνης, & hebraice, כבוד כסא; *Throni majeſtatis.* At Thronus majeſtatis ubique eamdem ſummam Dei gloriam ſignificat, ut in hunc locum oſtendit Grotius. V. Affirmat Paulus, hunc Filium eſſe tanto Angelis ſublimiorem, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit: quod eſt nomen Filii Dei nulli Angelorum conceſſum, *Cui enim* (inquit v. 5.) *dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Atqui etiam Angeli dicuntur in ſacris literis filii Dei, ut Pſalm. LXXXVII. & Job. I. 6. II. I: eoquod & ipſi filii ſint adoptione: Si ergo Chriſtus ſingulariter Filius appelatus eſt; non adoptivus erit, ſed proprius, unigenitus, ejusdemque conſors naturæ. VI. Vocat Apoſtolus hunc Dei filium v. 8. Deum v. 12. immutabilem, v. 14. ſingulis Angelis, ac miniſtris longe præſtantiorem: nec poterant de vero Deo digniora, ac ſublimiora nuntiari.

4. Probatio 3. ex Patribus Antenicænis.

Tertio probatur ex Patribus Antenicænis: inter quos afferunt primo quidam Eruditi Epiſtolam Sancti Barnabæ, ſed cum dubiam cenſeat Joannes Baptiſta Cotelerius, incerti auctoris Menardus, & exaratam poſt tempora Barnabæ Jacobus Armachanus, non opus eſt hanc proferre. Citabimus nos Hermam, de quo habes judicium noſtrum ſupra cap. v. Is ſimilitudine IX. ait: *Filius quidem Dei omni creatura antiquior eſt.* Accedit Ignatius in Epiſt. ad Magneſianos: *Qui ante ſæcula apud Patrem erat, & in fine apparuit.* Juſtini Philoſophi ac Martyris in Apologia hæc ſunt verba: *Porro filius ejus, qui ſolus proprie dicitur filius, Verbum ſimul cum illo ante creaturas exiſtens, & naſcens, quoniam per eum primitus cuncta condidit, & ornavit.* Tatianus etiam in Orat. contra Græcos, inquit: *Verbum igitur illud cæleſte, Spiritus à Patre genitus, & ratio ex rationali potentia, &c.* Conſimilia habet Athenagoras in Legatione pro Chriſtianis: in qua appellat Chriſtum *Primogenitam Patris progeniem, ex ipſo prodeuntem, ut rerum cunctarum idea & energia foret.* Irenæus denique lib. IV. adv. hæreſes cap. 7. *Hic enim Filius, qui eſt Verbum Dei ab initio præſtruebat, non indigente patre Angelis, uti faceret conditionem, & formaret hominem, propter quem & conditio fiebat.*

5. Probatio 4. ex ratione Theologica.

Ex dictis etiam Theologica efficitur ratio: quippe Generatio definitur origo viventis à vivente in ſimilitudinem naturæ: Verbi proceſſio eſt hujusmodi: Ergo eſt generatio. Minor probatur; nam Joannis XVI. 28. ipſemet Chriſtus ait: *Exivi à Patre, & veni in mundum:* Pſ. 2. 7. inquit idemmet Pater: *Hodie genui te:* Ad Galat. IV. 4. *Miſit Deus filium ſuum.* Quibus conſtat Verbi à Patre origo, ac proceſſio. Rurſus Joannis I. 4. legitur, *In ipſo vita erat.* v. 26. *Dedit filio habere vitam in ſemetipſo:* & Epiſt. 1. cap. 1. 2. *Annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* His verbis Filium viventem eſſe nemo non videt. Et denique ad Hebræos I. 3. appellatur filius *Splendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ* patris; quemadmodum Sap. VII. 26. *Candor lucis æternæ, ſpeculum ſine macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius.* Iis vero paternæ Gloriæ oſtenditur in Filio ſimilitudo. Quare nulla in eo deeſt germanæ conditio generationis.

Arii, et Socini Gregalibus respondetur.

6. Objectio 1. Arianorum.

Opponebant Ariani I. Verbum non Dei filius unigenitus eſt, ſed quaſi unigenitus, dicente Joanne cap. I. 14. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti, &c.* Non eſt ergo Unigenitus, proprius, ac naturalis. II. Cap. X. 36. *Quem Pater ſanctificavit* (inquit Salvator noſter) *& miſit in mundum, vos dicitis: quia blaſphemas: quia dixi, Filius Dei ſum?* Filius eſt ergo non natura, ſed adoptione per ſanctitatem, & gratiam. III. Appellatur ab Apoſtolo ad Coloſſenſ. I. 15. *Primogenitus omnis creaturæ*, & v. 18. *primogenitus mortuorum.* At primogenitus alios ejusdem conditionis filios connotat. Quare cum omnes alii ſint filii adoptivi, etiam Chriſtus in iſtorum numero comprehenditur. IV. In priori ad Corinthios cap. XV. 28. hæc leguntur: *Cum autem ſubjecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe filius ſubjectus erit*

ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Est ergo Christus Filius Dei sola administratione, & principatu Ecclesiæ, quam illi Pater cum plena potestate subjecit, ita tamen, ut absoluto temporalis Ecclesiæ regimine ipsemet Filius commissum sibi resignet imperium.

7. Solutio objectionis. Resp. ad 1. Verbum esse unigenitum Patris proprium ac naturalem, in sinu Dei reconditum, Patremque suum comprehendentem, ut affirmat Joan. cap. 1. v. 18. Neque oppositum probat particula *quasi* superioris versus 14. nam græcum ὡς, *quasi*, est ut plurimum ὁρισμοῦ, sive ut Hebræi appellant, לאמיתה כף scilicet definitivum, atque, ut scribit hom. 11. in Joannem Chrysostomus, ἐκβεβαιώσεως, ἢ ἀναμφισβήτε διορισμοῦ, *Confirmationis, & indubitatæ determinationis.* Ita Matthæi XIV. 5. legimus: *Quia sicut Prophetam eum habebant* Gr. ὡς προφήτην, & in Epist. ad Philem. *ut Paulus*, Græce, ὡς Παῦλος. Et est etiam consuetudo sermonis Regem majestate, regalique comitatu incedentem, sic paucis describere, vidimus magnificentiam, ut regis. Videatur citato loco Chrysostomus. Quod opponunt aliqui Lucæ III. 23. in his verbis, *Erat incipiens quasi annorum triginta*, τὸ *quasi* diminutivum esse, nihil efficit: quippe non extat hoc loco ὡς ὁρισικὸν, *quasi definiens*, sed ὡσεὶ *quasi indeterminatum.* Accedit participium *Incipiens*, quo innuitur sequentis adverbii, *quasi*, significatio: qui enim trigesimum annum incipit, nondum complevit. Sed neque conveniunt Chronologi de anno quo Christus ad baptismum accessit, & an incæperit, an expleverit annos triginta.

8. Solutio 2. Ad secundum respondet Estius Com. in Joannem non probare Christum hoc argumento se esse filium Dei, sed se non male & inconvenienter fecisse, quod se dixerit filium Dei. Si enim homines, propterea quod ad illos sermo Dei factus fuerit, Scriptura vocat Deos; quanto justius ille, quem Pater sanctificavit, & misit in mundum absque suspicione blasphemiæ vocare se poterit filium Dei? Refellit ergo Judæorum calumniam argumento quod appellant à minori ad majus. Cæterum hinc etiam eruitur Christum esse filium naturalem. I. Quia se præfert omnibus, quos vocat lex Dei filios; ideoque non est ipse, ut alii sunt, filius per adoptionem. II. Quia nemo dicitur mitti in aliquem locum nisi antea alibi fuerit; & consequenter, ut ait S. Thomas lect. 6. in cap. x. Joan. *Quem Pater misit in mundum, est filius Dei, qui in æternitate præextitit.* III. Quoniam, ut argumentatur Augustinus Tract. 48. in Joan. dixerat Christus paulo ante, *Ego, & pater unum sumus:* quod constat accipiendum esse de unitate potestatis, ideoque & substantiæ: his enim probat neminem posse de manu ejus suas rapere oves sicuti nequeunt rapi de manu Patris. IV. Quod Judæi sustulerunt lapides ut eum lapidarent, videntes se facere filium Dei. Ex qua criminatione colligitur revera Dei filium esse: quandoquidem si non agnovisset verum esse quod objiciebatur, debuisset pro Dei honore crimen objectum refellere, dicendo, *Non sum Deus*, sicut fecit Joannes dicens, *Non sum ego Christus.* Neque refert, dici Christum sanctificatum à Patre: quandoquidem sanctificavit illum Pater, quando genuit, ait Augustinus. Sanctificavit quoque ipsius humanitatem quando filium misit inquit libro de Trinit. VII. S. Hilarius.

9. Solutio 3. Ad 3. Resp. Christum dici juramento *primogenitum.* Primo quia hæc vox non solum est ordinis (quo sensu non convenit Christo, qui est unigenitus) sed etiam dignitatis, ut Gen. 49. 3. vocatur primogenitus *major in donis, & prior in imperio.* Deinde quia prior est genitus à Patre, quàm ulla creatura; ut habetur Prov. VIII. 22. Est enim Primogenitus, quasi, *prius genitus.* Præterea quia Primogenitus est princeps fratrum suorum, & Christus in Ecclesia primatum tenet: unde Apocalyps. I. 5. appellatur, *Primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ.* Rursus, quia primogenitus erat hæres paternorum bonorum, à cujus manu reliqui partem capiebant hæreditatis: & Filius est *hæres universorum*, ut ait Apost. ad Hebræos I. 6. & ipse *fecit nos regnum Patri suo*, ut habetur I. Apocal. 6.

10. Solutio 4. Ad 4. respondent quidam: Filium debellatis hostibus, & omnibus in potestatem redactis, subjiciendum esse Patri in Corpore suo mystico, quod est Ecclesia: quorum responsio Athanasii, Theodoreti, Gregorii Theologi, & Ambrosii nititur auctoritati. At alii cum Hieronymo, & Augustino censent Christum subjici Patri juxta dispensationem carnis assumptæ. Et sane de Christo ut homine Apostolus toto illo capite verba facit. Inquit vero subjiciendum in fine sæculorum, non quod subjectus modo non sit: sed, ut scribit S. Pater libro contra Sermonem Arianorum cap. XXXVII. *Ne quis in eo putaret spiritum, & corpus humanum aliqua conversione* peri-

periturum. Nec mirum; id enim opinati sunt Sabelliani & Marcionitæ, de quibus agit Ambros. lib. v. de Fide cap. VII. nec non quidam Ariani, quos perstringit loco citato Augustinus.

II. Objectio 2. Wolzogenii. Opponit 2. Wolzogenius. Causæ, ob quas Christus Dei sit filius quatuor potissimum in sacris literis memorantur, quarum nulla est vera ac propria generatio. Prima causa est, quia absque operatione viri ullius, virtute Spiritus Sancti immediate in utero Virginis conceptus est, nullumque adeo alium patrem præter ipsum Deum habuit. Quam causam indicavit Angelus, Mariam sic alloquens: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur filius Dei.* Altera causa est, quia à Patre sanctificatus, & in mundum missus, de qua supra. Tertia, quia eum Deus suscitavit à mortuis, atque ad vitam immortalem denuo quasi genuit. Hanc causam allegat Paulus in sua Concione, quam habuit Antiochiæ, ubi inter cætera sic fatur: *Annunciamus vobis promissionem, quæ facta est patribus, quod eam Deus impleverit nobis filiis eorum, dum resuscitavit Jesum; sicut etiam in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te,* Act. XIII. 32. 33. Quarta causa est, quia eum ad dexteram suam collocavit in cælis, donavit illi nomen, quod est super omne nomen, constituit eum Judicem vivorum & mortuorum: ob quam Divinam sublimitatem, & similitudinem cum Deo est ille in summo gradu, & perfectissima ratione Filius Dei.

12. Solutio Resp. hæc omnia sempiternam, divinamque generationem non evertere, sed confirmare. Enimvero Lucæ I. 35. prænunciat Angelus: *Quod nascetur ex te, vocabitur filius Dei;* hoc est, *non solum qui è sinu Patris in uterum tuum veniens obumbrabit tibi, sed etiam id quod de tua substantia sociabit sibi, ex hoc jam vocabitur filius Dei, quemadmodum is qui à Patre est ante sæcula genitus, tuus quoque amodo reputabitur Filius.* Ita Bern. hom. I. de laudibus Virginis. In hujus autem interpretationis præsidium adverto primum particulam *Ideo* ex præcedenti sermone consequentiam inferre: quapropter sensus est, *Quia Spiritus Sanctus superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi,* quo simul mira naturæ Divinæ, & humanæ declaratur unio, igitur quod nascetur ex te vocabitur, & erit Filius Dei. Ad hæc observo cum Gregorio Magno lib. XVIII. Moral. Job. 17. *Obumbrationis* vocabulum utramque significare naturam: umbra enim à lumine formatur, & à corpore: & Dominus per divinitatem lumen est, & per humanitatem corpus. Rursus animadverto cum eruditis viris haberi τὸ *Sanctum* neutrius generis, quod argumento est, Filio Virginis sanctitatem inesse essentialem, non, ut ita dicam, adjectivam. Item legi in Aethiopica versione, ubi nostra habet, *Hic erit magnus, Hic erat,* distinctis quoque characteribus: ut Tom. v. Polyglottæ Waltonianæ p. 249. Noto etiam supernaturalem Christi conceptionem peractam virtute Spiritus Sancti satis declarari illis verbis, *Spiritus Sanctus superveniet in te:* sequentia ergo innuunt aliquid præstantius, nempe unitionem Divinæ, humanæque naturæ. Postremo neminem negaturum puto, quod Christus Dominus potiori jure sit filius Dei, quàm Adam, quem tamen ex terræ sinu absque matre Altissimus procreavit; sed de priori causa jam satis.

13. Solutio ulterior. Ad tertiam (de altera enim supra) do Wolzogenio illud Psalm. 2. *Ego hodie genui te* etiam de Resurrectione dictum esse. Ita docent quippe nobilissimi Interpretes Origenes, Hilarius, Chrysostomus, Ambrosius. Sed excludi inde generationem æternam, perperam hæreticus jactitat. Locum Psalmi de imperceptibili divinaque generatione exponunt Gregorius Nyssenus, Cyrillus Alexandrinus, Athanasius: de temporali Athanasius ipse, Fulgentius, Euthymius: de resurrectione illi, quos jam memoravi. Neque tamen discrepant inter se. Statuendum primo hic Divinam probari generationem: quod præstat eruditissimus Bossuetius ita singulas particulas pensitans: *Dominus,* inquit, *dixit ad me;* non ad alios, sed ad me proprie, singulariter: *Filius meus es tu;* tu, inquam, & non alius. Ergo unicus, unigenitus, singularis. Quod nusquam ea emphasi dictum de quopiam. *Ego hodie genui te:* non ergo adscitus, non adoptatus, sed genitus: nec gratia, quod Angeli, quod homines; sed natura filius. Et quidem Apostolus ad Hebræos I. de propria, ac vera generatione hunc locum accipiendum esse declarat. De temporali Christi conceptione dictum quoque perquamoptime. Nam etiamsi Pater de sua substantia nequaquam humanam Christi naturam genuerit; temporali tamen generatione factum est, ut filius hominis fieret filius Dei naturalis,

ob

ob unionem, quam dicimus hypostaticam. Non aliter de resurrectione dicendum est. Ad hanc spectat illud *Hodie genui te*, quoniam Christus resurgens à mortuis se verum filium Dei manifestavit. *Pulchre autem Pater dicit ad filium: Ego hodie genui te, hoc est, quando redemisti populum, quando ad cæli regnum vocasti, quando implesti voluntatem meam, probasti meum te esse filium:* inquit lib. III. de Sacramentis cap. 7. Ambrosius. Præterea Christi resurrectio nihil aliud fuit, quàm æternæ ejus generationis progressus: cum enim natus sit filius Dei vivi, & ipse vita sit, necesse fuit, ut iterum ederetur, & quodammodo gigneretur; ait præcitatus Meldensis Episcopus. Ipse Christus Joannis XVII. 5. ita Patrem oravit: *Clarifica me tu, Pater, claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te.* Ergo claritas & gloria resurrectionis nihil est aliud, quàm revocatio Unigeniti Dei ad vitam, & jus originis suæ. Sive ergo de sempiterna generatione, sive de conceptione temporali, sive de resurrectione ex mortuis egregium Psalmi locum accipiamus, idem omnino concluditur.

14. Solutio. Ad quartam causam satis erit, si dixerimus omnes recensitas; aliasque Christi prærogativas ab æterna generatione, tanquam à primo fonte manare.

15. Objectio 3. Zwikeri. Opp. 3. Zwikerus: Antenicæni Patres, præsertim Herma, affirmant Filium Dei esse antiquiorem omni creatura, non generatione, sed prædestinatione. Nam Visione II. similia profert Herma de Ecclesia, dicens: *Omnium prior creata est, ideo anus: & propter illam mundus factus est.* At Ecclesia est prior tantum prædestinatione. Ergo & Filius Dei. Addit Auctor Irenici Irenicorum, Hermam similitudine v. Filium cum Spiritu Sancto confundere, dum ait *Filius Dei Spiritus Sanctus est.*

16. Solutio. Respondet Jonnes Ernestus Grabe in notis ad Bullum, Hermam putasse animas principio creatas antequam unirentur corporibus, (quem errorem tribuunt etiam Auctori Recognitionum Pseudo-Clementis, & defendit postea Origenes) atque Ecclesiam creatam initio sæculorum ratione animarum. Atquare non dicam potius creatam à principio ratione Angelorum, quorum pars ad Ecclesiam triumphantem pertinet? Nullum est igitur argumentum Zwikeri, & nulla erroris Hermæ probatio. Recte quoque Filius vocatur Spiritus, quod nedum est nomen particularis personæ, sed etiam Deo, Angelisque commune. Ita Filium dixerunt Spiritum Tertullianus in I. contra Marcionem, Lactantius lib. IV. de Sapientia cap. 6. Cyprianus de Idolorum vanitate, & alii. Nota sunt carmina Prudentii in Apotheosi:

Spiritus ille Dei, Deus & se corpore Matris
Induit, atque hominem de Virginitate creavit.

CAPUT X.

Joannis Ludovici Wolzogenii adversus Divinam generationem sophismata.

SUMMARIUM.

à num. 1. usque ad ultimum enervantur argumenta, quæ primum Ariani; dein fratres Poloni, & hos inter Wolzogenius congesserunt.

Wolzogenii sophismata contra Divinam Generationem. HACTENUS argumenta directe contra Scripturas ac Patres pugnantia. Sequuntur ea, quæ syllogizando primum Ariani, deinde Fratres Poloni, & hos inter Wolzogenius, congesserunt. Sunt autem hujusmodi.

1. Objectio 1. I. Si Pater, qui omnium confessione est summus Deus, aliam personam ex essentia sua genuerit, sequeretur alium Deum genuisse: quemadmodum fieri videmus in humana generatione, ut Pater quando filium ex essentia sua gignit, alium hominem gignat. Itaque per istam generationem ex uno Deo fient duo Dii, sicut in humana generatione ex uno homine fiunt duo homines. Quemadmodum enim in generatione humana Pater & Filius habent numero distinctam essentiam, quia Pater habet essentiam suam à seipso, Filius essentiam suam accepit per generationem à Patre: ita in Divina generatione erit statuendum. Ideo hanc sententiam tempore Nicæni Concilii, in quo Arius damnatus est, viguisse inter Patres, ex Symbolo illius Concilii liquet; ubi Christus dicitur esse *Deus de Deo.*

2. Solutio. Resp. negando sequelam. Quando enim inter Deum & creaturas comparatio instituitur, debemus omnem imperfectionem istarum ab illo removere; quemadmodum in eo asserentes naturam,

tum, operationes, potentiam, aliaque id genus, omnem amovemus conditionem mutationis, accidentis, qualitatis, & cæteras imperfectiones, quæ insunt creaturis. Generatio est origo unius personæ ab alia cum naturæ similitudine. Quod gignens, & genitus sint res subsistentes, & ille huic naturam ac proprietates communicet, perfectio generationis est. At quod Genitor tempore præcedat genitum, quod natura dividatur & abscindatur, quod generatio sit actio accidentalis, fiatque seminis decisione, quod fœtus paulatim formetur, habeatque incrementa; id non ad generationis essentiam, sed ad defectum pertinet creaturarum. Itaque dico in hominum generationibus filium esse hominem diversum à patre, quoniam natura corporum non est simplex, sed fluida, & generatio ex materiæ effluxione peragitur: at Deus cum sit impartibilis, gignendo non dividit essentiam, nec influxio in ipso est, ut in hominibus. Atque ita respondent Arianis similia objicientibus Athanasius, Gregorius Nyssenus, Hilarius.

3. Solutio ulterior.

Quod de Patribus Nicæni Concilii addit hæreticus, maxima est ingenuæ ipsorum fidei calumnia. *Dei* nomen aliquando pro Persona, aliquando pro essentia accipitur, ut ait lib. III. cap. 4. & 11. Damascenus, & nos ostendimus cap. VI. ad 8. opp. Appellatur ergo Dei filius Deus de Deo, id est, Persona Divinia ex persona Divina: quomodo dicitur Ecclesiastici ultimo *Invocavi Dominum patrem Domini mei*, & Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo.* Quapropter hæc propositio, *Deus genuit Deum*, vera est: hæc autem, *Essentia genuit essentiam*, aut, *Deitas Deitatem*, à nullo Catholicorum admittitur. Etenim prior terminum habet *concretum*, altera *abstractum.* Ista autem, *Filius est ex substantia Patris*, vera est, & Catholica, quia substantia jungitur personæ generanti. At si absolute diceres, *Filius est ex essentia*, *aut divinitate*, falsa esset enunciatio; quoniam essentia communis est, non generans, neque genita.

4. Instantia cum solutione.

Dices: Si Deus genuit Deum, vel genuit se Deum, vel alium Deum; non genuit se, quia nulla res potest se ipsam gignere; non alium Deum, quia unus est Deus. Ergo Deus Deum non genuit. Resp. dist. majorem: vel genuit se, vel alium Deum; id est genuit aliam personam quæ est Deus; conc. personam habentem aliam divinitatem nego. Plura de hoc argumento Gregorius Ariminensis Distinct. IV. Q. 1.

5. Instantia cum solutione.

Insurges: Deus Pater genuit Deum qui non est Pater: Deus, qui non est Pater, non est verus Deus: Ergo Deus, quem genuit Pater, verus Deus non est. Resp. dist. majorem. Genuit Deum, qui non est Pater, si nomen *Dei* supponat pro divinitate; nego suppositum, quippe, ut diximus, divinitas non gignitur, neque gignit: si supponat pro Persona, concedo majorem, & nego minorem.

6. Objectio 2.

Opp. 2. Pater, & Filius eamdem numero essentiam habent. Igitur Filius dum ex Patris essentia est genitus, simul & ex sua essentia genitus erit: Ergo est sui ipsius Filius, & sui ipsius etiam Pater.

Solutio.

Resp. dist. conf. Filius de Patris essentia est genitus, scilicet de Patre, qui est sua essentia, concedo, de essentia, quæ à Patris proprietate separata percipitur; nego. Dum profitemur Filium ex Patris essentia esse genitum, non fatemur Divinam essentiam absolute acceptam esse principium generationis: ita enim sequeretur præfatum absurdum, quod Filius sit ex essentia sui ipsius, quia habet eamdem cum Patre naturam: sed dicimus Filium esse genitum ex essentia relative sumpta, & quatenus est essentia Patris, una nempe proprietate personali subsistens. Quamquam vero accuratius diceretur, Filium genitum esse à Patre, quam ex essentia, quia hæc nec gignit, nec gignitur; admittimus tamen hunc loquendi modum, propterea quod Pater qui generat est sua essentia, & Filius genitus est ipsamet essentia Patris. Sed legite Sanctum Patrem Augustinum XV. de Trinit. cap. 3. & 14.

7. Objectio 3.

Opp. 3. Ab omni æternitate Deus summus extitit: Ergo si Filius Dei proprie generatus fuit, Deus summus non est; cum generatio proprie dicta sit mutatio de non ente in ens. Accedit quod omnis Pater semper tempore est prior filio. Si enim non est necesse, ut id quod generatur, antea non extiterit; poterit id generari quod jam re ipsa existit: ac porro nihil prohibebit, eum qui hodie re ipsa est, nec esse desinit, cras, aut indies generari. Quis vero id absurdum esse non videt, & contra omnem generationis naturam?

Solutio.

Resp. nego consequentiam; siquide n necesse est, ut summus Deus sit ab omni æternitate; sed non est necesse, ut existens in omni æternitate sit innatum. Non enim ad generationem in Divinis præexistentia Patris requiritur, sed sufficit conditio originis: quam Patres adversus Arianos disputantes explicant comparatione caloris prodeuntis ex ignis

natura, aut luminis, quod à sole diffunditur. Non enim fuit aliquando ignis priusquam gigneret insitum sibi calorem, neque sol processit de non esse principio luminis ad esse: sed statim ac producta fuerunt, ab illis caloris, luminisque manavit proprietas. Ita Deus Pater, qui fuit ab æternitate, semper Verbum genuit, ut, si extitisset sol ab æterno, semper illuminasset: unde universalis Ecclesia appellat Filium, *Deum de Deo, lumen de lumine.* Rationem hanc reddere possumus; quod generatio non sit in Deo energia, & operatio adveniens personæ, eamque de potentia trahens ad actum; neque connotet terminum extrinsecum ac mutabilem: sed est substantialis, & intrinseca, eaque Deus Pater semper est in potentia & in actu. Quæ Wolzogenius in Arianorum palæstris edoctus optime percepisset, si audito Eunomio, Cyrillum, Hilarium, aliosque Patres legisset. Nunc negamus generationem, quæ non est actio ac motus, esse transitum de non esse ad esse; & dicimus sufficere ad generationem æternam, ut Filius accipiat naturam à Patre, quam potest ab eo recipere, etiamsi sit illi coæternus. Negamus quoque omnem patrem præexistere filio; quum potius summa patris fœcunditas, & generatio substantialis nullam inter genitorem, ac genitum differentiam patiatur ætatis; & illi tantum patres filios præcedant, quorum operatio non est natura, nec potentia est essentialiter actus. Postremo negamus posse hominem cras generari, qui nunc existit, quoniam generatio creaturæ perficitur tempore, in quo præteritum nequit esse futurum. At in æternitate, ubi non est antea, & post, sed immutabilis permanentia, semper Verbum gignitur ac semper est.

9. Instantia cum solutione.

Insistes: Quod corrumpitur desinit esse; ergo quod gignitur incipit esse. Resp. cum Estio dist. IX. §. III. nego consecutionem; etenim gigni non aliud est, quam accipere esse, etiamsi non esse non præcesserit; corrumpi autem non est accipere non esse, cum non entis proprie nulla sit causa, sed est amittere esse: ideoque si proprie loquamur, sicut quod corrumpitur amittit esse, ita quod gignitur accipit esse: id, quod etiam in Filio Dei verum est. Hæc Estius.

10. Obiectio 4.

Oppones 4. Si Deus ab æterno genuit Filium, nunc autem non amplius gignit, factus est ex generante non generans: quæ mutatio cum non ad creaturas spectet, sed intra ipsum Deum consistat, in Deum non cadit, nec cadere ab Adversariis agnoscitur. Adde quod Filius Dei, vel ex libera Dei voluntate, vel ex necessitate naturæ fuit à Patre genitus. Si ex libera voluntate, potuisset etiam non generari à Patre. Si autem Filius Dei poterat non generari à Patre, adeoque non existere, non est Deus summus. Quod si vero Deus filium ex necessitate naturæ genuit, perpetuo gignit; cum natura ejus sit semper prorsus eadem, & immutabilis.

11. Solutio.

Resp. ad 1. ut supra, id est, de ratione æternitatis esse, ut nihil in ea prætereat, nihil adveniat. Cum ergo generatio Divina sit æterna, impium est dicere, Pater cessavit à generando; sed ita dicendum est, quemadmodum semper fuit, & est, ita Filius semper est natus, & semper nascitur: semper fuit genitus, & semper gignitur. Nec sequitur, quod olim objiciebant Ariani, si adhuc Pater generat, nondum erit Filius perfecte genitus. Est enim semper & perfecta generatio, & perfectus terminus; quippe, ut diximus, generatio Divina non est actio adveniens, sed naturalis: neque ullus dixerit splendorem nondum perfectum, eoquod sol non cesset illum producere. Ex loquendi tamen consuetudine, etsi semper nasci filium diserte Patres affirment, *melior est semper natus, quam qui semper nascitur*, ut ait Augustinus in libro 83. Quæst. q. 37. nimirum accepto verbo nascendi in eo sensu, quo filius necdum perfecte natus intelligitur: vere enim semper natus est, quia semper Filius.

12. Solutio reticuli Arianorum.

Huc spectat consimile reticulum Arianorum: vel Pater genuit Filium existentem, vel non existentem; si genuit existentem, frustra genitus est: si genuit non existentem, ergo Filius aliquando non fuit. Liquet enim ex dictis respondendum esse, generationem Divinam, cum sit æterna, tribuere Filio, ut semper sit, & semper recipiat existentiam à Patre: nec proinde destruitur natura generationis, quia hæc non consistit in productione rei prius non extantis, quod proprium est creationis, sed in origine viventis à vivente, quæ stare potest cum sola conditione originis. Ad quam originem nulla requiritur præexistentia; sed sufficit, si quod habet Filius habeat à Patre, tametsi ambo sint coæterni: quod idoneis exemplis supra explicavi. Eapropter dicendum est: Pater genuit Filium existentem, quatenus Pater semper est principium ut existat Filius; & Filius semper recipit existentiam à Patre. Si hæretici, quibuscum pugno, Patrum reciperent testimonia, producerem modo aptissima ex Basilio lib. 2. con-

tra Eunomium, Hilario lib. XII. de Trinit. Cyrillo in x. Thesari, & Augustino Epist. 174. Sed pervicaces præstat refutare æternitatis natura, quam nequeunt summo Deo denegare.

13. Solutio. Ad ultimum, de quo gravis olim fuit inter Catholicos, & Arianos conflictus, dico utrumque dici posse, Filium genitum necessitate, & Filium genitum voluntate, & utrumque posse etiam negari. Nam si necessarium accipias pro eo quod est naturale, & undequaque immutabile; dico cum Athanasio Orat. 2. Filium necessario productum, cum sit fœtus substantiæ, non ex deliberatione natus, ut contendit olim Eunomius. Quod si necessarium accipias pro eo, quo quispiam indiget; dico cum Augustino in XV. de Trinit. cap. 20. Filium non esse necessitate gentium, quia necessitas indigentiæ in Deo non est. Pari ratione si voluntarium sumas, pro eo quod non est coactum, neque vim affert inclinationi, Filius natus est voluntarie, ut inquit in lib. 1. contra Arium Marius Victorinus: non enim aut à se ipso, aut à Filio, aut à Spiritu Sancto, aut à creaturis cogi potuit Deus ut gigneret Filium; quum nemo cogat se ipsum, neque productum cogere possit producentem. Si vero dixeris voluntarium, quod est liberum & indifferens, ut accepit Arius in Epistola ad Eusebium Nicomediensem, & Alexandrum Episcopum Alexandriæ, nego cum Fulgentio in libro III. ad Monimum cap. VIII. gigni Filium Dei voluntarie; quia in generatione Unigeniti nulla in generante præcessit deliberatio: Denique si simul comprehendas deliberationem & indigentiam, assero cum Epiphanio Hæresi 69. & Augustino loco citato, Filium neque voluntate esse genitum neque necessitate, sed natura.

14. Quæsitum cum Responsione. Si quæras an Filius possit dici genitus ex Patris consilio; Resp. distinguendum esse; nam si consilium accipias aut pro animi deliberatione, aut pro ut imperfectam significat sapientiam, Pater non genuit Filium consilio: si autem consilium accipias, quatenus opponitur corporali passioni, sive ut idem est cum divina substantia, quæ est sua voluntas, consiliumque: ex consilio Patris Filium genitum esse, Synodus Sardicensis definit.

15. Objectio ultima Wolzogenii. Opponit ultimo Wolzogenius: Si essentia Patris etiam Filius est, sequitur necessario etiam intellectum Patris esse intellectum Filii, atque adeo etiam opera, quæ ab intellectu Patris proficiscuntur, à Filii intellectu proficisci, & promanare. Ergo si Pater per operationem intellectus sui generat Filium, sequitur Filium etiam se ipsum generare. Imo etiam Spiritus Sanctus generavit Filium, cum habeat eamdem essentiam, eumdemque intellectum; estque adeo Filii Pater, & origo suæ originis.

16. Solutio. Resp. utique intellectionem qua Pater producit Filium esse eamdem essentiam Patris, hanc vero cum omnibus suis perfectionibus absolutis esse tribus Personis communem; nec tamen veram esse consecutionem, quam urget hæreticus: quippe intellectio quæ producit Filium, non est substantia intelligens absolute accepta, quam appellant Theologi intellectionem *essentialem*; sed est substantia intelligens relative accepta, quam vocant intellectionem *Notionalem*. At non repugnat unam eamdemque rem esse communem pluribus si accipiatur absolute, esse propriam unius personæ si accipiatur relative. Quapropter negamus operationem, qua Pater generat Filium communem esse, licet communis sit intellectio essentialis, & Pater omnia communicet Filio, excepta proprietate personæ. Vide Responsionem nostram ad 1. Oppos. cap. VI. Quod enim de essentia diximus, idem de intellectu Divino dicendum est. Atque hic sit finis nostri pro Verbi Generatione certaminis: in quo desinant aliquando hæretici humano sensu garrire, memores scriptum esse: *Generationem ejus quis enarrabit?* ab Esaia cap. LIII. 8. & à Prudentio.

Cum sit difficilis via, noscere principiorum
Semina: cui dabitur mortali exquirere, quidnam
Ultra principium Deus egerit? aut quo pacto
Ediderit Verbum, quod principio caret omni?

CAPUT XI.

Filium Dei esse Patri Consubstantialem.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. 4. 5. & 6. Filium Dei esse Patri consubstantialem, probatur primò ex nominibus Dei quæ etiam filio attribuuntur.
7. 2dò Idem evincitur ex attributis Dei, summi, & altissimi.
8. 3tiò ex Dei altissimi operibus.
9. 10. & 11. 4tò Ex perfecta filii cum Patre æqualitate.
12. 13. 14. & 15. Removentur aliqua contraria ab Arianis excogitata.

Quæstio de Consubstantialitate verbi.

SEQUITUR Quæstio, cujus gratia aliæ præmissæ sunt, de Verbi consubstantialitate, quæ licet ex dictis possit resolvi, cum nequeat Patri esse Filius naturalis & coæternus, quin eamdem habeat cum Genitore substantiam; cum tamen plura sint scitu necessaria pro Filii hujus divinitate, & item plura quæ ab hæreticis opponuntur præter hactenus dicta; specialiter de Verbi natura hoc capite agendum est: quam eamdem esse cum Patre, sequentibus argumentis demonstratur.

Momentum I. Ex Nominibus Dei, quæ etiam Filio tribuuntur.

1. Momentum 1. ex Nominibus Dei, quæ filio tribuuntur.

Tetragrammaton Dei nomen יהוה soli Deo vero ac summo tribuitur, ut diximus cap. 1. hujus libri: Atqui nomen istud יהוה *Jehova* tribuitur Filio: Ergo Filius est Deus verus ac summus. Prob. minor 1. Esaias VI. ait: *Vidi Dominum* (יהוה) *sedentem super solium excelsum & elevatum.* De vero ac summo Deo loqui prophetam constat ex nomine tetragrammato; ex Searphim, quæ clamaverunt, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus:* ex verbis ipsius Esaiæ, *Et regem Dominum exercituum vidi oculis meis.* At Esaias vidit gloriam Christi; ut habetur Joannis cap. XII. v. 41. Ergo Christus est יהוה Deus ille verus, ac summus. II. Idem Esaias cap. VIII. 13. ait: *Dominum exercituum* (יהוה) *ipsum sanctificate: Ipse pavor vester, ipse terror vester. Et erit vobis in Sanctificationem; in lapidem autem offensionis, &c.* Dictum de summo Deo quis non videt? Atqui Esaiam hæc pronunciasse de Christo constat ex cap. 11. Lucæ v. 34. & ex Epist. ad Rom. cap. IX. v. 32. Christus ergo Deus summus est. III. Zacharias cap. XI. 12. scribit *appenderunt mercedem meam triginta argenteos: & dixit Dominus* (יהוה) *ad me: projice, &c.* Quæ de Christo prædicta esse liquet ex cap. XXVII. Matth. v. 9. Plura vide apud Huetium de Demonst. Evang. Prop. VII. Ludovicum Habert. De Deo Trino cap. IV. &c. Quæ possent objici soluta sunt supra cap. 1.

2. Probatio 2.

II. Tribuitur etiam Verbo *Dei* nomen, quod nullibi absolute & sine addito in novo testamento de creaturis enunciatur, cum tam Latinum vocabulum *Deus*, quàm Græcum Θεὸς proprium sit, non appellativum, ut demonstrat lib. III. cap. 6. Irenæus. Exemplum ex multis sit Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Nonnulla de hoc textu dicamus. Respondent Sociniani Græce haberi, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, scilicet nomen Θεὸς, *Deus* absque articulo: sine quo non potest summus ille Deus designari. Ita Faustus Socinus contra Bellarm. cap. 6. Classe 4. Hoc miserum perfidiæ fulcrum acceperunt ab Asterio Arii Socio, de quo orat. III. Athanasius. At validissimis argumentis illud everto. 1. Ipse Socinus pag. 407. fatetur regulam istam ad articulos spectantem non esse in Græca lingua perpetuam. Et quidem ὁ θεὸς cum articulo enunciatur de falsis Gentium Diis 2. ad Corinth. IV. 4. ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος, *Deus hujus sæculi*: ad Galat IV. τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς, *iis qui non natura sunt Dii*, & alibi quam sæpissime. Econtra Θεὸς absque articulo verum Deum significat Matth. IV. 4. Et eodem cap. 1. Joannis v. 6. Ἐγένετο ἄνθρωπος ἀπεσταλμένος παρὰ θεοῦ, *Fuit homo missus à Deo*: v. 12. τέκνα θεοῦ γενέσθαι, *Filios Dei fieri*: v. 13. ἀλλ' ἐκ θεοῦ ἐγεννήθησαν, *sed ex Deo nati sunt*: v. 18. Θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε, *Deum nemo vidit unquam, &c.* II. Si θεὸς cum articulo designat unum summum ac verum Deum; Ergo Deus summus & verus erit Christus, quem Thomas ita Joannis XX. 28. allocutus est, *Dominus meus, & Deus meus:* Græce cum Articulo Ὁ κύριος μου, καὶ ὁ θεός μου; quo in loco Socinus ait pronomen μου impedire, quo minus de vero Deo intelligatur; sed adversus cæcam mentiendi libidinem stant testimonia luculentissima Scripturarum, quæ eodem adjecto pronomine veram divinitatem compellant,

lant, ut Psalmo XXI. *Deus, Deus meus, respice in me;* Psalm. XXX. 15. *Ego autem in te speravi, Domine: dixi, Deus meus es tu:* aliisque locis compluribus. Ac multo minus valet, quod legerunt aliqui, præfata Thomæ verba non ad Christum referri, sed ad Patrem, quasi figuram habeant exclamationis. Etenim ex præmissa Græcorum lectione, liquet Thomæ verbis articulum, non signum admirationis præponi, & nominativum esse, ὁ κύριός μου, ὁ θεός μου, non casum vocandi: atque ex contextu patet referenda illa esse ad Christum, cum quo Thomas loquebatur: quippe legitur, *Respondit Thomas & dixit ei, &c.* Quamobrem acerrimus Sociniani dogmatis propugnator Wolzogenius veritate cogente Comment. in Joan. pag. 1028. *Nullo modo*, inquit, *audiendi sunt, qui Thomam hæc verba non ad Christum, sed ad Deum patrem protulisse censent: quasi mirabundus, oculis in cælum sublatis, dixerit: ô Deum immortalem, quid video? quid tango?* III. Cur Joannis I. Θεὸς absque articulo sit, hæc est ratio apertissima, quod articulus *subjecto*, non *prædicato* soleat præponi, ut animadvertit hom. 3. in Joan. Chrysostomus. Cui nos hæc addimus exempla, Matth. II. 2. σὺ εἶ ὁ χριστὸς, *tu es Christus.* Jo. I. 21. ὁ προφήτης εἶ σὺ; *Propheta es tu?* Jo. IV. 24. πνεῦμα ὁ θεὸς, *Spiritus est Deus;* ubi articulus semper *subjecto* præponitur. Neque omittam ingenuum Wolzogenii testimonium, qui pag. 715. scribit: *Initio advertendum est: in Græco ordinem Verborm esse transpositum, & recto ordine ita legi deberet, Et sermo erat Deus, ut nimirum Sermo subjectum sit, Deus prædicatum: quod etiam alii, nempe Beza, Piscator, Maldonatus, & è veteribus Hilarius, & Basilius observarunt.* Quibus nos causam adversus Socinianos vicisse arbitramur.

3. Roboratio probationis.

Neque Verbum appellatum est Deus, quomodo Moyses & Prophetæ dicti sunt aliquando. I. Quia id in novo Testamento est, ut diximus, penitus inusitatum, nec ullus absolute Deus nuncupatur: imo neque in veteri Testamento nomen istud reperies substitutum loco nominis יְהוָה *Jehova*, ubi accipi minime debeat de vero Deo. II. Quia teste Apostolo I. ad Corinth. 8. etsi Gentilibus sint Dii multi, & Domini multi, *Nobis tamen unus Deus est, Pater, & unus Dominus J. C.* ideoque si Verbum Deus est, esse debet ille idem Deus unus, qui est Pater. III. Quia Socinia-ni fatentur Verbum esse Deum titulo quodam sublimiori ac præstantiori, qui nulli convenit creaturæ: imo contendunt veram illud habere divinitatem; & ne objiciatur illis, servire eos duobus Diis, reponunt Dominum Jesum esse Deum & quidem verum, non vero Deum illum Altissimum, qui tantum unus est. Nam, inquiunt, divinitatem & potestatem Filius non ipse sibi sumpsit, sed eam à Deo illo uno Altissimo accepit. De hac Filii vera divinitate disputat Wolzogenius in Joan. cap. VIII. Quæ num stare possint cum veræ divinitatis perceptione, judicet cordatus lector. Itaque si Verbum, horum confessione, Deus est specialissimo quodam titulo; non est profecto Deus, quemadmodum Moyses, Judices, & quotquot fuerunt divino numine afflati.

4. Probatio 5.

III. Non tantum Deus appellatur Christus, sed in Epist. ad Romanos cap. IX. 5. *Deus super omnia benedictus in sæcula:* Atqui iisdem verbis describitur Deus Altissimus in Epist. ad Ephesios cap. IV. 6. Est ergo Christus Altissimus ille Deus laudibus, gratiisque in sæcula prædicandus. Cui argumento tria reponere solent Sociniani. Primo Socinus ait Deum hoc loco poni cum restrictione *Super omnia*; sed quis mente omnino non destitutus, dixerit propositionem ἐπὶ, *Super*, quæ rei ac personæ denotat præeminentiam Matth. XXIV. 47. Lucæ I. 33. Act. VIII. 27. & ad Eph. IV. 6. nunc deprimere & coarctare sensum verborum, sequente præsertim nomine res universas comprehendente? Porro si ita res se habeat, neque Pater erit Deus ille Altissimus, de quo citato loco Apostolus: *Qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus.*

5. Objectio Erasmi cum solutione.

Secundo respondet Erasmus esse *Epiphonema*, id est, acclamationem ad Patrem; ita ut verba illa sint à præcedentibus, *Ex quibus est Christus*, interpunctione secanda. Sed contra Erasmum hæc gravissima urgemus. I. Quod in Græco extat articulus, qui si *Epiphonema* foret, perperam esset appositus. II. Quoniam additur etiam participium ὁ ὤν, quod relationem dicit ad præcedentia, neque nota est novæ orationis, sed veteris. III. Quia nullum Erasmus antiquorum, & optimæ notæ Bibliorum proferre potest exemplum: quod cum ipse adverteret abiit in deteriorem sententiam, de qua mox disseram. IV. Quod ipsemet Socinus interpunctionem rejiciat, ut faciunt viri fere omnes, quos Criticos sacros appellant. V. Quia Erasmi regula est Græcum articulum,

dum Dei præponitur nomini, determinatam significare Personam.

6. Objectio Erasmi cum solutione.

Tertio censet idem Erasmus, & etiam Grotius, nomen Dei in Paulinam Epistolam irrepsisse. Quod probat Erasmus, quia Cyprianus, Hilarius, & Chrysostomus videntur legisse: *Qui est benedictus in sæcula*, Dei nomine prætermisso. Grotius vero inquit neque in Syriaca reperiri versione, neque consuetæ locutioni Pauli convenire, qui Patri nomen *Dei*, Filio nomen *Domini* solet tribuere. Verum respondeo: decipi Erasmum. I. Quia necesse non est, ut ubique à Patribus Scripturarum textus integri proferantur. II. Quia Erasmus, Auctore Petavio lib. II. de Trinit. cap. IX. n. II. mendoso Cypriani Codice deceptus est. III. Quia Erasmum temeritatis damnat & consensus vetustissimorum Codicum, & antiquorum Patrum auctoritas. Germanam namque esse lectionem nostram, constat ex Irenæo lib. III. cap. 18. Tertull. contra Praxeam cap. 13. Novatiano de Trinit. cap. 13. August. libro I. contra Faustum cap. 3. & 6. & aliis pluribus, quos in hac de Verbi divinitate Quæstione citant L' Herminier, & Petavius, & qui hos præcessit, & Erasmum impugnavit Alphonsus Salmeron. Grotio autem respondeo: non solum in Syriaca versione nomen *Dei* reperiri, sed etiam ad Christum referri; ita enim habet Syrus: *Apparuit Meschicho in carne, qui est Deus super omnes: cui sunt laudes & benedictiones in sæculum sæculorum, Amen.* Idem habet etiam Arabicus, ut vidimus in Polyglottis. Atque his versionibus mira accedit firmitas Catholicorum sententiæ. Neque Apostolus ubi nomen Domini tribuit Filio, negat esse Deum: quod alibi demonstravimus. Sed & tribuit Christo Dei nomen ad Titum II. 10. & III. 4. 13. &c. Denique etiamsi *Dei* nomen deesset, probaretur inde Filii divinitas, quoniam esse benedictum in sæcula juxta Scripturarum sanctarum phrasim non potest nisi soli Deo convenire.

Momentum II. Ex Attributis summi, & altissimi Dei.

7. Mometum 2. de Consubstantiale verbi ex attributis Dei. Probatio

Ille supremus Deus est, cui summi Dei conveniunt Attributa: Filio summi Dei Attributa conveniunt; Ergo Filius summus Deus est. Prob. minor. Summus Deus dicitur Psalmo 76. 14. *Deus Magnus*: quo nomine etiam ab Apost. ad Titum 2. 13. Christus afficitur. Ait enim Apostolus: *Expectantes beatam spem, & adventum gloriæ Magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi.* Nec valet responsio Arianorum dicentium dividendum comma, ita ut magnus Deus sit à Salvatore nostro diversus; quippe non Pater, sed Filius venturus est ad judicium; & in Græco non præponitur σωτῆρος, *Salvatoris*, articulus, quomodo præponendus esset, si Salvator alius esset à Magno Deo. II. Filio tribuitur Æternitas Mich. v. 2. *Egressus ejus ab initio, & à diebus æternitatis.* Quod extat hebraice מִקֶּדֶם מִימֵי עוֹלָם

Ante principium, ante dies sæculi. Ubi perperam Schlichingius, & Wolzogenius solam antiquam prosapiam Christi autumant designari, cum *Egressus* nativitatem, originemque significet, non familiæ nobilitatem. Nam quod ait Wolzogenius haberi hebraice plurali numero *De egressibus* ad demonstrandam longam seriem majorum; id quidem nihil nos urget, sive dicamus cum Galatino duplicem à Propheta memorari Christi generationem; sive cum linguæ Sanctæ peritis, plurali numero magnitudinem & excellentiam antiquæ nativitatis ostendi. Egressionem vero, & originem, quod idem opponit hæreticus, non repugnare æternitati, superiori capite demonstravimus. III. Convenit Filio etiam Omnipotentia, dicente Apostolo ad Colossens. I. 16. *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.* Et ad Hebræos I. *Portans omnia verbo virtutis suæ.* De aliis Attributis vide Tournely Tom. 2. pag. 195. Juenin dissert. v. de Incarnat. Etium dist. 9. §. VIII. &c.

Momentum III. Ex Dei Altissimi Operibus.

8. Momentum 2. ex Dei altissimi operibus. Probatio.

Inter opera, quæ Deo conveniunt, neque possunt nisi infinita virtute perfici, connumerantur remissio peccatorum, mortuorum Resurrectio, collatio Spiritus Sancti, & intima secretorum cordium cognitio; quæ à solo Deo propria omnipotentia patrari, & Sacræ literæ docent, & evidens ratio demonstrat. At Filius Dei hæc omnia virtute propria peregit. Primo Matth. IX. 2. ait Paralytico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Atque, ut ostenderet se habere potestatem remittendi peccata, *Surge*, inquit, *tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Significari autem hoc loco potestatem divinam, non excellentiæ, quæ etiam Sacerdotibus competit, constat; nam cogitantibus quibusdam Scribis Christum blasphemare, & dicentibus in corde suo, *Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus?* videns Jesus cogitationes eorum dixit: *Ut quid*

quid cogitatis mala in cordibus vestris, &c. Fatetur ergo se illum verum Deum esse, qui solus habet potestatem dimittendi peccata: atque, ut animadvertit Chrysostomus, talem se esse tribus miraculis comprobavit; nempe cogitationum Scribarum cognitione, peccatorum remissione, & paralytici curatione. II. Filium Dei propria virtute à mortuis surrexisse liquet tum ex cap. II. Joan. 19. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud;* quod ut Evangelista scribit. *Dicebat de templo corporis sui:* cum ex cap. X. 17. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Quorum verborum vim non tollunt quæ consequuntur: *Hoc mandatum accepi à Patre meo;* ex quo Dei mandato pendebat (inquit Wolzogenius) utraque illa potestas Christi, & ponendi animam, & eamdem resumendi. Quippe præceptum ad opus meriti spectat, non ad gloriam; videlicet ad passionem & mortem, non ad resurrectionem ex mortuis. Præterquam quod non pendet à Dei mandato potestas, sed supponitur. At habeat, inquit hæreticus, Christus potestatem moriendi proprie, improprie vero potestatem resurgendi, quoniam ejus resurrectio tribuitur Patri ad Galat. I. 1. ad Ephes. I. 17. Act. XIII. 15. Verum hanc ego ex adverso infero consecutionem: A se ipso habet Christus potestatem ponendi animam suam, & potestatem iterum sumendi eam: si prior potestas est propria, igitur & alterra Atqui potestas propria mortuos resuscitandi competit soli Deo; unde Christus dicitur resuscitatus à Patre: Ergo Christus Deus est, & habet eamdem cum Patre potestatem. Præterea: Si potestas resuscitandi mortuos propria est Patris, quia ipsius virtute Christus surrexit: pari jure propria erit hæc potestas in Filio, quia in noviſſimo die ipsius voce, ac potentia resurgent omnes, qui sunt in monumentis; ut scribit idem Evangelista cap. v. 25. 28. Cætera, quæ addit hæreticus, se non potuisse non ridere, cum legeret apud Maldonatum, quod solius Dei est potestatem habere ponendi animam suam, non moror. Deum namque posse mori ratione humanitatis assumptæ rident tantum impii homines, qui Incarnationis mysterium ignorant: atque ita ponere animam, ut nemo hanc possit tollere vi tormentorum, quomodo ponere habuit potestatem Salvator, qui ibidem ait, *Nemo tollit eam à me:* id quidem probat Personam posse mori, non necessitate naturæ, sed libera voluntate, & ratione formæ servilis, quam induit, non divinitatis quam non potest admittere. Hæc vero quomodo fieri possint, dicam de Verbi Dei Incarnatione. Tertia operatio solius Dei est dare, conferre, ac mittere Spiritum Sanctum: quod competere Filio ostendam inferius. Nunc præstat audire Augustinum XV. de Trinit. cap, 26. *Quomodo Deus non est, qui dat Spiritum Sanctum? Imo quantus Deus est, qui dat Deum? Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant.* Prostremo, ut mittam creationem, & gubernationem rerum universarum, quam convenire Filio docet Joannes cap. I. 3. & Apost. I. ad Hebræos, &c. scrutari corda certus est divinitatis character, ut habetur Jeremiæ XVII. 10. *Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* Quod tribuitur etiam Filio Apocalyps. II. 23. eique competere constat ex Evangelica historia. Profero exemplum unum ex cap. XXI. Joannis, ubi Petrus v. 17. vit: *Domine, tu omnia nosti: tu scis, quia amo te.* Quo in loco neque Petrus erravit, qui à Christo mercedem accepit; neque Christus ex sola Patris revelatione cordis alieni penetralia cognovit, qui ideo vidit, quia novit omnia.

Momentum IV. Ex perfecta Filii æqualitate cum Patre.

9. Momentum 4. ex perfecta æqualitate Filii cum Patre. Probatur I. pars.

Fieri non potest, ut non sit summus Deus, qui eadem cum Patre indiscriminatim opera perficit, qui est cum illo eadem beatorum æterna vita, ac felicitas, qui unam cum eo habet divinitatis substantiam: Talis est Filius: Ergo Filius summus & altissimus Deus est. Minor probatur quantum ad primam partem. Joannis cap. v. 17. ait ipsemet Christus: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Sunt ergo eadem opera Patris, & opera Filii. Quod argumentum ut melius percipias; animadverte primo, quod supra notavimus, Judæos hæc audientes voluisse ipsum Christum interficere: *Quia Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Intelligunt ergo Judæi, quod non intelligunt Ariani, ut inquit Tractat. XVII. in Joannem Augustinus. Deinde recole quæ de hoc Testimonio diximus cap. IX. Prob. 2. quoniam non solum veram Filii generationem demonstrant,

strant, sed etiam inseparabilem operationem. Rursus observa, Evangelistam non scripsisse, quod Judæi quærebant Jesum interficere, propterea quod ex eorum malevolentia arbitrarentur illum se facere æqualem Deo; sed, *Quia Patrem suum dicebat Deum, & æqualem se illi faciebat;* ideoque ea verba non ex malignantium corde, sed ex Apostolica proficiscuntur auctoritate; quomodo probat Petavius lib. II. cap. VIII. n. XIV.

10. Probatur 2. pars. Prob. 2. pars. Idem Joannes cap. XIV. 9. refert hæc verba Christi: *Philippe; qui videt me, videt & Patrem.* Ergo dummodo videatur Filius, habetur æterna vita, & sempiterna beatitudo, & consequenter Deus est. Pro qua pariter argumentatione notanda sunt aliqua. Ac primum cum Augustino Tract. in Joannem 70. non videri unum viso alio, nisi sint perfecte similia. In exemplo, ex uno homine non cognoscitur alius, si diversam habeant staturam, diversum colorem, diversaque lineamenta. Ea propter si viso Filio videtur Pater, sunt ambo modo perfectissimo similes. At nulla creatura omnimodam habere potest cum Deo similitudinem; ideoque Filius, in quo Pater videtur, creatura nequaquam erit. Præterea, ut scribit Hom. 74. Chrysostomus, si duæ res diversam habeant substantiam, in una non potest alia videri: non enim ex auro argentum, ex equo hominem possumus recte cognoscere; Si ergo qui videt Filium, videt & Patrem, erit una, eademque substantia utriusque. Adde his quæ Joannes scribit 1. Epist. cap. v. 12. *Qui habet Filium; habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet;* & cap. XX. *Hic est verus Deus, & vita æterna.* Male Grotius, qui Socinianis in Explicatione Joannis sæpe sæpius cohæret, iliud, *Hic est verus Deus,* ad Patrem refert, ut contendit ipse Socinus in Comment. & contra Bellarm. cap. v. classe 3. argum. 12. Quamquam enim græcum pronomen demonstrativum οὗτος, aliquando ad remotiora refertur, (quod accidit perraro,) communiter tamen ad proxime præcedentia spectat, ut Joan. 1. 2. 7. 30. & cap. v. 6. &c. Atqui proxime præcedit, *Filius.* Ergo ad Filium attinet pronomen istud. Accedit, quod scopus Joannis in alia Epistola est demonstrare Filium esse verbum vitæ, & vitam æternam, ut constat ex cap. 1. 1. 2. Igitur scopus Apostoli exigit, ut ad Filium spectent postrema verba, οὗτος ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεὸς, καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος. Perperam ergo conantur hæretici hoc evertere testimonium, quod sanctus Athanasius in disput. contra Arium habita in Nicæno Concilio appellat *Scriptam Demonstrationem.*

11. Probatur 3. pars. Tertia pars probatur ex verbis Christi Joannis cap. x. 30. *Ego, & Pater unum sumus.* Videndum est, num de unitate substantiæ loquatur Filius. De hac reapse loqui hæ argumentationes evincunt. 1. Hæc Christi sententia eo tendit, ut probet non posse rapi de manu Patris quidquid non potest rapi de manu filii: Ergo Patris & Filii eadem potestas est, adeoque substantia. Quod est argumentum Hilarii in VII. de Trinit. & Cyrilli lib. VII. & VIII. in Joannem. 11. Ex quo nemo possit rapere oves de manu Patris, sequitur quod is *major sit omnibus,* ut habetur ibid. v. 29. Igitur major omnibus erit & Filius, qui addit, *Et nemo potest rapere de manu Patris mei: Ego, & Pater unum sumus.* Vide Chrysostomum Hom. 61. III. Judæi ad præfata verba sustulerunt lapides, ut lapidarent eum de blasphemia, quia cum homo esset faceret se ipsum Deum. At opinionem Judæorum non corrigit, sed confirmat tum argumento à minori ad majus supra producto; cum ex operibus Patris, quibus ostendit Patrem in Filio esse, & Filium in Patre. Fatetur itaque semetipsum verum Deum esse, ac talem sese appellavisse. Præterire nolo præclaram Augustini sententiam Tract. LXXI. in Joannem. *Audi Sabelliane; usque adeo non ipse Pater, ut eum Arianus inæqualem asserat Patri. Audi Ariane: usque adeo Filius æqualis est Patri, ut Sabellianus eumdem esse dicat & Patrem. Tu adde quod tollis, tu adimple quem minuis; & nobiscum ambo consistitis. Quia nec tu tollis, nec tu minuis eum, qui & alter est à Patre, ut convincas Sabellium, & æqualis Patri, ut convincas Arianum. Utrisque enim clamat, Ego, & Pater unum sumus. Quod ait, unum, audiant Ariani: quod ait, sumus; audiant Sabelliani: & nec illi æqualem, nec illi alterum negando sint vani.*

12. Objectio Arianorum. Reponunt Ariani Patrem & Filium unum esse voluntatis, & operationis consensu, quomodo Christus Joannis XVII. orat Patrem, ut Fideles sint unum dicens: *Rogo, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* Et infra; *ut sint unum, sicut & nos unum sumus.* Legitur & Act. IV. 32. *Multitudo credentium erat anima una, & cor unum.* Similiter in prima ad Corinth. VI. 17. *Qui adhæret Deo unus Spiritus est.* Item cap. III.

III. ejusdem Epist. 8. *Qui plantat, & qui rigat unum sunt.* His locis, inquiunt, sermo est de voluntatis concordia, non de unitate substantiæ. Ergo idem est affirmandum de v. 30. cap. x. Evangelii Joannis.

13. Solutio 2. Resp. 1. Quidquid sit de aliorum locorum significatione, Evangelica verba præter unitionem consensus etiam substantiæ demonstrare unitatem, sive attendas Joannis scopum, qui est commonstrare Patri Filioque unam esse *manum* ac potestatem, ut paulo ante dicebam: sive cum Eugenio Carthaginensi in Fidei Professione ad Hunnericum, advertas non de voluntate sua Christum agere, sed absolute proferre, *Unum sumus*, non *Unum volumus*: sive cum Augustino in VI. de Trinit. cap. 3. nullibi inveniri in Scripturis dictum simpliciter, *unum sunt* de iis, quorum est diversa natura; quod observat quoque D. Thomas lectione in hunc locum quinta.

14. Solutio 2. Deinde singula expendam. Joannis XVI. 21. 22. non potest unitas designari naturæ. 1. Quod particula καθὼς, *sicut*, similitudinis nota est, non vinculum æqualitatis, ut Lucæ VI. 36. & Matth. V. 48. ubi non æqualitas perfectionis & misericordiæ Patris injungitur, sed præcipitur imitatio. Vide Orat. 3. contra Arianos Athanasium. II. Quia non petit Dominus, ut simus unum in natura humana, sed ut simus unum in Patre & Filio, *Ut & ipsi*, inquit, *in nobis unum sint:* quibus aperte significatur unitas charitatis & dilectionis. Vide de Augustinum in IV. de Trinit. cap. 9. III. Falsum est nos cum Deo sola voluntatis concordia necti, cum ipsi uniamur etiam quodam vinculo substantiali tum in Incarnatione, qua Verbum nostram sibi copulavit naturam, cum in Eucharistiæ Sacramento, in quo ejus corpore pascimur; ut disputant Cyrillus, & Hilarius: quorum sententiam accurate tractat insignis Theologus Cardinalis Gotti Quæst. 1. de Trinit. Dub. 2. §. 2. n. XXVIII. IV. Cum Ambrosio lib. IV. de Fide cap. 2. retorquetur Arianorum argumentatio. Nam nisi Christus se à creaturis separaret, non præmitteret, *Ut unum sint, sicut tu Pater in me, & Ego in te;* sed potius dicendum fuisset, *Sicut tu in nobis, & nos in te:* At Filius unit se Patri, & priora verba præmittit: Ergo Filius separat se à creaturis. Quod additur ex Act. IV. 32. & I. ad Corinth. VI. 17. & cap. III. 17. ita resolvitur ab Augustino in III contra Maxim. cap. 20. *Quando de rebus duabus, aut pluribus dicitur unus est, vel una est, & additur quid unus, vel quid una; & de his, quæ sunt unius substantiæ dici potest. Diversæ sunt enim substantiæ spiritus hominis, & spiritus Domini, & tamen dictum est, Qui adhæret Domino, unus Spiritus est: Unius autem substantiæ sunt animæ hominum, & corda hominum; de quibus dictum est, Erat illis anima una, & cor unum. Ubi autem dicitur de duobus, aut pluribus, unum sunt, nec additur quid unum sint, non diversæ intelliguntur, sed unius esse substantiæ: sicut dictum est, Qui plantat, & qui rigat unum sunt: Et, Ego & Pater unum sumus.*

15. Solutio 3. Addam ego *Animam, spiritum, & cor* frequenter accipi in Scripturis pro motu animæ, & desiderio. Ita *anima* accipitur Genes. XXIII. 8. *Si placet animæ vestræ*, & Joan. X. 24. *Quousque animam nostram tollis?* Ita *spiritus* Num. XIV. 24. *Caleb plenus alio spiritu secutus est me.* Et ad Rom. XI. v. 8. *Dedit illis Deus spiritum compunctionis.* Ita & *cor* Deut. XXIX. 18. *Cujus cor adversum est à Domino.* Et Matth. VI. 21. *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Sunt exempla hujusmodi frequentissima. Quid ergo stupent hæretici, si præfata testimonia de unione voluntatis explicamus, & non item alia, ubi neque anima, neque spiritus, neque cor memorantur? Plura alia argumenta tractant Theologi; sed nos ea fusiori stylo complexi sumus, quæ valeant quempiam convincere, dummodo non sit in errore cæcus, & pertinax.

CAPUT XII.

Solvuntur contrariæ opinionis argutationes.

SUMMARIUM.

à num. 1. usque ad 33. deteguntur fallaciæ hæreticorum.

1. Objectiones solvuntur de Consubstantialitate Veritatis.

LATEBRAS Transylvanorum tentavimus: ubi hæretici plurium errorum portentis hæresim pernicioſissimam tutantur, Christum & verum Deum, & Unigenitum Patris, & Divino honore dignum confitentes, & tamen æter-

Objectio 1.

æternum, & genitum ex substantia Patris, Deumque altissimum denegantes. Horum autem tergiversationes tantæ sunt, ut nullus error pari machinationum numero propugnetur: quas & Crellius in libro de uno Deo Patre, & Socinus contra Volanum, & Wiekum, & Joannes à Wolzogen ex Calvinista novus Samosatenicus, & alii copiosis Voluminibus editis, Satana magistro, invenerunt. Adversus harum machinarum fragorem nos ipsos valido præsidio munivimus. Nunc jungunt se Arianis, eorumque armis nos iterato certamine lacessire non desinunt: atque hæc objiciunt. 1. Ipse Filius Joannis XIV. 28. profitetur se Patre inferiorem, dicens: *Pater major me est.* Itaque non est Patri consubstantialis.

2. Solutio. Resp. dist. antec. profitetur se inferiorem Patre ratione humanitatis assumptæ, concedo: ratione personæ ac naturæ, cui copulavit humanam, subdistinguo, profitetur se minorem origine, concedo; minorem potestate aut substantia, nego. Quippe si Patre hoc pacto esset minor, quomodo eodem cap. v. 9. dixisset: *Qui videt me, videt & Patrem?* Quomodo verum est, quod scripserat Joan. cap. v. 18. *Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo?* Quomodo cap. XVI. 15. ait ipse Filius: *Omnia quæcunque habet Pater mea sunt?* si omnia Patris, ut arguit 1. de Trinit. Victorinus, sunt & substantia, & potestas, & dignitas. Quomodo denique ait Apostolus ad Philipp. II. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo,* videlicet, rem alienam non usurpavit, dum se Patri suo fecit coæqualem? Itaque in hac Scripturarum sanctarum diversitate, ad diversam Christi naturam est recurrendum, ut ait Augustins II. de Trinit. cap. 1. *Filius est æqualis Patri secundum formam in qua erat, & minor Patre secundum formam servi, quam accepit.* Id priori distinctionis nostræ membro complexi sumus. Nam in altero Patrum Græcorum indicata est responsio, qui dicunt Filium minorem Patre secundum *habitudinem* causæ, eoquod Pater origo sit filii, ut loquitur in 1. adversus Eunomium Basilius, Orat. v. Gregorius Nazianzenus, & hom. 75. Chrysostomus. In quorum scriptis advertendum est nomen causæ ac principii indiscriminatim usurpari, quod usitatissimum est Græcis omnibus. Videtur tamen mihi verior sententia Latinorum, qui dicunt Filium se minorem feciſſe Patre propter humanitatem; primo, quia inquit Christus: *Gauderetis utique quia vado ad Patrem; quia Pater major me est.* At ad Patrem ibat non ratione divinitatis, secundum quam nunquam à Patris gloria recessit, sed ratione duntaxat humanitatis. Deinde quia nullibi scriptum est Patrem esse majorem Spiritu Sancto, aut Spiritum Sanctum minorem Patre, quia Spiritus non sic creaturam assumpsit, sicut à Verbo assumpta est natura hominis; inquit Augustinus in 11. de Trinit. cap. 6. Hæc tamen salva Græcorum Patrum dignitate dicta sint.

3. Instantia fausti socini. Obstrepit Faustus Socinus in Animadvers. ad Theses Collegii Posnanensis pag. 437. Continent hæc affirmantia verba *Pater major me est*, aperte negationem hanc, *Ego non sum tam magnus, ut Pater.* Atqui simpliciter de Persona quapiam nullo pacto quicquam negari potest, quod ei secundum aliquam naturam conveniat. Ergo nullo pacto negari potest Filium esse tam magnum ut Pater, si Filio id secundum aliquam naturam competeret. Probatur minor. Nemo simpliciter negaverit hominem quantum esse, quia ejus anima revera non sit quanta: satis est enim, si ejus corpus sit quantum, ut revera est. Ergo similiter si Christus secundum divinitatem tam magnus esset ut Pater, nullo Pacto id simpliciter negari potuisset; quamvis revera secundum humanitatem tam magnus non sit.

4. Solutio. Resp. nego *suppositum* minoris: non enim de Persona Filii simpliciter negatur, quod sit tam magnus ut Pater; quomodo nec simpliciter affirmatur illum Patre minorem esse: sed cum duplici constet natura, secundum unam æqualem, secundum alteram minorem Patre pronunciamus. Ita nemo simpliciter negat hominem esse quantum, licet quanta non sit ejus anima, quia cum homo constet ex anima & corpore, quantus est ratione corporis, non quantus ratione animæ. Quare concedo consequentiam, & retorqueo argumentum: Ex quo homo sit quantus ratione corporis, non sequitur quin sit spiritualis ratione animæ; & absque ulla contradictione vera est utraque propositio, *homo corporeus est, homo spiritualis est.* Igitur ex quo Christus sit minor patre secundum humanitatem, non infertur quin sit æqualis Patri secundum divinitatem: & vera est enunciatio, *Ego & Pater unum sumus,* vera & altera, *Pater major me est.*

5. Instantia Wolzogeni. Instat Wolzogenius in libro de *Utili lect. novi Testam.* p. 328. Dici nequit, Christum nec conceptum esse de Spiritu San-

Sancto, nec natum ex Virgine, nec creviſſe, nec ediſſe, nec bibiſſe, nec fleviſſe, non mortuum, non reſuſcitatum, nec alia innumera, quod ei nihil horum competat ſecundum Divinam naturam. Ergo neque dici poteſt eſſe æqualem Patri, extitiſſe ab æterno, creaſſe mundum, fuiſſe in cælo antequam naſceretur ex Virgine, & alia hujus generis, quia nihil horum ei competit ſecundum naturam humanam.

6. Reſp. nego conſequentiam. Cum enim Chriſtus ſit ex duplici natura compoſitus debent de eo affirmari quæcunque utrique naturæ conveniunt, quomodo de homine qui conſtat ex corpore & anima, affirmatur quod ſit corporeus, & quod ſit ſpiritualis. Quare dici nequit Chriſtum nec conceptum eſſe, nec mortuum; quia id ei competit ſecundum naturam humanam; & dici nequit non eſſe æternum, non eſſe Deum altiſſimum, non eſſe Conditorem ſæculorum, quum id illi competat ratione divinitatis.

Solutio.

7. Dices: Multa alia ſunt ſacrarum literarum loca, quibus Filii cum Patre oſtenditur inæqualitas. 1. Petitur ex Jo. v. 19. ubi Chriſtus ait: *Non poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi videat Patrem facientem.* Et v. 30. *Ego nihil poſſum à me ipſo facere.* Quomodo igitur Filius poteſt eſſe ſummus Deus? II. Id illa loca confirmant, in quibus Chriſtus oſtendit ſe non eſſe auctorem ſuæ doctrinæ; ut cum inter alia inquit Jo. VII. 16. 17. *Doctrina mea non eſt mea, ſed ejus qui miſit me.* III. Huc ſpectant ea loca, quibus teſtatur ſe miſſum à Patre Jo. III. 16. ab ipſo accepiſſe mandata Joan X. 18. ad Patrem fudiſſe preces Joan. XVII. I. IV. Accedunt loca, quibus Filius vocat Patrem Deum, ac Dominum ſuum, ut XX. 17. *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum.* Et Paulus I. ad Corinth. 3. 23. ait: *Chriſtus eſt Dei.* V. Fatetur etiam Salvator ſe habere aliam voluntatem à Patre, Matth. XXVI. 39. *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.*

Inſtantia.

8. Reſp. Hæc, quæ olim Ariani, nunc Sociniani opponunt, Divinitati Salvatoris noſtri non adverſari. Ad I. enim Reſp. cum Gregorio Nazianz. lib. IV. Theologiæ: Filium non poſſe à ſe facere quicquam, quia una eſt Patris ac Filii poteſtas, una, eademque operatio. Quæ reſponſio conſtat ex verbis immediate ſequentibus: *Quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit;* atque etiam ex præcedentibus: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Vide & Ambroſium lib. IV. de Fide cap. 3. Poſſumus textum etiam de Filio, ut homine, exponere.

Solutio.

9. Arguit Wolzogenius: Si Filius videre debeat Patrem facientem, Pater erit norma & regula Filio. At qui ſe in operibus ſuis ad normam & regulam alterius componit, non eſt Deus ſummus: Ergo Filius Deus ſummus non eſt.

Inſtantia Wolzogenii.

Reſp. diſt. majorem. Si Filius videre debeat Patrem facientem, ut diſcipulus artificem, à quo docetur, conc. Si videre illum debeat, ut unigenitus Patrem, à quo per generationem accipit eſſentiam ac ſapientiam; nego. Vide Gregorium Nyſſenum lib. contra Eunomium XII. ubi explicat omnem operationem Filii ad formam operationis Paternæ, ſimilitudine imaginis eamdem motionem habentis cum ſuo archetypo, dum ſe contemplatur in ſpeculo.

Solutio I.

10. Quod ſecundo objicitur, nullius eſt momenti. Quærit enim Tract. in hunc locum S. P. Aug. Si mea, quomodo non mea? Si non mea, quomodo mea? Brevis reſponſio: mea, quia ſum Dei Verbum, ac Sapientia. Non mea, quia non à me originaliter profecta. Sicut enim Filius Dei eſſe ſuum habet à Patre, ita quidquid ejus eſt, ſive vita, ſive ſcientia, ſive operatio ſimiliter eſt à patre. Propterea etiam appellat doctrinam Patris, ne credatur per humanam induſtriam comparata. Aut loquitur ex hypotheſi, & ſenſu Judæorum, qui opinabantur ipſum diverſum voluntate ac doctrina à Patre, ſuam facere voluntatem, & doctrinam ſuam ſpargere; cum una ſit ipſius ac Patris voluntas. Et quidem ſæpiſſime negativæ propoſitiones in ſacris libris non negant ſimpliciter, ſed ſecundum hypotheſim, & cogitationem eorum, ad quos dirigitur ſermo: ut Joan I. 21. Baptiſta negavit ſe eſſe Prophetam, & Eliam, ſcilicet eo modo, quo intelligebant Judæi, cum eſſet revera Propheta, & etiam ſpiritu & virtute eſſet Elias. Hæc poſtrema reſponſio non patitur inſtantias Sociniano-rum;

Solutio 2.

11. Nam urget Wolzogenius: Si Filius tantum doctrinam ſuam retuliſſet ad Patrem, potuiſſet intelligi eum una cum Patre eſſe illius auctorem: At negat eam ſuam eſſe, & ſoli Patri eam adſcribit. Ergo non eſt auctor ſuæ doctrinæ.

Inſtantia Wolzogenii.

Itaque reſpondeo diſt. minorem: Negat ſecundum hypotheſim Judæorum, concedo: negat ſimpliciter; nego. Aut dico negare ſe auctorem eſſe doctrinæ, quatenus illam habet à Patre.

Solutio I.

12. Solutio 2. Ad testimonia tertio producta Resp. S. P. Augustinus lib. contra Serm. Arianorum cap. VI. *His testimoniis Sanctarum Scripturarum, quid persuadere conantur, nisi propterea Patris & Filii diversas esse naturas, quia obediens Patri ostenditur Filius? Quod tamen de hominibus non utique dicerent: neque enim si homo filius homini Patri sit obediens, ideo amborum diversa natura est.* Fuit ergo Filius missus à Patre, eique obediens spectata natura humana, neque sive missio, sive obedientia probant necessario inæqualitatem personæ.

13. Instantia Wolzogenii. Instat Wolzogenius: Mandata accepit Christus à Patre, quatenus legatus ipsius fuit: Legatum autem statuunt Christum Trinitarii, in quantum Deus est: Igitur Christus in quantum Deus, Patris mandato subjicitur.

Solutio 1. Resp. dist. minorem. Statuimus nos Christum legatum Patris secundum Divinitatem, ita ut divinitas sit *forma*, quæ Mediatoris nostri obedientiam ac mortem reddiderit summe dignam; concedo: ita ut Mediator ac Redemptor noster secundum formam Dei fuerit Patri subjectus, mortemque subierit; nego. Præterea mandatum Patris etiam ad Filii Verbum, & βελημα, ut cum Augustino explicat Petavius in VI. de Trinit. cap. IV. n. 5.

14. Solutio 2. Ad quartum duppliciter S. P. respondet, 1. in priori libro de Trinit. cap. VII. *Patrem etiam Deum esse unigeniti filii, quoniam factus est homo, & natus ex fœmina.* II. Tract. in Joan. CXXI. *Non ait, Patrem nostrum: aliter ergo meum, aliter vestrum; natura meum, gratia vestrum. Neque dixit Deum nostrum: ergo & hic aliter meum, aliter vestrum; Deum meum, sub quo & ego homo sum; Deum vestrum, inter quos & ipsum Mediator sum.*

15. Instantia Wolzogenii. Wolzogenius insurgit: Deum alicujus esse hebraica phrasi significat benefactorem esse alicujus, ut constat ex cap. XX. Lucæ. v. 38. Ergo quod Christus Patrem Deum suum vocat, ex eo validissime probatur non esse Deum summum, sed beneficio Patris fuisse à mortuis suscitatum.

Solutio. Resp. Transs. ant. quippe Lucas ait Deum non esse mortuorum, hoc tantum sensu, quod omnia illi vivant, faciantque verbum ipsius: & nego consequentiam; Nimirum Deus summus assumpsit naturam humanam, in quam potuerunt Patris beneficia diffundi. Verba Matth. XXVI. 39. probant tantummodo fuisse in Christo duplicem voluntatem, & in humana naturale desiderium propriæ vitæ, quæ tamen perfecte rationi subesset, neque cum deliberata voluntate pugnaret. At de his in libris de Verbi Incarnatione, adversus Monothelitas.

16. Objectio 2. Opp. 2. Summus Deus habet essentialem bonitatem, plenitudinem potestatis, perfectissimamque scientiam: Hæc non habet Dei Filius. Ergo Dei filius non est ille verus ac summus Deus. Prob. minor; Matth. XIX. 17. dum vocaretur Filius Magister bonus, ait: *Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi unus Deus.* Item cap. XX. 23. respondit filiis Zebedæi: *Sedere ad dexteram, & sinistram non est meum dare, &c.* Rursus de extremo judicii die cap. XXIV. 36. inquit: *De die autem illo, & hora, nemo scit, neque angeli cælorum, nisi solus Pater.* Igitur Filius, neque bonitatem Divinam, neque summam potestatem, neque plenitudinem habet sapientiæ.

17. Solutio. Resp. nego min. quandoquidem Christus se bonum appellat Jo. X. 11. 14. sibique collatam omnem potestatem in cælo, & in terra, testatur Matth. XXVIII. 18. In ipso etiam omnes thesauros sapientiæ, & scientiæ esse absconditos ait ad Coloss. II. 3. Apostolus. Quare ad 1. vera est responsio Gregorii Nazianz. Orat. 36. & Augustini in III. contra Maxim. Christum juveni sic occurrisse, *Quid me dicis bonum?* quasi diceret: Si me arbitraris purum hominem, cur bonum appellas? Si bonum fateris, oportet ut Deum credas, cum solus Deus sit vere bonus, & omnis boni fons & origo. Quibus non propriam negat bonitatem, sed adolescentis fidem attollit.

18. Instantia Wolzogenii. Insistit Wolzogenius: longe aliter Christus argumentatur; nempe sic: Solus Deus altissimus est bonus: Ego non sum Deus Altissimus; Ergo ego non sum bonus.

Solutio 1. Resp. dist. min. Inquit Christus, Ego non sum Deus altissimus revera & in me ipso; nego. Ait, non sum Deus Altissimus in sensu illorum, qui me tanquam legisperitum, hominemque purum interrogant, concedo. Vide supra responsionem nostram ad v. 16. cap. VII. Joan. & Chrysostomum in hunc locum, qui observat Christum interrogari, quasi unum quempiam legis Magistrum.

19. Solutio 2. Alter locus cap. XX. 23. quamquam cum Aug. in 1. de Trinit. cap. XII. possit exponi, quod regnum dare non sit humanæ potestatis; melius cum eodem S. P. in Ps. CXXVI. ita explicatur. Meum non est dare superbis, qui illud petunt aut terrenum, aut jure consanguinitatis; sed meum est dare humilibus, quibus paratum est à constitutione mundi,

ut

ut supra cap. xxv. 34. Quibus verbis filios Zebedæi à studio φιλοπρωτείας ad humilitatem revocavit: *Quid est*, inquit, S. P. *non est meum dare vobis? non est meum dare superbis; hoc enim adhuc erant.* Habemus ex parte consentientem Socinianum, qui pag. 346. ait: *Sensus est, non est meum dare præter eos, quibus paratum est à Patre meo.*

20. Instantia Wolzogenii. Sed inquit: Eccur Christus non haberet potestatem regnum istis duobus dare, si Deus summus esset? Et cur non dixit potius: Sed quibus à me, vel à Patre meo, & à me paratum est?

Solutio 1. Respondeo, Deum summum non habere potestatem dandi regnum superbis, quia illud paravit humilibus. Paratum vero à Patre, quoniam is fons est summi imperii ac potestatis; quam sibi competere diserte Filius testatur Lucæ xxii. 29. Neque dicendo, *à Patre*, excludit se ipsum, qui Jo. xvi. 15. ait: *Omnia, quæ habet Pater mea sunt.* Imo quod apud Matth. dicitur *paratum à Patre*, Marci x. 40. legitur absque Patris mentione. Meminit quoque Patris, ut ostenderet, etiam Patrem, cui est una cum Filio voluntas, non petitionibus deferre regnum, sed meritis.

21. Solutio 2. Postremæ objectionis ex cap. xxiv. Matth. 36. missis variis responsionibus, quas erudite persequitur Petavius lib. 2. cap. 3. hæc solutio sit. Nescit Filius diem judicii, ut singularis persona est, & Deus homo plenus gratiæ & veritatis, nego. Nescit, ut Caput Ecclesiæ, in quantum non debet diem illum manifestare, ut homines continuo adventum Judicis formident; conc. Qui legislatoris aut judicis officio fungitur, dicit se nescire quidquid nefas est revelare. Nec mentitur tamen, quamvis ut singularis persona noverit, quæ à se ignorari fatetur. Ita judex ait se nescire rei crimen: ita Confessarius pœnitentium peccata. Recte Augustinus in 1. de Trin. cap. 12. *Hoc enim*, inquit, *nescit, quod non ita sciebat, ut tunc discipulis indicaret.*

22. Instantia. Dicet hæreticus: hoc pacto etiam Pater, qui nobis diem judicii non revelavit, illam diem dicendus est ignorare.

Solutio. Resp. nego assumptum; nam Pater revelavit Filio; nec ipse officio enunciandi aliquid, aut legatione apud homines fungitur: quod munus est Filii.

23. Objectio 3. Opp. 3. Ille non est Deus altissimus, qui gratia divinitatem obtinuit. At Filius gratia adeptus est divinitatem. Ergo Filius non est Deus altissimus. Minor prob. 1. ex Epist. ad Philipp. ii. 9. *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* ii. Ex Epist. ad Hebr. v. 5. *Christus se ipsum non glorificavit, ut Pontifex fieret.* iii. Jo. v. 22. *Pater omne judicium dedit filio.* iv. Ex Act. 2. 36. *Dominum eum, & Christum fecit Deus.* v. Ex 1. ad Corinth. 1. 30. *Factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio.* vi. Ex Apocalyp. v. 12. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, &c.* Itaque Filius & nomen, & gloriam, & judicium, & sapientiam, & Redemptoris characterem, & divinitatem ipsam munere, & beneficio Dei Patris obtinuit.

24. Solutio. Resp. nego minorem. Ad probat. dico: Filium hominis factum fuisse Dominum ac Deum, sapientiam, sanctificationem, & redemptionem nostram, quando Verbum caro factum est; ita ut hæc omnia sint & naturalis proprietas, & beneficium. Quippe si humanam natutam spectas ante Incarnationem Divini Verbi, quemadmodum gratia est ipsius assumptio, ita est gratia quidquid ad ipsam Incarnationem consequitur. At ex quo Verbum factum est caro, transiit jure naturali ad filium hominis quidquid Verbum erat, divinitas, sapientia, potestas, & rerum omnium dominium. Ita ergo Christus ratione humanitatis factus est Deus, quia humana natura nexu substantiali ad jura divinitatis transivit. Prædestinatus est autem Christus, ut homo, ad tantam nominis exaltationem etiam propter passionis humilitatem; qua gloriam promeruit, ut per crucis mortem & obedientiam singularem acquireret, quod jure hæreditario suum erat. Decretum enim fuerat, ut pateretur, & ita intraret in gloriam suam. Neque enim absque passione glorificatus esset titulo Redemptoris, aut factus esset caput Ecclesiæ, quam acquisivit sanguine suo; licet sine passione absolute potuisset glorificari in sua persona, & jam à primo conceptionis instanti Patris sui frueretur contuitu. Hac ratione Agnus occisus accepit virtutem & divinitatem, quia merito passionis suæ habuit potestatem divitias misericordiæ, & dona Spiritus Sancti hominibus largiendi. Sic in Apocalypsi v. 12. ubi legimus *divinitatem*, habet Græcus, καὶ πλοῦτον, & *divitias*, sensu non malo. Imo suspicatur qui Estii prosequitur Commentaria, pro *divinitatem*, olim scriptum *divitatem*, quomodo legitur apud Gellium lib. iv. cap. 1. *divitare.* Sed quæ vix attigi, erunt studiosis, post assiduam Sacrorum interpretum lectionem, vulgatissima.

25. Objectio 4. Opp. 4. Verbum in ea quoque substantia, in qua ante Incarnationem præextitit, creatura est. Non est ergo Patri consubstantialis. Prob. antecedens. I. Ex Prov. VIII. 22. *Dominus creavit me initio viarum suarum.* II. Ex cap. XLII. Matth. 18. *Ecce servus meus electus, quem elegi.* III. Joannis I. 15. *Qui post me venturus est, ante me factus est.* IV. Eadem verba Joannis I. 3. *Omnia per ipsum facta sunt*, demonstrant, Verbum esse instrumentum productum à Patre, ut eo in mundi creatione uteretur. Hæc Ariani.

26. Solutio I. Resp. nego ant. quod non probant producta Scripturarum Sanctarum loca. Primum enim ex cap. VIII. Prov. 22. quod nos ad Divinam Verbi naturam fatemur esse referendum, licet Athanasius Orat. 3. contra Arianos accipiat pro humana, ob triplicem causam frustra nobis objicitur. Nam legendum est: *Dominus possedit me:* non, *Dominus creavit;* cum id habeat latina versio, & fons hebraicus, יהוה קנני, & Græcis facile fuerit substituere κύριος ἔκτισέ με, *Dominus creavit me*, pro, κύριος ἐκτήσατο με, *Dominus possedit me*, ut non solum Aquila animadvertit, sed etiam hæresi 69. Epiphanius. At *possidere* generationem, non creationem significat, ut Gen. IV. 1. *Possedi hominem per Deum.* Dein admissa Græcorum lectione, quæ minime antiquis Patribus displicuit, nego verbum κτίζειν, *creare*, solum dici de rebus quæ producuntur ex nihilo, cum & filii, & Magistratus, & urbes κτίζεσθαι dicantur, & Græcum verbum aliquando gignere, aliquando creare, aliquando constituere, aliquando condere significet; ut demonstrat lib. contra Adv. legis S. Augustinus. Præterea hoc verbo κτίζειν pro *creare* accepto, non repugnat Dei Sapientiam dici creatam, quatenus quidquid creatum est habet in Dei Verbo rationem sui: quomodo in domo dicimus productam ideam artificis. Quod & explicat S. Pater in VII. de Trinit. cap. 3. & stylo parabolico congruit. Sed ad primum responsum est: pergamus itaque ad reliqua.

27. Solutio. 2. Cap. XII. Matth. concedo hæreticis hanc lectionem, *Ecce servus meus*, tametsi tam Græcus, quam Latinus legat *puer meus.* Siquidem & παῖς pro δοῦλος, & *puer* pro *servus* sumitur aliquando, quomodo utrumque notat hebraicum נער. Sed Isaiæ 42. 1. non habet Hebræus נער *puer*, sed עבדי, *Servus meus*, Quare non video, cur quidam Theologi detrectent concedere Christum dici servum, quod neque Græca, neque Latina Biblia id habeant; si utrumque sensum patitur & Latinum *puer*, & Græcum παῖς. Nego tamen Filium dici servum ex conditione personæ, cum dicatur duntaxat propter obiedientiam humilitatis. Imo Esaias loquitur ad literam, aut de toto populo Judaico, ut vertunt LXX. aut de se ipso, ut aliis placet, & ejus verba sublimius in Christo fuerunt impleta, cujus figuram aliquam ipse gesserat. Quapropter ex quo Matthæus pronuntiet verba Esaiæ, non sequitur hunc, & Christum æquali modo esse servum, sed Prophetam conditione, Christum obedientia. Atque cum his cohæret sententia Patrum, qui docent nunquam Christum in rigore, ac proprietate verborum *Servum* dici.

28. Solutio 3. Verborum Joannis cap. I. 15. sensus est, *Factus est ante me*, scilicet, antepositus & prælatus est mihi, quia cum æternus sit & me præcedat ætate, debet etiam præcedere dignitate. Nam sequitur: *Quia prior me erat*, Græce ὅτι πρῶτός μου ἦν. Alioqui si priora verba significationem habent creationis, sensus erit, *Ante me creatus est, quia ante me creatus est:* sententia nullo digna Scriptore. Memoravi autem lectionem Græcam, quod πρῶτος etiam Dominum & Principem denotet; unde hoc loco prærogativa simul ostenditur temporis, & potestatis.

29. Solutio 4. Versus 3. In caput recidit Arianorum. Ait enim Augustinus tract. I. in Joan. *Quomodo potest fieri, ut Verbum Dei factum sit, quando Deus per Verbum fecit omnia? Si & Verbum Dei ipsum factum est, per quod aliud Verbum factum est? Si hoc dicis, quia hoc est Verbum Verbi, per quod factum est, illud ipsum ego dico unicum Filium Dei. Si autem non dicis Verbum Verbi, concede non factum, per quod facta sunt omnia.* Vide quæ cap. VIII. diximus ad 2. Opp. Falsum est autem quod ajunt Ariani particulam διὰ, *per*, significare ubique causam instrumentalem, cum sæpenumero denotet effectricem & principalem, ut Genes. IV. *Possedi hominem per Deum*, & Prov. VIII. *Per me reges regnant.* Vulgaribus hisce exemplis addo unum singulare, Oseæ cap. I. 7. *Salvabo eos in Domino Deo suo:* ubi est in Hebræo, ביהוה *Per Jehova.* Dixi singulare exemplum, quo & Filii divinitas ex principali Dei nomine confirmatur; & per affixum *Per* penitus objectio diluitur.

30. Objectio 5. Eunomii. Opp. V. Argumenta Eunomii à ratione petita: quorum I. est, Dei proprietas

prietas est esse *ingenitum*; Filius *ingenitus* non est: Ergo Filius non habet Dei proprietates. Alterum, Filius est similis Patri: similitudo est inter plura, quæ sunt diversæ substantiæ: ergo diversæ substantiæ sunt Filius ac Pater. Tertium, Pater est persona Divina: Filius non est Pater: Ergo Filius non est Divina persona.

31. Solutio. Resp. ad 1. dist. majorem: *Ingenitum* scriptum Græce unico N. ἀγέννητον, quod significat *non factum*, & *non creatum*, est proprietas Dei, conc. scriptum geminato N. ἀγέννητον, quod significat *non natum*, *non genitum*, subdist. est proprietas personæ, conc. naturæ, nego. Vide Cyrillum lib. XI. Thes. cap. 1. & D. Thomam 1. part. qu. XXXIII. art. 4. ad 2. Ad alterum dist. majorem. Filius est similis Patri secundum identitatem substantiæ, conc. secundum qualitatis proprietatem nego. Lege Basilium Epist. ad Cæsarienses 141. Ad tertium dist. pariter majorem: Pater est persona Divina, & nomen Patris significat divinitatis substantiam, nego: significat *habitudinem* & relationem, conc. Ita lib. 3. Theologiæ Nazianzenus. Hæc omnia constant ex dictis cap. x. præcedenti.

32. Instantia. Oppones ultimo. Filius est Verbum & sermo Patris: Ergo non est Patri consubstantialis. Prob. conseq. Augustinus lib. VII. de civit. Dei cap. XIV. & Arnobius lib. IV. pag. 62. demonstrant Mercurium non esse Deum, si est sermo: *Si Mercurius*, inquit S. Pater, *ipse sermo est; etiam ipsis* (Ethnicis) *confitentibus Deus non est.* Si ita licet argumentari, cur fas non erit Arianis arguere, Si Verbum sermo est, ergo ipsis Catholicis confitentibus Deus non est?

33. Solutio. Resp. dist. ant. Filius est *sermo* prolatitius contextus syllabis, & foras erumpens, nego. Est *sermo* vivus, subsistens, & intus permanens, concedo. Dei Filius appellatur Verbum, quia mente gignitur, & habet quamdam cum Verbo nostro similitudinem, de qua legendus Augustinus tract. in Jo. XIV. Melius autem dicitur Verbum, & λόγος, quam sermo; quum sit eadem Patris ratio, & intelligentia, ut priori nomine significatur. In Deo autem ratio à substantia nequit separari: unde si Filius est Verbum & ratio Patris, non potest aliam habere naturam. Quod ergo Filius Verbum est, non tollit ejus divinitatem, sed comprobat. Non valet id de exteriori sermone, qui syllabis formatur, & ore profertur, nec subsistit, sed transit; adeoque non est substantiale Verbum, sed qualitas adventitia. Porro Augustinus & Arnobius citatis locis observant Mercurium sermonem esse foris personantem, & ore labiisque prolatum. Audias Augustinum: *Quod si sermo dicitur esse Mercurius, sicut illa, quæ de eo interpretantur, ostendunt, (nam ideo Mercurius dicitur appellatus, quasi medius currens, quod sermo currat inter homines medius: ideo alas ei in capite & pedibus ponunt, volentes significare volucrem ferri per aera sermonem: ideo & mercibus præesse, quia inter vendentes & ementes sermo sit medius: ideo nuntium dictum, quoniam per sermonem omnia cogitata nuntiantur;) si ergo Mercurius ipse sermo est, etiam ipsis confitentibus Deus non est.* Scribit Arnobius similia. Quare validissima est horum argumentatio, cum nequeat esse Deus sermo humanus, prolatitius, transiens, per medium currens, ut fingitur esse Mercurius. At dum Arianus cum suo ductore in Thalia, argumentatur, *Si Filius est Verbum prolatitium, vocis strepitus, & ipsa Dei jussio, Deus non est;* ex falso antecedenti falsam infert consequentiam, quum Filius Dei non sit tale Verbum, ut demonstrat Oratione 3. Athanasius. Hæc dixi, ut appareret quam inscite Joannes Phereponus in Appendice Augustiniana p. 580. scripserit: *Miror non timuisse Augustinum, ne sibi objiceretur quod passim habet de Verbo; nam similis objectio potuit fieri, responsioque Augustini pariter eludi.* Sed hanc censoriam Phereponi animadversionem Lamindus Pritanius in libro III. de Ingeniorum moderat. cap. ultimo, alique viri doctissimi castigarunt.

CAPUT XIII.

An Synodus Nicæna jure definierit Filium esse Patri OMOOΥΣION.

SUMMARIUM.

1. & 2. Exponitur status quæstionis
3. Propugnatur vocabulum ὁμοούσιον rite à SS. Nicæna Synodo fuisse receptum, & Symbolo additum.
4. usque ad 14. inclusivè exsibilantur argutationes hæreticorum.
15. Redditur ratio, cur Patres Nicæni non probarint vocabulum ὁμοούσιον.

ARIA-

1. Quæstio an Synodus Nicæna jure definierit filium esse Patri consubstantialem.

ARIANORUM hæresim profligavimus, qui Filium *ex non extantibus* factum esse dicebant, & fuisse aliquando tempus *quando non erat*, neque genitum ex substantia Patris, sed creatum, licet præstantioris, quam aliæ creaturæ sint, conditionis. Horum errore per Synodum Nicænum damnato, fuerunt qui Verbum Patri per omnia simile fatebantur, non tamen ὁμοούσιον., scilicet, *consubstantiale*. Hi Semiariani dicti sunt, quod partim cum Ario convenirent, partim ab eo discreparent. Rejiciebant quippe vocabulum ὁμοούσιον, sed Patri *usia*, & substantia Filium assimilari docebant. Non solum hi, verum etiam recentiores quidam hæretici vocabulum istud criminantur, alii tanquam natum à Valentinianis, & Gnosticis, ut Sandius; alii vero tanquam ad exprimendam Catholicorum sententiam incommodum, ut in Prolegomenis ad historiam Eccles. Clericus.

2. Etymon nominis ὁμοούσιος exponitur.

Ante quæstionis resolutionem est nominis etymon exponendum. Ὁμοούσιος vox composita est ex ὁμοῦ *simul*, & οὐσία *substantia*. Vis adverbii ὁμοῦ, *simul*, est significare ambo eamdem rem esse, ut cum dico, ὁμοειδὴς, *ejusdem speciei*, ὁμώνυμος *ejusdem nominis*; aut rem esse simul, ut cum dico, ὁμοκλινὴς, *simul una ætate*, ὁμότροφος *simul nutritus*. Οὐσία autem idem est, ac *natura*, *substantia*, *essentia*, ab ὢν οὐσα, *ens*, participium verbi εἰμὶ, *sum*. Οὐσία ait Clericus part. 2. Artis Criticæ lib. 1. cap. XIV. essentiam, ut substantiam significat non personalitatem, ut sic loquar. Nullum mihi unquam occurrit exemplum, neque ab ullo allatum vidi, in quo οὐσία, ubi de Persona quadam dicitur, eam significet, quatenus in ea spectatur personalitas, seu id quo sit, ut seorsim ab omni alia re, aut persona sit, & prout distinguitur ab ipsa substantia. Semper illius personæ essentiam, aut substantiam, aut naturam significat, quæ proprie est personalitatis subjectum, ut loquuntur Scholastici. Ita Criticus reprehendens Valesium, quod male expresserit opinionem Berylli Bostrorum Episcopi lib. IV. cap. 33. Hist. Eusebii. Hanc Clerici opinionem non improbo, quamquam nonnulli post Hilarium scripserint, vocabulum ὁμοούσιον proscriptum à Synodo Antiochena, quia Paulus Samosatenus per hanc unius essentiæ nuncupationem unicam Personam esse Patrem & Filium prædicabat; ideoque usiam pro persona, non pro natura accipiebat. De qua Hilarii sententia dicam infra in responsione ad 3. Opp.

3. Propositio.

PROPOSITIO: Vocabulum ὁμοούσιον rite, atque opportune à Sacrosancta Nicæna Synodo adversus hæresim Arianam fuit receptum, symbolo additum, & consecratum.

Probatio ex victorino triplex.

Marius Victorinus vir Consularis hanc propositionem tribus argumentis probat, quæ scholastice, ac brevissime ita possunt proponi. Sic primum. Duo impie Ariani asserebant, & Filium ex nihilo esse, & aliquando cum Patre non fuisse, quæ duo Arianæ perfidiæ capita à Sacrosancto Patrum Nicænorum Conventu damnanda erant. At per ὁμούσιον condemnatur utrumque. Ergo vocabulum istud rite, & opportune fuit usurpatum. Prob. minor. Ex dictis ὁμούσιον aut significat esse ambo eamdem rem eandemque substantiam, aut in eadem substantia esse simul; si Filius est ὁμούσιος priori significatione; non est productus ex non extantibus, sed ex Patris substantia, & refellitur Arius, qui dixit, *Ex nihilo Filius*: Si dicas ὁμοούσιον altero sensu; igitur nunquam Pater fuit in sua essentia absque Filio; & rejicitur Arius, qui dixit, *Fuit aliquando*, *quando non fuit*. Petitur ergo hac voce τοῦ ὁμοουσίου, & confodiuntur jugulum Arianorum. Alterum Victorini argumentum est: Profitetur Catholica Fides non tantum Filium esse à Patre, sed etiam esse Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; nam esse à Deo competit etiam Creaturis, quæ à Deo factæ sunt: esse autem Deum de Deo significat produci à Patre, & unius esse cum illo substantiæ. At esse Deum de Deo, est esse ὁμοούσιον. Ergo, ut exprimatur Filium non esse à Patre, quomodo sunt creaturæ, sed unam habere cum Patre naturam, percommodum est, aptissimumque vocabulum τῷ ὁμοουσίῳ. Tertium argumentum Victorini: Fuerunt qui dixerunt Filium similem substantiam, & hoc sensu non Filium ὁμοούσιον sed ὁμοιούσιον appellaverunt, quomodo loquebantur Semiariani. Contra quos asserendum est, Filium *eamdem* esse cum Patre, & *simul* substantiam; quod per ὁμοούσιον rectissime exprimitur. Hæc igitur vox adversus eos, qui Filium similem substantia dicunt, & negant Consubstantialem, recte atque utiliter pronuntiatur. Hæc summa est disputationis Victorini in libro de τῷ ὁμοουσίῳ retinendo. Necesse non est Patrum de hoc vocabulo testimonia producere; quippe omnium una vox est, displicere iis tantum, qui Filium Patri consubstantialem fateri nolunt. Ita Athanasius, Hilarius, Basilius, Augustinus, Fulgentius, & alii apud Peta-

Petavium lib. IV. de Trinit. & Christianum Lupum in Append. ad Synodum Chalchedonensem.

RESPONDETUR HETERODOXIS.

4. Objectio 1. Opponunt 1. Vocabulum ὁμοούσιον in sacris literis non reperitur; ergo haud prudenter ad Fidei dogma adstruendum symbolo insertum fuit.

Solutio. Resp. 1. Si in Fidei dogmatibus nefas est aliquod nomen usurpare præter ea, quæ in Scripturis leguntur; quare Ariani pronunciabant *Verbum esse ex non extantibus, fuisse aliquando quando non erat, esse quidem à Patre, sed non ex Patris substantia?* Ubinam Arius, Eunomius, Aetius, aut alii hæretici, qui præcesserunt, aut subsecuti sunt Nicænum Concilium, istusmodi verba legerunt? Quod si his subiit animum ad evertendam fidem nova superstruere vocabula; cur Fidei defensoribus vitio imputatur, quod ad evertendam hæresim voce usi fuerint, qua una & Verbi significetur æternitas, & in eo Patris affirmetur substantia? Deinde quare non refugiebant Ariani voces ἀγέννητον, ἢ ὁμοιούμενον, *innascibilem*, & *similis substantiæ*, quæ in nullo sacrarum Scripturarum libro inveniuntur, & tamen his suum incrustabant errorem? Præterea, ut inquit Orat. 40. Nazianzenus: *Si ita credendum est* (nempe Filium esse Patri Consubstantialem) *cur non ita profitendum*? Secundo respondeo; falsum est in Scripturis, ὁμοούσιον, illative saltem & æquivalenter non reperiri. Quid est οὐσία? Id quod est. Deus est lumen, est vita, est veritas, est suum esse. At legimus in Evangelio Filium esse lucem, esse vitam, esse veritatem, esse illum, qui est. Legimus ergo esse Deo Patri ὁμοούσιον, atque de lectis licet nobis non lecta componere. Item jubemur petere quotidie τὸν ἄρτον ἐπιούσιον, *Panem supersubstantialem*, qua voce commode etiam Filium designamus, qui est Panis vivus de cœlo descendens. Quod si Filius Ἐπιούσιος, est, & Patris splendor atque Imago, cur non ὁμοούσιος? Lege Augustinianam ad Pascentium Epistolam num. nunc 238. alias 164. in qua S. Pater ait: *Prius interpretandum & exponendum esse quid sit* ἐμοούσιον, *tum demum in divinis literis requirendum: quia etsi fortasse nomen istud non inveniretur, res tamen ipsa inveniretur. Quid est enim contentiosius, quam ubi de re constat, certare de nomine?* Et subinde allato exemplo hujus vocis *Ingeniti:* inquit, *fieri posse, ut etiam* ὁμοούσιον *neque scriptum in sacris paginis inveniatur, & tamen dictum in assertione fidei defendatur, sicut Patrem in illis literis nusquam Ingenitum legimus, & tamen dicendum esse defenditur.* Quibus Augustinianis verbis responsa nostra concordant.

5. Objectio 2. Opponunt 2. Ante Nicænam Synodum nullus, præsertim ex Patribus *Omoousion* pronunciavit.

6. Solutio. Resp. 1. Singulas hæreses intulisse Ecclesiæ novas quæstiones, novasque voces, quibus adversus impiorum vafritiem diligentius Catholica veritas custoditur, ut ostendimus in Prolegomenis disputantes pro defensione Scholastices. Deinde respondetur vocabulum ὁμοούσιον perantiquum esse, non à PP. Nicænis inventum. Aristoteles, quem citat Auctor Anonymus editus cum Origenis Philocalia scribit ὁμοούσια δὲ πάντα ἄστρα, omnia astra esse ejusdem naturæ. Irenæus lib. 1. cap. 1. de fabulis Valentinianis narrat Valentinum docuisse Achamoth esse quidem Deo simillimũ, ἀλλ' ἐχ' ὁμοούσιον τῷ θεῷ, *sed non Deo consubstantialem.* Auctor qq. ad Orth. inter Opera Justini, ait animas habere sibi ὁμοούσιες τὺς τε ἀγγελὲς, ἢ τὲς δαίμονας, *Consubstantiales Angelos, & Dæmones.* Meminit hujus vocabuli, tribuitque Dei Filio Dionysius Alexandrinus, de quo Athanasius in libro de ejus Fide, & extat etiamnum Dionysii epist. ad Paulum Samosatensem tom. II. Bibl. PP. pag. 277. Tribuit Pamphylus Martyr in Apologia pro Origine: Tribuit Tertullianus initio libri adversus Praxeam: tribuit Auctor libri qui inscribitur Περὶ ἀρχῶν, sub nomine Trismegisti prope tempora Apostolorum conscriptus. Quid plura? vocabulum perantiquum esse fatetur Eusebius in Epist. ad Cæsarienses suos apud Socratem lib. 1. Hist. Eccl. cap. 8.

7. Replicatio. Dicit Sandius: Originem habuit τὸ ὁμοούσιον à Gnosticis, ut Æonum suorum fabulam contexerent.

Solutio. Resp. Errare turpiter Sandium; nam Gnostici Æones suos nequaquam Omoousios credebant, ut constat ex citato loco Irenæi.

8. Instantia. Inquit Clericius sect. III. Prologom. cap. 1. Una eademque numero οὐσία, aut essentia, sibimet ipsa dici non potest ὁμούσια, sive *Consubstantialis:* nec veteres eo nomine significarunt quidquam aliud, quam quod est particeps ejusdem speciei substantiæ: quod constat etiam ex supradictis. Igitur cum Divina Essentia nequeat habere rationem speciei, incommode intrusa fuit vox *Omoousios*, ac præter nativam propriamque significationem.

9. Solutio. Resp. non essentiam Filii, sed Personam

nam dici Consubstantialem; essentiæ autem ac Personæ diversam significationem esse testatur Clericus; cujus verba consulto præmisimus. Veteres autem οὐσίαν nomine *speciem* intelligebant, & per *Omoousion* quod est particeps ejusdem *speciei* substantiæ, quatenus *Usia* est essentia generaliter considerata & minime definita, quemadmodum Persona est id, quod componitur ex communi essentia, & ex notis quibusdam peculiaribus, sive proprietatibus. Hæc *Usia*, sive dicas, hoc *esse* commune notis particularibus non definitum in creaturis habet rationem *speciei*, & in singulis individuis multiplicatur: in Deo autem est in tribus Personis penitus indistincta. Quare ejusdem speciei Divinæ Personæ dici nequeunt, & tamen sunt ὁμούσιοι, cum sint idem, ac simul *Usia*.

10. Replicatio. Dices: Quidquid in creatis est ὁμούσιον in essentia, dividitur ac partitur. Ergo in Deo non est admittendum *Omoousion*, ne in Deo videamur admittere sectionem, partitionemque substantiæ..

Solutio. Resp. nego consequentiam; non enim hanc naturæ partitionem significat *Omoousion*: neque nomina Deo & creaturis communia rerum, quibus imponuntur, admittunt comparationem. Alioqui male appellaretur Deus, *Pater*, quod in creatis qui generat natura dividatur à Filio, & male *Filius*, quod in hominibus genitus aliam habet substantiam à Patre. Quomodo ergo separamus decisionem, ac partitionem à nomine Patris & Filii; ita sejungendam dicimus à vocabulo τοῦ ὁμούσιου.

11. Objectio 3. Opp. 3. Antiochena Synodus sexaginta circiter annis ante Nicænam celebrata hanc vocem *Omoousion*, qua Paulus Samosatensis abutebatur, proscripsit. Non ergo probare illam debebant Nicæni Patres.

Solutio. Resp. dist. ant. Synodus Antiochena proscripsit *Omousion* corporaliter acceptum, & quatenus in rebus creatis significat, ut nuper dixi, naturam & essentiam *specie* unam, quæ in singulis individuis scinditur ac dividitur, quomodo hanc vocem urgebat Paulus Samosatensis; concedo. Damnavit *Omoousion*, prout nativa ac propria significatione demonstrat plures personas, quibus eadem essentia communis est, absque naturæ partitione, & scissione, quæ partitio & scisio non ex hac voce infertur, sed ex conditione creaturarum; nego. Ita se res habet. Antiqui Patres *Omoousion* diserte confessi sunt, ut dixi in Resp. ad 2. neque Antiochena Synodus poterat hanc vocem in sensu proprio acceptam proscribere, salva Antiquorum auctoritate. At Paulus Samosatensis, quasi eodem modo admitteretur à Catholicis vocabulum *Omoousion* in Deo, sicut asseritur à Philosophis inter individua unius *speciei*; consimili argutatione Fidem Catholicam quatere moliebatur: *Omoousios* ille est, qui spectat ad eamdem *speciem* alterius, inter quos eadem natura dividitur; si ergo Filius esset Persona distincta à Patre, eique *Omoousios*; scinderetur ac divideretur divina essentia. Igitur Filius neque Persona est, neque Patri *Omoousios*. Ad hæc quid Synodus Antiochena? Negat in Deo hoc sensu ὁμούσιον, id est ut cogitabat Sabellianus, & quomodo *Omoousia* dicuntur plura individua unius *speciei*. Constat responsio ex Athanasio in libro de Synod. Arim. & Seleuc. ubi sic loquitur. *Qui contra Samosatenum sustulerunt, hanc vocem*, Consubstantiale, *corporaliter acceperunt, cum igitur Paulus sophisticari vellet, & diceret, si non ex homine Christus Deus factus est, igitur Consubstantialis est Patri, unde necessario sequitur tres esse substantias, unam quidem quæ prior sit, reliquas vero duas ex ea oriundas: ideoque merito vitantes illud sophisma Pauli dixere Christum non esse Consubstantialem. Illi vero qui Arianam hæresim anathemate percusserunt, cum Pauli calliditatem animadvertissent, neque hoc modo in rebus corporeis, præsertim in Deo, consubstantiale accipiendum esse considerassent; merito inducti sunt, ut Filium Consubstantialem dicerent.* Et Basilius Epist. ccc. scribit, Patres Antiochenos vocem hanc ut minus congruam rejecisse, quatenus substantiæ distributionem ac partitionem repræsentat. Quam responsionem plu. ribus confirmat etiam Juenin P. 2. dissert. 1. Art. 3. ex scriptis tamen à Bullo sect. 2. cap. 1. §. 2.

12. Error aliquorum scholastico-rum. Hæc cum ita sint, errant, ut opinor, nonnulli Scholastici qui respondent ab Antiochena Synodo nomen οὐσίαν acceptum pro Persona non pro Essentia, & rum. Paulum Samosatenum confessum fuisse *Homoousion*, ut Pater, & Filius per hanc nuncupationem unica & solitaria Persona prædicaretur. Nituntur auctoritati Hilarii, qui in libro de Synodis num. 86. ait: *Male Homoousion Samosatenus confessus est: sed nunquid melius Arii negaverunt?* Hæc adversari videntur iis, quæ diximus cum Athanasio. Georgius Bullus putat Hilarium errasse: PP. Benedictini putant errasse Athanasium; quod ptobant ex Epistola Legatorum Ancyra-

Ancyranorum, in qua legitur: *Patres noſtri cum Paulus Samoſatenus hæreticus pronuntiatus eſt, etiam homoouſion repudiaverunt, quia per hanc unius eſſentiæ nuncupationem, ſolitarium, atque unicum ſibi eſſe Patrem, & Filium prædicabat.* Arbitror neque Hilarium decipi, neque Athanaſium. Etenim Sabelliani non intelligebant per *Homoouſion* unicam ac ſolitariam Perſonam, ſed, ut diximus, ſubſtantiam, quæ exſcinditur ac ſeparatur. Hoc ſenſu male Paulus Samoſatenus confeſſus eſt *Homoouſion*; ut ſcribit Hilarius: dicebat enim Sabellius Chriſtum genitum eſſe ut hominem tantum corporum more per defluxus diviſionem, ut conſtat ex Theodoreto lib. 1. H. E. cap. 1. Ex hac intelligentia ὁμοούσιον inferebat in Deo unicam eſſe Perſonam, quippe arguebat: Si Chriſtus non eſt factus ex homine, & eſt Conſubſtantialis Patri, Patris ſubſtantia ſciſſionem pateretur: quod cum fieri nequeat; Chriſtus non eſt Conſubſtantialis Deo, ſed tantum homini, ideoque Deus, cujus ſubſtantia non ſcinditur, & cui non eſt Filius Conſubſtantialis, unica & ſolitaria Perſona eſt. Atque hoc ſenſu verum eſt, quod affirmant Legati Ancyrani, Samoſatenum per *Omoouſii* nuncupationem, prædicaſſe in Deo unam eſſe Perſonam. Ergo neque fallitur Hilarius, ut contendit Bullus; quia revera Paulus Samoſatenus male confeſſus eſt *Omoouſion*, hanc vocem accipiens cum deciſione & defluxu. Nec decepti ſunt Patres Ancyrani, quoniam reapſe ex *Omoouſio* arguebat Sabellianus Deum eſſe ſolitariam Perſonam. Neque erravit Athanaſius, nam Samoſatenus nunquam revera accepit vocem *Omoouſion* pro ſignificatione ejusdem Perſonæ: quamquam id viſum plurimis, vellem valere hanc conciliaturæ rationem; alioquin erravi.

13. Sabelliani nunquam confeſſi ſunt Chriſtum fuiſſe Omoouſion Patri.

Cæterum Sabellianos nunquam confeſſos fuiſſe Chriſtum *Omoouſion* Patri, certa mihi argumenta ſuadent. 1. Nullum exemplum ante Sabellium proferri poteſt, quo *uſiæ* vocabulum pro Perſona, non pro Eſſentia accipiatur: quamvis ſcribit Eſtius Diſt. 23. §. 3. Ariſtotelem in Categoriis nomine *Uſiæ* intelligere ſubſtantiam ſubſiſtentem, adeoque eſſentiam ſimul & perſonam. Quod falſum puto; nam Categoriæ Ariſtotelis ſunt ſuprema genera rerum, & *Uſia*, ſive ſubſtantia enuntiatur de Perſona, ut ratio quædam communis de inferioribus: & Perſona etiam in Ariſtotelis Philoſophia præter rationem communem *Eſſentiæ* requirit peculiarem notam, ſive modum eſſendi, quem dicimus *Subſiſtentiam:* cui & hoc titulo competit eſſe *Uſiam*, quod ſit modo præſtantiori, & per ſe, ad differentiam accidentium. Quare ipſi Ariſtoteli cap. de Subſtantia, individua formis generibusque ſubjecta dicuntur ἄτομα, ſive ἄτομοι ἰδέαι: & alia eſt *Uſia* communis, alia ſingularis & individua. Itaque cum nullum proferatur exemplum, in quo *Omoouſion* Perſonalitatis ſignificet unitatem, credibile non eſt Sabellianos hoc ſenſu confeſſos eſſe *Omoouſion*; ut hoc nomine à Deo pluralitatem excluderent Perſonarum. Nam Patres Antiocheni illico reſpondiſſent; *Uſiam* non Perſonam, ſed eſſentiam ſignificare. Deinde cum Athanaſio conſentiunt Baſilius, Euſebius Cæſarienſis, Theodoretus, & alii, qui ſcribunt Sabellianos accepiſſe *Omoouſion*, quatenus ſectionem importat naturæ: quos omnes erraviſſe, haud facile credam. Rurſus, ut Epiſtola 300. inquit Baſilius: *Vox iſta Omoouſios Sabellii impietatem corrigit: tollit enim hypoſtaſeos identitatem, perfectamque perſonarum notionem inducit; non enim idem ipſi Conſubſtantiale eſt; ſed alterum alteri.* Non ergo probabile eſt, Samoſatenum hac voce adverſus hæreſim ſuam diſputaſſe. Denique non *Omoouſion* recipit Sabellianorum error, ſed ταυτοούσιον quod priori vocabulo opponitur.

14. Inſtantia.

Inſiſtes: Cum poſſit *Omoouſion* ſenſum pati Sabellianum, & defluxum deſignare naturæ, magis opportunum erat hoc vocabulum reticere.

Solutio.

Reſp. id in Concilio Nicæno fuiſſe ſedula animadverſione tractatum. Ob prædictam rationem reſpuebant *Omoouſion* non ſolum Ariani, ſed etiam Conſtantinus Imperator, ut ſcribit Socrates lib. 1. cap. 8. & Sozomenus lib. 3. cap. 18. & Baſilius citata Epiſt. ccc. affirmat eſſe excuſandos, qui *Omoouſion* nolebant initio recipere. Receptum eſt tamen jure, ac merito. Primo quia, ut diximus, partitionem naturæ, non ſignificat nativa propriaque vi, neque ullus veterum hoc ſenſu vocabulum *Omoouſion* protulit unquam; tametſi res creatæ, quæ ad eamdem *Speciem* attinent, *Omoouſiæ* ſint cum ſectione ſubſtantiæ. Deinde Ariani fatebantur hoc vocabulo reapſe ſignificari communionem naturæ, ut poſtea conteſtati ſunt in ſua Antiochena Synodo ſub Joviano apud Socratem lib. 3. cap. 25. & Sozomenum lib. 6. cap. 4. Præterea Nicæni Patres omnem pravum ſenſum accurate ab hac voce expunxerunt. Etenim definierunt Filium *Eſſe*

ex Patre unigenitum, γενηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς μονογενῆ, *id est*, *ex substantia Patris*, τατέςιν ἐκ τῆς ϑσίας τοῦ πατρὸς: appellarunt *Deum de Deo*, *lumen de lumine*, *Deum verum de Deo vero*, ϑεὸν ἐκ τοῦ ϑεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, ϑεὸν ἀληϑινὸν ἐκ τοῦ ϑεοῦ ἀληϑινῦ dixerunt *Genitum non factum*, γενηθέντα, ὐυκ ποιηθέντα; demum addiderunt *Consubstantialem Patri*, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ. His omnem aditum fallaciæ præcluserunt hæreticorum.

Solvitur quæsitum.

15. Quæsitum. Si quæras cur non probarunt potius Nicæni Patres vocabulum, ὁμοιούσιον, quod significat *Substantia similem*?

Dico, & istud posse de Filio affirmari, quia cum nulla creatura possit esse similis Deo, hoc etiam nomine Verbi divinitas propugnatur. Sed quia hoc tanquam propugnaculo utebantur Semiariani, ut excluderent *Omoousion*, & latet in illo hæreticorum perfidia; est aliquo sensu repudiandum. *Me movet*, inquit Hilarius in lib. de Synodis n. 89. *Omœusii nuditas. Multa sæpe fallunt, quia similia sunt. Timeo aurum bracteæ, quæ me fallere potest interius, & tamen auro simile est quod videtur. Timeo lactis similitudinem, ne oblatum mihi lac, non lac ovium sit, quia ei simile videatur & bubulum, &c.* Ac de voce ὁμοούσιος satis.

CAPUT XIV.

Quod Spiritus Sanctus sit res subsistens, sive Persona.

SUMMARIUM.

1. & 2. Status quæstionis.

3. Probatur, spiritum S. veram, & subsistentem personam esse.

à num. 4. usque ad 15. solvuntur argumenta fausti Socini.

â num. 16. usque ad 23. respondetur ad argutationes Wolzogenii.

1. Spiritus S. est res subsistens, seu persona. ATQUE ad hunc modum controversia de Verbi divinitate se habet. Sequitur, ut de Spiritu Sancto agatur: de quo variæ extiterunt hæreses Sadducæorum, qui & Angelos & Spiritum Sanctum negabant; Cataphrygum, sive Montanistarum, qui, ut plerique sentiunt, asserebant Montanum ipsum esse Paracletum à Christo promissum: Sabellianorum, qui eamdem cum Patre Personam Spiritum Sanctum jactabant; aliorumque multorum. Inter quos numerandi mihi sunt primum Macedoniani, deinde Socini Gregales; qui adhuc nos perturbant, & sese his Polemicis disceptationibus miscent. Macedoniana autem hæresis ex Ariana nata est; quippe de divinitate Spiritus Sancti Anomœi, & Semiariani impiissimè statuerunt, creaturam esse affirmantes. A Macedonio tamen Constantinopolitano hæresis dicta est, quod is errorem circa annum 360. spargere nefario ausu tentaverit, damnatus opera Athanasii in Synodo Alexandrina paullo post obitum Constantis, anno 362. Hi vero, id est Sociniani, Spiritum Sanctum esse putant virtutem, per quam Deus fideles suos sanctificat, eosque supernaturali potestate ac sapientia exornat, sed nequaquam esse ipsum Deum summum, cujus divinitatem soli Patri censent tribuendam. Ita ne Macedonianis cedant, Spiritum Sanctum à Deo illo uno distinguunt; & ne videantur Sadducæis meliores, negant quoque aliquam esse personam. Utrumque contra Pneumatomachos istos, id est, Spiritus Sancti Impugnatores, debemus discutere.

2. Nomine Personarum sæpe effecta, & munera designantur. Principio autem negandum non est, aliquando Spiritus nomine in Scripturis dona, & charismata designari, quod sæpe effecta ac munera demonstrentur nomine Personarum. Quis enim negat piam E. G. cordis affectionem significari Psal. 1. 12. his verbis: *Spiritum rectum innova in visceribus meis?* aut doctrinam, ubi Joan. Epist. 1. cap. IV. 1. monet ne credamus *omni Spiritui*? aut virtutem in verbis Lucæ 1. 17. *Præcedet ante illum in Spiritu, & virtute Eliæ*? aut ecstasim, quando ait Joannes Apocalyps. 1. 10. *Fui in spiritu in Dominica die*? *&c.* His, aliisque pluribus Divini Spiritus munera designari nullus negat; nec tamen consequitur Spiritum Sanctum nihil esse præter participationem divinorum donorum, cum effecta, ut diximus, pro suis causis frequentissime memorentur. Et tamen his fidunt perquam maxime Sociniani: quare sit,

3. Propositio probatur tribus argumentis. PROPOSITIO: Spiritus Sanctus vera est, & subsistens Persona.

Tertio hujus libri cap. hæc propositio validis probata est argumentis. Quorum summa hæc est. Descendere, mitti,

ti, ſedere, opera ſunt Perſonarum. At de Spiritu Sancto legimus deſcendiſſe de cælo, miſſum fuiſſe, & ſediſſe ſuper diſcipulos. Eſt ergo Spiritus Sanctus Perſona. Item: Confertur baptiſma in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Pater & Filius Perſonæ ſunt: Igitur Perſona eſt etiam Spiritus. Rurſus: Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: Duo priores, qui perhibent teſtimonium, ſunt res ſubſiſtentes ergo ſubſiſtens erit etiam tertius. Inania hæreticorum ſubterfugia, citato Capite refutavimus; & quarto, & ſexto ſolvimus argumenta, quæ generaliter divinarum Perſonarum impetunt pluralitatem. Remanent quædam particularia, quibus ſolam tertiam Trinitatis Perſonam ſubvertere nefarii hoſtes conantur. Sunt autem.

ARGUMENTA FAUSTI SOCINI TOM. 2. P. 438. ET SEQQ.

4. Objectiones fauſti ſocini. Nituntur probare Catholici Spiritum Sanctum eſſe perſonam quibusdam Sacris teſtimoniis, quæ evincunt oppoſitum: quod ita poteſt oſtendi. Arguunt ex forma baptiſmi, & Matth. cap. III. 11. legimus: *Ego quidem baptizo vos Aqua, ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni. At perſona non poteſt eſſe id, quo aliquis baptizatur; alias eſſet Perſona Aqua, eſſet Perſona & ignis. Quare ſi baptizamur Spiritu Sancto, Spiritus Sanctus nequit eſſe perſona.* Neque obſtat, quod cap. XXVIII. ponatur Spiritus Sanctus cum Patre, & Filio, qui ſunt Perſonæ; quum ſæpe cum perſonis res non ſubſiſtentes jungantur, ut ad Eph. VI. 10. *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus,* Et 1. ad Theſſalon. 1. 2. *Gratia vobis, & pax à Deo Patre noſtro &c.*

5. Objectiones ulteriores. Minus probant argumenta deducta ex operibus, quæ communiter notæ ſunt Perſonarum. 1. Sicut tribuitur Spiritui Sancto loqui Marci XIII. 11. ita loqui dicitur lex ad Rom. III. 19. *Quæcunque lex loquitur, iis qui in lege ſunt loquitur,* & ad Hebræos cap. XII. *Sanguinis aſperſionem melius loquentem quàm Abel.* Sed lex, & Sanguis Perſonæ non ſunt; Ergo nec Perſona erit Spiritus Sanctus, qui loquitur. 11. Lucæ XII. 12. dicitur de Spiritu Sancto: *Docebit vos.* At in 1. ad Corinth. XI. 14. habetur *Ipſa natura docet vos.* Et 1. Jo. 2. 27. *Unctio ejus docet vos de omnibus.* Quomodo ergo neque natura, neque Dei unctio Perſona ſunt; ita nec Dei Spiritus. III. Lucæ 11. 25. ſcriptum eſt: *Spiritus Sanctus erat ſuper eum:* Atqui eſſe ſuper aliquem non de perſonis, ſed de aliis rebus dicitur, ut Jo. 3. 36. *Ira Dei manet ſuper eum:* & ad Galat. VI. 16. *Pax ſuper illos, & miſericordia!* Igitur neque hinc efficitur Spiritum Sanctum eſſe Perſonam. IV. Neque id evincitur, quod Spiritus Sanctus dicatur venire, mitti, procedere, teſtimonium dare, mundum arguere: quæ munera videntur perſonæ. Etenim venire dicitur Dei regnum, mandatum, fides, ira, &c. Luc. 17. 20. Rom. 7. 9. Galat. 3. 23. &c. Item mitti dicitur auxilium Pſalmo 20. 3. miſericordiam & veritatem Pſalm. 57. 4. Redemptionem Pſ. 110. 9. Iram indignationis Pſ. 78. 49. Procedere etiam Marc. 7. 15. de rebus dicitur, quæ non ſubſiſtunt. Teſtimonium vero perhibent etiam opera Joan. x. 25. & aqua, & ſanguis 1. Epiſt. v. 8. Rurſus arguere aliquem dicitur malitia apud Jeremiam 2. 19. conſcientia Jo. VIII. 9. ad Rom. 2. 15. & lex Jacob 2. 19. Igitur nullum ex his operibus Spiritum Sanctum Perſonam eſſe demonſtrat. V. Neque id probatur ex quo Spiritus Sanctus dicatur Paracletus & Conſolator, quandoquidem Pſ. 22. 4. habetur: *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Nec quisquam refugiet hunc modum loquendi: Nos divinarum gratiarum ubertate conſolamur. VI. Neque probatur Spiritum Sanctum eſſe Perſonam non Dei virtutem, ex quo nonnunquam jungantur ſimul virtus, & Spiritus Sanctus. Nam ad Romanos XV. 19. ſcriptum eſt: *In virtute ſignorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti.* Si ergo Perſona non ſunt ſigna, & prodigia, quare Perſona creditur eſſe Spiritus Sanctus? Hæc Socinus priori contra Spiritum Sanctum libro, ſive explanatione locorum, quæ pro ejus divinitate afferuntur.

6. Solutio 1. Reſp. ad 1. Quod baptizari Spiritu Sancto ſignificat quidem interius animæ lavacrum, id eſt ſanctificationem & gratiam, per quam baptiſmus Chriſti præſtantior eſt baptiſmate Joannis, qui erat tantum in aqua, nec conferebat remiſſionem peccatorum, niſi per pœnitentiam eorum, qui tingebantut baptiſmo. Neque directe hinc probatur Spiritum Sanctum non eſſe perſonam, ſed eruitur oppoſitum: quippe remiſſio peccatorum, quæ metonymice dicitur Spiritus Sanctus, eoquod res effecta interdum accipitur pro perſona efficiente, & econtra; atque, ut ait Joan. III. 6. *Quod natum eſt ex Spiritu Spiritus eſt:* remiſſio, inquam, peccatorum, charitas, re-

generatio, diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, ut habetur ad Rom. v. 5. Si autem remissio peccatorum est res à Spiritu Sancto effecta, & ab eo consequenter distincta; sequitur præter Spiritum Sanctum, qui est donum Dei, charisma, & salutare ἐνέργημα, dari Spiritum Sanctum, qui est Persona nobis data; renovans corda, & sanctitatem efficiens. Quare concedo non esse rem subsistentem veramque personam gratiam, qua baptizamur, quomodo perspona non est aqua, qua abluimur; sed nego personam non esse Spiritum Sanctum, per quem gratia regenerationis diffunditur. Quod spectat ad cap. XXVIII. Matth. dico non ex sola unione effici Personam esse Divinum Spiritum, sed ex unione simul, & τὸ In nomine. Baptizari enim in nomine alicujus est aut baptizari invocato ejus nomine, aut sese ei devovere ac mancipari: atque Personarum invocatur nomen, in Personas juramus, Personis nos mancipia devovemus. At de his cap. III.

7. Solutio 2.

Ad aliud Argumentum: nemo sanæ mentis negat, nonnunquam in Sacris literis res inanimatas cum verbis necti, quæ Personarum significant operationes; sed certi sunt caracteres, quibus Personæ à rebus cæteris secernuntur. Prima regula est enallages pronominis, per quod ubicunque non respondet proximo vocabulo, & conjungitur cum verbo significante operationem Personæ, semper vera Persona demonstratur. Ita Matth. XXIX. 19. legitur: *Docete omnes gentes,* πάντα τὰ ἔθνη, baptizantes eos, αὐτοὺς &c. ubi neutro masculinum pronomen respondet, quia sermo est de hominibus. Ita ad Rom. IX. 23. *Ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ* ἐπὶ σκεύη, sequitur v. 24. pronomen relativum ἅ̓ς *quos* quia de prædestinatis sermo est. Ad Coloss. pariter II. 19. ubi agitur de Christi Persona ad fœmininum τὴν κεφαλὴν, *Caput*, sequitur masculinum ἐξ ἅ̓, *Ex quo*. Possent vero proferri innumera id genus exempla. Altera regula est, quod attendi debent verba antecedentia, & consequentia, unde facile προσωποποιΐα dignoscitur. Quippe nullibi legimus E. G. cœlum enarrare quæ audit, terram audire quæ intelligit, jumenta cognoscere quæ meditantur; quemadmodum hæc legimus de Personis, tametsi per Prosopopæjam dicantur cœli, terra, jumenta loqui, audire, cognoscere. Tertia regula est, quod cum vocabula diversimode accipiantur, E. G. nomen Spiritus pro energia, & pro re subsistente, ubicunque non possunt accipi pro uno, necesse est ut accipiantur pro altero: & consequenter ubi nomen Spiritus donum & energiam non significat, debet personam aliquam designare. Quare cum Joan. 7. 39. scriptum sit: *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus:* & 16. 7. *Si non abiero, Paraclitus non veniet;* atque his locis nomen Spiritus, & Paracleti, nequeat significare solam virtutem & energiam; quoniam hæc ante glorificationem, & ascensionem Christi cum Patriarchis, tum ipsis Apostolis collata fuerat; consequens est, ut Spiritus Paraclitus, qui glorificato Christo descendit, non sit sola virtus & energia, sed persona & substantia cujusque supernaturalis virtutis effectrix & dispensatrix. Quarta regula sit, πνεῦμα, Spiritum, quamquam plures patitur significationes, quotiescunque ponitur cum articulo, unam rem certam & singularem significare; articulus enim Græcorum singularitatis nota est, ut constat ex Tractatu Constantini Chiensis ad calcem Schrevelii. Didymus lib. I. de Spiritu Sancto observat ut plurimum in Scripturis non simpliciter πνεῦμα dici, sed τὸ πνεῦμα cum articulo; & è contra ubi de Spiritu creato sermo est, articulum non haberi. Rejicit hanc regulam Sal. Glassius Can. 3. de Pronomine, quia τὸ πνεῦμα cum articulo Spiritus Sancti dona significat Eph. IV. 23. 1. Thess. V. 19. & 1. Joannis IV. 1. Et viciſſim πνεῦμα sine articulo Spiritus Sancti Personam significat Jo. 3. 5. 1. ad Corinth. XII. 11. Epist. Jud. vers. 19. At observat Didymus, quod ſicubi raro sine articulo nominatur Spiritus Sanctus, est tamen cum additamento significante magnificentiam ejus. Quod & servatur locis citatis à Glassio. Etenim Jo. 3. v. 6. sequenti distinguitur inter Spiritum, qui est donum regenerationis, & Spiritum qui est Deus hujus generationis spiritualis auctor; ut diximus supra, & probat idem Glassius Tract. 1. Rhet. Sacræ pag. 1428. In 1. Ep. ad Corinth. XII. 11. non solum articulus invenitur, sed emphasi majori repetitur, τὸ ἓν, ᾗ τὸ αὐτὸ, *Ille unus, ille idem:* & ibi distinguuntur etiam divisa charismata ab uno Spiritu, qui ea dividit singulis, prout vult. In v. autem 19. Judæ non Personam Spiritus Sanctus, sed pium desiderium, quod hujus Personæ donum est, rectissime intelligimus, & ex uno inferimus alterum. Quod vero τὸ πνεῦμα cum articulo interdum dona Spiritus Sancti significet, figura est metonymiæ, qua

qua pro rebus effectis ponitur ipsa Persona, ut docet eodem libro Rhet. Glassius ipse. Itaque regulam Didymi constanter teneto.

8. Vanitas argumentorum Socini. Jam vero apparet vanitas argumentorum Socini, quandoquidem de lege, & de sanguine dicitur quod loquantur per figuram Prosopopœjæ; at non dicuntur loqui quæ audiunt, quomodo dicitur Spiritus Sanctus Jo. XVI. 13. qui proinde loqui dicitur proprie, non tropo. Eodem cap. XVI. Jo. in quo Spiritus Sanctus dicitur venire, mitti, docere, arguere, per enallagen pronominis demonstratur esse personam, quemadmodum & cap. XV. 26. ad τὸ πνεῦμα enim neutrius generis additur masculinum pronomen ἐκεῖνος, *Ille*. Habetur & nota singularitatis articulus. Additur ubique cum emphasi pronomen & demonstrativum, & relativum: quare Spiritus Sanctus propire mittitur, proprie loquitur, proprie perhibet testimonium, proprie est Paracletus & consolator, proprie munera exercet Personæ; neque urgent metaphoræ ad numerum usque sextum prolatæ. Lucæ etiam II. 26. & 27. τὸ πνεῦμα est cum articulo; unde vel de persona accipiendum est, vel metonymice de ejus effectibus, ut dictum est supra: ac phrasis græca ἐπ' αὐτὸν, *super ipsum*, exprimit solum virtutem Spiritus Sancti divinam esse, & ex alto: unde cap. præced. v. 35. dicitur *supervenire*. Vulgata nostra legit priori loco: *Spiritus Sanctus erat in eo*. Demum in Epist. ad Rom. XV. 19. si per Spiritum Sanctum velis accipere effecta, & dona charismatum, liceat per me quidem: sed non est eadem ratio de omnibus sacris testimoniis, neque effectus & energia negat propriæ causæ substantiam.

ARGUMENTA EJUSDEM SOCINI IN LIBRO CONTRA WIEKUM CAP. X.

9. Objectio 1. Socini. Rursus opponit Faustus Socinus. 1. Charitati tribuuntur actiones, quæ sunt propriæ Personarum: cujus rei plenissimam fidem facere potest Paulus Epist. ad Corinth. prima cap. XIII. à v. 4. usque ad nonum. Quod si quis dixerit Paulum loqui figurate, & charitatis nomine eum intelligere, qui charitate præditus est; non video cur idem dici nequeat de Spiritu Sancto, cui interdum operationes Personarum attribuuntur.

10. Solutio. Resp. disparem esse de charitate, quæ est gratiæ donum, & de Spiritu Sancto, rationem. Tropi namque & ex verborum complexu, & ex subjecto possunt cognosci; ut cum dico, montes exultant, plaudunt flumina, prata rident, nemonon videt metaphoram, cum neque montes, neque flumina, neque prata nomina sint Personarum. At Spiritus nomen Personæ est, neque significat solam energiam, sed aliquando rem subsistentem, præsertim ubi characteres reperiuntur Personæ; de quibus supra. Do etiam recte dici, Spiritus loquitur quæ sunt Dei, & alia innumera, de homine habente dona Spiritus Sancti; quomodo legitur, Charitas non æmulatur, non agit perperam, & cætera hujusmodi, de homine prædito charitate. At alia est charitas, quæ diffunditur in cordibus nostris, alia charitas, de qua dicitur 1. Joan. 4. 16. *Deus charitas est*. Et alius Spiritus, qui est charisma & gratia, alius Spiritus, de quo ait ipse Jo. IV. 24. *Spiritus est Deus*. Videant ergo Sociniani dari duplicem charitatem, duplicem Spiritum, accidentalem & substantialem, effectum & causam, donum & Personam. Præterea Socinus statim post præfatam argutationem pag. 621. Deum Personam esse sic demonstrat: *Deum esse Personam declarat Paulus, cum ait:* 1. Corinth. 2. 20. Nobis autem Deus revelavit per Spiritum Sanctum. *Revelare enim est actio Actiones autem sunt Personarum, seu suppositorum. Neque vero hic ulla prosopopœja, aut metaphora esse potest.* Bene habet. Actio revelandi non tribuitur nisi personæ. Quid vero annuntiare quæ ventura sunt? quid omnia operari? quid velle? quid præcipere? Hæc omnia Spiritui Sancto tribuuntur Jo. XVI. 13. 1. ad Corinth. XII. 11. Act. XIII. 2. &c. Si persona est qui revelat, quare persona non est qui annuntiat futura? Quid inter revelare, & annuntiare futura, quæso, interest? Vide & Apost. in 1. ad Timoth. IV. 1.

11. Objectio 2. Argnit 2. Spiritus Sanctus est Spiritus Dei; Spiritus alicujus Personæ non est Persona ab ea, cujus est Spiritus, distincta; Ergo Spiritus Sanctus non est Persona distincta à Deo.

Solutio. Primo hoc argumento probatur Spiritum Sanctum non solum esse Dei virtutem communicatam creaturis, ut contendunt Sociniani, sed præterea esse ipsam Dei substantiam, quemadmodum Spiritus hominis substantialiter in homine est; de quo vide Tertull. adversus Prax. cap. 8. Deinde conceditur totum argumentum, quippe Spiritus Sanctus non est Persona distincta à substantia Dei; sed tamen Persona est. Præterea dist. majorem: Spiritus non est

est Persona, si nomine Spiritus intelligas partem essentiæ, ut est Anima rationalis, conc. Si intelligas rem subsistentem, ut sunt Angeli, & qui in Trinitate ad Patrem & Filium refertur, nego.

12. Instantia. Inquit Socinus: Ex Apostolo 1. ad Corinth. cap. II. 11. *Nemo scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est: ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Comparat D. Paulus Spiritum Dei cum Spiritu hominis. Igitur quomodo Spiritus, qui est in homine, non est Persona ab homine distincta, sic Spiritus Dei non est Persona distincta à Deo.

Solutio. Resp. retorqueo argumentum. Spiritus hominis pertinet ad substantiam hominis: Ergo Spiritus Dei attinet ad essentiam Dei. Cumque in Deo substantia sit impartibilis, Spiritus Dei totam habet plenitudinem divinitatis. Nunc quæro à Socino: Quis est ille Deus, in quo Spiritus est, ut Socinus ait, naturaliter? Certo Pater, qui solus est Deus ille summus, si credimus Socinianis. At Apostolus statim addit, Spiritum esse ex Deo, *Qui ex Deo est*, inquit. Qui autem est ex Deo, scilicet à Patre, non est Pater. Est ergo Spiritus, qui non est Pater, & tamen plenitudinem habet divinitatis.

13. Replicatio. Instat. Unam Personam esse in alia naturaliter fieri non potest: Deus, in quo est Spiritus Sanctus, est Persona: Ergo Spiritus, qui est in Deo naturaliter, Persona non est.

Solutio. Falsa est major, quandoquidem Joannis XIV. 10. 11. legimus Filium esse in Patre, & Patrem in Filio. Quomodo id fiat, dictum est cap. VI. ad 8. Oppos.

14. Objectio 3. Objicit 3. Socinus: Spiritus Dei nomine significatur virtus & efficacia, ut Esaiæ 40. 7. legitur exarescere herbam, & cadere florem, cum Spiritus Domini sufflaverit in eum. Quis autem virtutem & efficaciam dixerit esse personam?

Solutio. R. non solum virtutem & energiam hac voce Spiritus concedimus significari, sed etiam ventum, vocem, animum, affectum, substantiam, quæ corpori vitam submministrat, & alia, quæ collegit Joannes Clericus P. 2. Art. Crit. Sect. 1. cap. v. Frustra tamen hinc inferes nullibi eo nomine designari personam, præsertim ubi recensitæ personarum notæ reperiuntur. Imo, quod sæpe monui, efficientis personæ res effecta nomen sortitur; & Spiritus Sanctus propterea appellatur, quidquid ipse præstat. Nam & hoc pacto animam pro vita aut voluntate, Moysen & Prophetas pro eorum libris, linguam, labium, guttur pro sermone, gladium pro cæde, & manus pro conatu, & auxilio, consuetudine orationis memoramus.

15. Objectio 4. Arguit 4. Socinus. Spiritus Sanctus appellatur bonus Psal. 14. 2. & per antitheſim aliquando etiam Spiritus Dei malus ut 1. Regum XVIII. 10. & XIX. 9. Sed Spiritus Dei malus est vis & efficacia Divina, qua homines in reprobum sensum dantur, aut alia ratione affliguntur. Ergo Spiritus Dei bonus est virtus & efficacia, per quam sanctificantur, & gaudio, bonisque replentur.

Solutio. Respondeo spiritum malum, quo abreptus Saul cœpit absurda effutire nesciens quid loqueretur, (quæ agitatio prophetarum verbis comparatur, quoniam & prophetæ sermonem intercidunt, & immisso sibi æstro ducuntur, (fuisse spiritum nequam ac dæmonem, Hebræorum, Patrum, omniumque interpretum consensione. Quod & ratione constat, siquidem malum non est à Deo nisi permittente; neque efficientia sua tradit Deus quemquam in reprobum sensum, ut effutit hæreticus ad instar Saulis prophetans. Retorqueo itaque argumentum: Spiritus malus non solum est atra bilis, melancholia, & vis exagitans energumenum, sed etiam Diabolus, spiritus nequitiæ, & princeps hujus sæculi, qui hæc operatur. Ergo Spiritus Sanctus nedum dicitur virtus, & efficacia bonorum, sed etiam Spiritus Dei, qui est Persona munerum & gratiarum effectrix. Neque vero aliquem movere debet, quod immundus Spiritus vocatur Spiritus Dei malus: quandoquidem & diabolus Dei servus est ac mancipium, & Deo permittente Saulem invasit, & Divinæ justitiæ minister est. Habet Græcus hoc loco: Καὶ ἔπεσε πνεῦμα παρὰ θεοῦ πονηρὸν: *Cecidit Spiritus à Deo malus.* Verbum ἔπεσε significat immundum Spiritum Deo permittente Saul invasisse & propositio παρὰ hunc Spiritum Deum non esse demonstrat. Id colligitur etiam ex Chaldæo, qui legit: *Et mansit Spiritus malus ab ante Dominum super Saul:* וְקָרֵם יְיָ עַל שָׁאוּל
וְשָׁרֵת רוּחַ בִּישָׁא

Argumenta Wolzogenii ex libro de tribus in una deitate Personis cap. V. et XXVIII.

16. Objectiones Wolzogenii. Argumenta Wolzogenii, præter superiora, quæ ipsi & Crellio, & Wolkelio communia sunt, Tom. 2. pag. 303. ita urgentur. I. Spiritus Sanctus Lucæ

XI.

XI. 20. appellatur digitus Dei, Act. 2. 38. Dei donum. 2. ad Corinth. 1. 22. arrhabo. Ergo Persona dici nequit. Præterea de Spiritu Sancto legimus ad Tit. 3. 6. quod in homines effundatur. 1. ad Corinth. XII. 13. quod in eo homines potionentur. Act. 2. 18. quod aliquam habeat partitionem; ad Rom. VIII. 23. quod dentur Spiritus Sancti primitiæ. Ad Thessal. 1. cap. v. 19. quod possit à nobis extingui. Quæ omnia nequaquam possunt personæ competere. Item Jo. 7. 39. absolute dicitur, quod Spiritus Sanctus non erat.

17. Solvuntur 1.

Solvuntur omnia uno verbo, si respondetur Wolzogenium Spiritus Sancti dona cum ejus Persona confundere. At quoniam hæc Divinæ quoque Personæ non repugnant, hæc sit ad singula responsio. Primum digitus Dei summam Dei potestatem significat, ut constat ex cap. VIII. Exodi 19. & diximus lib. 2. cap. 2. Summa autem virtus, sive virtus Dei debet esse idem ac Dei substantia, non enim in Deo virtus ac potestas ab ejus natura distinguitur. Quare si Spiritus Sanctus est digitus Dei, substantia Dei est, & Deus summus. Confer Psalm. VIII. v. 4. 11. Donum aliud est personale; accidentale aliud: donum accidentale est munus gratiose collatum; personale est ipsa persona, quæ aut se ipsam donat, aut dono datur ab altera. Quo sensu & ipse Filius donum est, ut habetur Joannis 3. 16. Ita Levitæ appellantur donum datum Aaron Num. VIII. 19. Ergo Spiritus Sanctus donum est personale, qui est Persona, quam ad nos in nomine Filii misit Pater. Imo donum est titulo quodam specialissimo, quoniam est Patris & Filii mutuus Amor; & quemadmodum amor & donum est, & causa donorum, ita Spiritus Sanctus & Charitas est, & charitatis largitor. III. Arrhabo, de quo in 2. ad Corinth. 1. 22. fidejussionem significat. Etenim ערבון hebræa vox est ab ערב fide jubere, unde græcum ἀῤῥαβὼν, latinum *arrha;* & proprie portio est rei quæ promittitur, & exprimit aliquid supra *pignus*, ut recte observat Augustinus serm. 13. de verbis Apost. Quare Spiritus Sanctus, qui non solum est pignus, sed etiam Ἀῤῥαβὼν, ad rem ipsam spectat, quæ nobis promittitur. Cum autem nobis promissa sit vita æterna, quæ est visio Dei; Spiritus Sanctus una cum Patre & Filio est vita æterna & ipse Deus. Præterea, si bellum inter se gerentes obsidem dare solent pro pace firmanda, aut filium, aut principem nobilissimum; cur ἀῤῥαβὼν nobis datus à Deo non poterit esse persona? Quod si pertinax sit adhuc Wolzogenius, & omnino velit Arrabona esse pignus à Persona distinctum, ut Judæ annulus & armilla; etiam hoc animadvertat, scriptum esse *pignus Spiritus*, non *pignus Spiritum*, ἀῤῥαβὼνα ἐκ πνευμάτος, non ἀῤῥαβῶνα τὸ πνεῦμα. Inquit Wolzogenius, appellatur Spiritus Sanctus etiam signaculum, & unctio Dei. Ita est. Verum hoc signaculo, unctione ista fit homo Templum Dei, particeps Dei, imago Dei, per gratiam sanctificantem, quæ est participatio Divinæ naturæ. *In hoc cognoscimus*, ait Joannes Epist. 1. IV. 13. *quoniam in eo manemus, & ipse in nobis; quoniam de spiritu suo dedit nobis.* Et Athanas. in Ep. ad Serap. *Si participatione Spiritus Divinæ naturæ participes efficimur; insanus est quicunque Spiritum creatæ conditionis & naturæ, non autem Divinæ esse dixerit.* At de Spiritus Sancti divinitate proximo capite.

Textus secundo loco citati de effectibus, donisque Spiritus Sancti explicandi sunt. Dicitur ergo ad Tit. III. 6. effundi in gratiæ muneribus: nam hoc loco Spiritus sine articulo est; ac præterea habemus contextum Act. x. 45. *Gratia Spiritus Sancti effusa est.* Ulterius *effusio* largam communicationem significat, seu copiosam gratiarum exhibitionem. Etiam Christus Psalmo XXI. 15. effusus dicitur, sicut aqua, & tamen liquet eum esse personam. Dividitur vero Spiritus ratione symbolorum: in quorum divisione unitatem servat substantiæ, ut colligitur ex cap. 2. Act. Ap. v. 3. ubi recensetur multitudo linguarum, & unus Spiritus. In cap VIII. ad Rom. 23. primitiæ Spiritus Sancti dicuntur electi, quomodo & Apocalypsis XIV. 4. nec video quid hinc inferre valeant hæretici, cum & primitiæ dicantur de Christo, quem nullus ambigit esse personam, in 1. ad Corinth. XV. 20. 23. In Epist. ad Thessalon. 1. cap. v. 19. hortamur ne extinguatur Spiritus, posito per metonymiam nomine personæ pro re effecta; idque propriissima comparatione, cum Spiritus in ignis forma descenderit.

18. Solvuntur 2.

In cap. VII. Joan. 39. non omnia exemplaria concordant. Habent aliqua Græca οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον ἐπ' αὐτοῖς. *Nondum erat Spiritus Sanctus super ipsos.* Addunt quædam δεδομένον, *datus*: atque his consentiunt Syriaca. Rectissime ergo Vulgata: *Nondum enim erat Spiritus datus.* Quare frustra colligit hinc Socinianus olim Spiritum Sanctum non extitisse. Etiamsi genuina esset lectio,

19. Solvuntur 3.

Nondum enim erat Spiritus Sanctus, subintelligeretur datus ex relatione antecedentium: quandoquidem hæc immediate præcedunt, *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Sunt enim *accipere*, & *dare* correlativa. Puto Wolzogenium figuram non ignorasse Grammatices, quam vocant Ellipsim.

20. Instantia Wolzogenii. Arguit idem Wolzogen. cap. XXVIII. Si Spiritus S. sit Persona, duos habebimus in Trinitate Filios: unum primæ Personæ solius, alterum primæ & secundæ. Item habebimus duos Patres, unum primam personam, quæ duplici nomine pater erit, nempe quia secundam & tertiam Personam generavit; alterum secundam, quæ una cum Patre generarit Spiritum Sanctum. Atqui ex sacris literis accepimus unum tantum esse Patrem, & unum tantum Filium. Ergo vulgaris doctrina quod Spiritus Sanctus Persona sit, contradictionis gladio se ipsam conficit.

21. Solutio. Resp. nego sequelam majoris. Si enim Spiritus Sanctus est à duobus, ut contra nos arguunt Sociniani, quod verissimum est, & infra probabitur; jam ipsi rationem reddunt cur unus tantum in Deitate sit Pater, itemque unus Filius. Nam Filius est ab uno Patre, & ab eo gignitur immediate. Si ergo Spiritus Sanctus est à Patre, & Filio, sive à Patre per Filium, non erit Filius Filii, quia procedit etiam à Patre; non erit Filius Patris, quia procedit per Filium. Quod verbis Augustini præstat exponere. *Utcumque* (ait S. P. in XV. de Trinit. cap. 27.) *etiam illud intelligitur, quantum à talibus, quales nos sumus intelligi potest, cur non dicatur natus esse, sed potius procedere Spiritus Sanctus; quoniam si & ipse Filius diceretur, amborum utique Filius diceretur: quod absurdissimum est. Filius quippe nullus est duorum, nisi patris, & matris. Absit autem, ut inter Deum Patrem, & Deum Filium, aliquid tale suspicemur, &c.* Quamquam vero quid interest inter generationem Verbi, & processionem Spiritus Sancti difficillimum est definire, & plures afferuntur rationes, quas proponam lib. IX. hæc à Petavio lib. VII. cap. XIII. num. 9. censetur enucleatior, & Wolzogenii argumentum omnino frangit, quemadmodum quæ opponit Crellius lib. 2. sect. 3.

22. Objectio ultima Wolzogenii. Ultimo arguit Wolzogenius in libro, seu declaratione contrariarum sententiarum de essentia unius Dei summi pag. 38. Quando aliquis Filium generat per aliam Personam, certe hæc Persona magis est geniti Filii Pater, quam altera, quæ hanc ad illum generandum adhibuit. Atqui notum est, non Deum Patrem ipsum, sed Spiritum Sanctum supervenisse in Mariam Virginem, eam obumbrasse, & per obumbrationem istam Filium Dei in ea produxisse. Ergo si Spiritus est Persona à Patre distincta, potius pro Patre Domini nostri Jesu Christi habendus est, quam Deus Pater.

23. Solutio. Respondeo Dominum nostrum Jesum Christum non esse genitum à Patre ratione humanæ naturæ temporaliter assumptæ, secundum quam non est Patri substantia similis, ideoque nec Filius: sed genitum esse ratione Verbi assumentis naturam humanam, nempe quia generatio temporalis terminata est ad Personam, quæ est Filius Dei naturalis. Distinquo itaque minorem. Pater per Spiritum Sanctum supervenientem in Virginem produxit Filium, id est naturam humanam, quam Verbum assumpsit; concedo minorem, & nego *suppositum*: quandoquidem spectata duntaxat natura humana, Christus est Filius genitus à sola Virgine, non genitus à Deo Patre. Pater per Spiritus Sancti obumbrationem genuit Filium, videlicet humanam naturam Spiritu Sancto superveniente formatam assumpsit Persona genita à Deo Patre; concedo: & nego iterum *suppositum*, siquidem hæc persona non est producta per Sancti Spiritus obumbrationem, sed erat in principio apud Deum, & ipsa Deus erat. Quod si petas, quare Spiritus Sanctus, cujus virtute formata est Christi caro, non sit Pater Christi, respondeo id esse, quoniam Christus secundum carnem non est similis Spiritui Sancto. Verum hæc non spectant ad nostram cum Socinianis disceptationem, cujus metam videor mihi attigisse.

CAPUT XV.

Macedoniana hæresis impugnatur.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. & 4. Afferuntur argumenta pro Spiritus S. divinitate pugnantia. à num. 5. usque ad 14. refutantur effugia Macedonianorum.

PLURA

Macedoniana hæresis circa Spiritum S. impugnatur.

PLURA sunt, quæ pro Spiritus Sancti divinitate à Theologis afferuntur, & omnia fere collegit Didymus duobus primis libris, quorum lectio erit in hac quæstione perutilis. Nonnulla quoque superius à nobis fuerunt pertractata; nec studiosis nostris ducimus repetenda. Exquisitiora autem illustrantur à Cyrillo in lib. Thesaurorum, ab Athanasio in Epist. ad Serapionem, à Basilio, & Ambrosio in libris, quos de Spiritu Sancto inscripserunt, ab Augustino contra Maximinum, aliosque hæreticos Arianos disputante, à Chrysostomo hom. 89. quæ est de Pentecoste, ab aliis.

1. Probatio 1. ex Nominibus S. Spiritus.

Horum Patrum argumenta hæc sunt potissima. Primum petitur ex nominibus, quæ Spiritui Sancto tribuuntur. Etenim appellatur Deus nomine quatuor syllabarum Isaiæ 6. 9. Psalmo 94. 8. 1. ad Corinth. 12. 11. Nam verba Esaiæ ac Davidis de Spiritu Sancto accipienda, liquet ex Act. Apost. cap. 28. 25. & ex Epist. ad Hebræos cap. 3. 7. Vocatur etiam Dominus 2. ad Thessalon. 3. 5. & in 1. 3. 2. Quod etiam dicitur *arrha*, & pars hæreditatis electorum, *digitus* & virtus & Altissimi; sunt ipsius divinitatis apertissimi characteres.

2. Probatio 2. ex proprietatibus.

Petitur alterum argumentum ex proprietatibus ejus: quarum una est à Deo procedere. Nihil autem potest à Deo procedere diversum à divinitate, alias esset Divina substantia origo accidentium, & adinstar arborum, quæ flores, aut fructus emittunt. Competit illi animam sanctificare: atque de hac ejus efficientia plura notatu digna scribunt Patres. Primo quod per gratiam sanctificantem dicitur Epist. 1. Joannis cap. 2. 24. Deus in nobis habitare, Quomodo non est ergo Spiritus Sanctus Deus de Deo, si qui habet Spiritum Sanctum, habet in se Deum habitantem? Ad hæc per Spiritum Sanctum, & charitatem per eum diffusam recipit homo lavacrum regenerationis, & renovationis, ut loquitur Paulus ad Tit. 3. 5. Quænam vero creaturarum potest creaturam regenerare, & renovare? Item per hanc gratiam fiunt membra nostra *templum Spiritus Sancti*, ut loquitur Apostolus 1. ad Corinth. 3. 16. At templa non eriguntur, nisi aut vero Deo, aut iis, qui pro vero Deo reputantur. Tribuitur quoque Spiritui Sancto, quod suscitaverit Christum à mortuis, & vivificaturus sit corpora nostra, ad Rom. VIII. 11. Quare, cum verus Deus sint Pater & Filius, de quibus ait Jo. v. 21. *Sicut Pater suscitat mortuos, & vivificat; sic & Filius quos vult vivificat*; necesse est, ut Spiritum Sanctum verum Deum fateamur. Convenit illi quoque alium esse à Christo Consolatorem & Paracletum, & τὸ *alium* comparationem simul, & personalem distinctionem importare arbitror manifestum. Alias non expediebat Apostolis Magistum abire, si pro Domino Jesu Christo, aut creaturam, aut rem minime subsistentem accepturi fuissent.

3. Probatio 3. ex D. attributis.

Tertium argumentum promitur ex Divinis attributis, quæ Spiritui Sancto convenire prædicti PP. luculenter demonstrant. Etenim Spiritum Sanctum scrutari omnia etiam profunda Dei probant ex Epist. Pauli 1. ad Corinth. cap. 2. 10. Esse creatorem universorum ostendunt ex verbis Job. 33. *Spiritus Dei fecit me:* & ex Ps. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Effici ab eo operationes naturæ, & gratiæ ostendunt ex Psal. 103. 30. & ex 1. ad Corinth. 6. 11. Habere immensitatem, terramque replere inferunt ex Sap. 1. 7. & ex Psalm. 138. 7. Misisse nobis Redemptorem arguunt ex Es. 48. 16. *Nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus ejus.* Christi Corpus in utero Virginis procreasse demonstrant ex Lucæ 5. 35. Præesse regimini Ecclesiæ ex Act. Apost. 13. 2.

4. Probatio 4. ex perfecta Communione Patris, Filii, & Spiritus Sancti.

Argumentum quartum profertur ex perfecta Patris, Filii, & Spiritus Sancti communione: quam comprobant. I. Quia tres Personæ simul fuerunt Dux Israelitici populi, Pater, de quo Hierem. 2. 6. *Dominus traduxit nos per desertum*: Filius, de quo Psalm. 79. 10. *Dux itineris fuisti in conspectu ejus*: Sp. S. de quo Esaias 63. 14. *Spiritus Domini ductor ejus fuit.* II. Quia tres pariter locuti sunt in Prophetis; Pater, de quo Zacch. 1. 6. *Verba mea, & legitima mea, quæ mandavi servis meis Prophetis:* Filius, de quo Isaias 52. 6. *Ego ipse qui loquebar, ecce adsum:* Spiritus Sanctus, de quo Act. 1. 16. *Oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus, &c.* III. Quia tres una Hierarchiam Ecclesiasticam instituerunt; Pater de quo 1. ad Corinth. 12. 28. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, &c.* Filius, de quo ad Ephes. 4. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, &c.* Spiritus Sanctus, de quo Act. 20. 28. *Attendite vobis, & universo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* IV. Quia tres implent ex æquo universum; Pater, de quo Hierem. 23. 24. *Cœlum & Terram ego impleo:*

impleo: Filius, de quo ad Ephes. 4. 10. *Implet omnia*; Spiritus Sanctus, de quo Sap. 1. 7. *Replevit orbem terrarum.* V. Quia tres dicuntur eadem ratione ignoti mundo; Pater, de quo Joan. 17. 25. *Pater juste, mundus te non cognovit:* Filius, de quo cap. 1. 10. *Et mundus eum non cognovit:* Spiritus Sanctus, de quo cap. XIV. 17. *Quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum.* VI. quia tres eadem ratione testimonium perhibent de Christi Divinitate, ut Joan. Epist. 1. cap. v. 7. & unico nomine in administratione Baptismatis invocantur, ut habetur Mat. 28. 19. 7. Denique tres eadem potestate singula efficiunt; Pater, de quo 2. ad Corinth. 5. 18. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum*: Filius de quo ad Ephes. 1. 10. *Instaurare omnia in Christo, quæ in Cœlis, & quæ in Terra sunt, in ipso*: Sp. S. de quo 1. ad Cor. 12. 11. *Hæc autem omnia operatur unus; atque idem Spiritus.* Quum ergo Spiritus Sanctus habeat nomen, proprietates, attributa, quæ summo Deo tantum competunt, perfectissimamque cum Patre & Filio communionem operationum, atque substantiæ; consequens est illum Deum esse ipsi Patri, Filioque consubstantialem.

5. Probata fuit Divinitas S. Spiritus & refutata Macedonianorum argumenta.

Neque vero probaverunt tantummodo his momentis Sancti Spiritus divinitatem: sed etiam refutarunt quidquid poterant Macedoniani adversus dicta reponere. Hi principio dixerunt, in sacris literis Spiritus Sancti nomine virtutem & energiam designari, ut regerunt modo Sociniani, contra quos cap. præcedenti pugnavimus. At instant ex adverso Patres, fieri non posse, ut cum Persona Divina sit Filius, qui missus est à Patre, & Patrem glorificat, non sit Divina Persona etiam Spiritus Sanctus, qui à Filio mittitur, & glorificat Filium; & habet ad illum talem ordinem ac respectum, qualem habet ipse Filius ad Patrem. Addunt, quæ nos pluribus prosecuti sumus de operibus propriis personarum, & de emphasi, atque articulo, quo in Græcanicis Scripturis exprimitur. Affirmant non esse alium nisi Spiritum Sanctum, quem Paulus in 1. ad Thessalon. 3. 12. vocat *Dominum*, qui multiplicat, & abundare facit charitatem nostram invicem, confirmatque corda nostra sine querela in sanctitate ante Deum Patrem, in adventu Domini nostri Jesu Christi. De eodem Spiritu Sancto interpretantur similia verba in altera ad Thessalonic. cap. 3. 5. *Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, & patientia Christi.* Quibus esse Dominum Personam aliquam à Deo Patre, & à Christo distinctam, monstrat vel ipsa orationis complexio.

6. Instantia Pneumatomachorum.

Reponebant ulterius Pneumatomachi (quod & repetunt Novatores) inter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum certis syllabis notari discrimen. Nam de Patre scriptum est in 1. ad Corinth. cap. VIII. 6. *Ex quo omnia*, & de Jesu Christo, *per quem omnia*: quæ propositio *Per*, etiam Spiritui Sancto aptatur ad Tit. 3. 5. ideoque hi duo non videntur esse Deus ille summus. At inquiunt Patres perinde esse si dicamus aut *ex*, aut *per*. Etenim de vero Deo legitur Genes. 4. 1. *Possedi hominem per Deum.* 1. ad Corinth. 1. 9. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus Christi.* Atque eodem pacto de Spiritu Sancto effertur aliquando *ex*, ut Joan. III. 6. *Quod natum est ex Spiritu;* quæ verba conferenda sunt cum vers. 13. cap. 1. & aliquando *Per*, ut ad Rom. v. 6. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, &c.* Quamquam particula *Ex* potiori quodam titulo spectat ad Patrem, qui est fons Deitatis totius.

Solutio Patrum.

7. Replicatio Heterodoxorum.

Petebant 3. Heterodoxi qui fieri possit, ut Spiritus Deus Altissimus sit, cum tam hebræum רוח, quam græcum πνεῦμα, latinumque vocabulum *Spiritus* quandoque ventum, aliamve rem creatam significet, ut cap. IV. Amos. Atque respondent Patres Spiritum Sanctum, nunquam simpliciter Spiritum nominari sine additamento Dei, aut Patris, aut *à me*, hoc est ex Deo, vel absque articulo, vel Christi, vel Filii, aut quod non addatur Sanctus, aut Paracletus, aut veritatis, hoc est Filii, qui seipsum nominat veritatem. Dignosci præterea ex complexu sermonis, de quonam Spiritu agatur; quomodo apud Amosum; ubi memorantur flagella, quibus Deus in Israel prævaricantem animadvertit, Spiritus dictus est ventus urens: unde recte legit Vulgata cit. cap. IV. 9. *Percussi vos in vento urente, & in aurugine.* Atque hæc sunt præcipua pro divinitate Spiritus Sancti argumenta apud Patres supra laudatos: quæ, si ad fontem venerit, hauriet quisque meis hisce rivulis puriora.

8. Solutio 2.

Ad priorem classem locorum, in quibus Dei nomen Spiritui Sancto tribuitur, spectat vers. 3. cap. v. Act. *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto?* Et infra vers. 4. *Non es mentitus hominibus, sed Deo.*

Unde

Unde argumentantur Theologi: Ille, cui mentitus est Ananias, Deus est: Ananias mentitus est Spiritui Sancto: Ergo Spiritus Sanctus Deus est. Quem locum postremo recitavimus, ut ab hæreticorum, qui valde eo premuntur, vindicetur argutiis.

9. Oppositio Crellii & Solutio ejus.

Itaque respondet Crellius, in Græco haberi, ψεύσασθαι σε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον: *mentiri te, & fallere Spiritum Sanctum.* Sed elusio est puerilis. Nam 1. demonstrat Grotius ψεύδεσθαι, *mentiri*, quod respondet Hebræo כזב, modo cum dativo construi, ut Job. 34. 6. Psalmo LXXVII. 36. LXXXVIII. 35. modo cum accusativo, ut 2. Regum IV. 16. Atque ita hic 3. commate cum accusativo construitur, sequenti cum dativo. Pari modo εὐλογεῖν, *benedicere*, modo dativum post se habet, modo accusativum. Sed & Græci sic loquuntur, ut Aristophanes, ἐ ψεύσει γέ με, *Non me falles.* Hæc Grotius. Glassius vero de Propos. Can. v. demonstrat consimilibus exemplis ex Thucydide, Pindaro, & Hesiodo petitis propositionem *Ad*, vel *In* interdum reticeri: & idem esse mentiri τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, *Spiritum Sanctum*, ac, mentiri εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, *in Spiritum Sanctum.* Particulam εἰς *in* haberi in quibusdam Mss. testatur Theodorus Beza, & legi in versione Syriaca testatur Lorinus, ac liquet ex Polyglottis. Dabo Socinianis testem locupletem, & omni exceptione majorem, Socinianum ipsum, qui edidit Comment. in Acta Sanctorum Apostolorum, nempe Wolzogenium. Qui p. 30. inquit. *Quædam exemplaria græca habent mentiri te in Spiritum Sanctum.* Ut & Col. 3. 9. dicitur, *Ne mentiamini in alios alii*, id est, *erga alios. Quæ propositio etiamsi hic esset suppressa, posset subintelligi. Sed sicut alia quædam verba construuntur aliquando cum dativo casu, aliquando autem cum accusativo, ut evangelizo tibi, & evangelizo te, benedico tibi, & benedico te, imo etiam benefacere aliquem pro alicui*, Matth. 5. 44. & Marc. 14. 7. *ita etiam græce dicitur non tantum, mentior tibi. sed & mentior te. Cujus constructionis exemplum citatur & ex Aristophane Comico Græco, & ex Græca versione Bibliorum*, Prov. 14. 5. & 4. Regum cap. 4. 16.

10. Cautela.

Ex his infertur quam falsa sit eorum commendatio, qui scribunt Ananiam mentitum Spiritum Sanctum, quod se hypocritam simulaverit fraudando de pretio agri: quam interpretationem dolemus etiam Catholicis nonnullis probari. Quamquam enim ille simulate se gessit, attamen mentiri Spiritum Sanctum est velle; quantum in se est, fallere Spiritum Sanctum; ut constat ex dictis, & Wolzogenius ipse fatetur. Præterquam quod hypocrita dicitur quidem mentiri se Sanctum, non vero Spiritum Sanctum.

11. Instantia Sociniano-rum, & Solutio.

Inquiunt Sociniani, Ananiam mentitum Spiritui Sancto, quia mentitus est Apostolis, in quibus Spiritus Sanctus degebat. Ita est. At quoniam mentitus est Apostolis, in quibus Spiritus Sanctus degebat, dicitur sequenti commate mentitum fuisse Deo. Ergo Spiritus Sanctus. qui degebat in Apostolis, Deus est. Si enim, ut consimili utar exemplo, arguero: Membra nostra sunt templum Spiritus Sancti, qui in nobis est. 1. Ad Corinth. 6. 19. Qui fornicatur violat corpus suum, Ibi. v. 18. Ergo qui fornicatur violat templum Spiritus Sancti: At Templum, in quo Spiritus Sanctus habitat, est Templum Dei cap. 3. 16. Igitur qui fornicatur, violat templum Dei. Puto neminem sanæ mentis negaturum hanc consequentiam. Tale est argumentum petitum ex cap. v. Act. In Apostolis degebat Spiritus Sanctus: Ananias mentitus est Apostolis: Igitur mentitus est Spiritui Sancto; At quisquis mentitur Spiritui Sancto, mentitur Deo; Ergo Ananias qui mentitus est Apostolis, mentitus est Deo. Et hanc consequentiam nullus negat. Sed ex priori argumentatione infertur, idem omnino esse Templum Dei, & templum Spiritus Sancti, quod in corporis pollutione violatur: Igitur ex argumentatione sequenti infertur, eumdem esse Spiritum Sanctum, & Deum, cui Ananias in Apostolis mentitus est.

12. Instantia Wolzogenii.

Respondet idem Wolzogenius Comment. in Act. Apost. pag. 31. Simile huic dictum est Exodi XVI. ubi postquam v. 2. scriptum est congregationem Israelitarum murmurasse contra Moysen, & contra Aaronem; deinde versu 8. dicitur: *Non contra nos murmurationes vestræ, sed contra Dominum.* Et Num. 20. postquam dictum v. 3. jurgatum esse populum cum Moyse, postea v. 13. dicitur ibi tunc jurgatos esse Filios Israel cum Domino. Vide etiam Mat. x. 40. XVIII. 5. Marci 9. 37. Luc. 10. 16. 1. Cor. 8. 12. Non recte ergo hinc concluditur Spiritum Sanctum hoc loco expresse vocari Deum: non magis bene, quam si ex superius citatis aliquis concluderet Moysen esse ipsum Deum, & eos qui nomine Christi venientes vel recipiuntur, vel rejiciuntur esse ipsum Christum.

13. Solutio.

Verum neque hæc subsistunt. Negativum adverbium pro comparativa particula *potius* sæpe ponitur, quomodo si quis injuria afficiat legatum, dicitur non hunc parvi pendere, sed principem; & econtra qui ministro præstat obsequium, regi dicitur obtemperare, non famulo. Hoc sensu Exodi XVI. 8. murmuravit congregatio Filiorum Israel non contra Moysen, sed contra Dominum, quia ille Domini, vicem gerebat. Ob eamdem causam contra Deum jurgati sunt Num. 20. 13. Ita Mat. 10. 40. Qui autem Prophetam, aut pauperem suscipit, suscipit Dominum, quoniam ab ipso mittuntur, & de ejus familia sunt. Et qui peccat in fratres, ut legitur 1. ad Corinth. 8. 12. peccat in Christum, quoniam sunt illi membra corporis, cujus Salvator est caput. Similiter qui spernit doctrinam Apostolicam, illum contemnit, qui Apostolos elegit, docuit, & misit; ut habetur 1. Thessalon. 4. 8. Ibi ratio redditur manifesta. Ait enim Apostolus: *Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum; qui etiam dedit Spiritum suum Sanctum in nobis*, Gr ἀλλὰ τὸν θεὸν, ὃν διδόντα τὸ πνεῦμα αὐτοῦ τὸ ἅγιον εἰς ὑμᾶς. Sed inquit hæreticus: At Moyses non est Deus: Eccur Spiritus Sanctus Deus est? Nonne similia sunt verba verbis, ac sententiæ sententiis? Imo dissimilia. Exodi XVI. 2. habes: *Murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen & Aaron.* Act. 21. 3. *Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto.* Ergo murmur adversus Moysen, mendacium adversus Spiritum Domini prolatum est. Consentientem habeo Wolzogenium huc usque. Exodi XVI. 8. legitur: *Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum*, id est principaliter murmur vestrum fuit contra Dominum, deinde contra nos servos Domini. Act. v. 4. legitur: *Non es mentitus hominibus, sed Deo;* nempe potius, quam nobis hominibus Dei ministris. Neque arbitror mecum Wolzogenium hactenus dissentire. Jam vide hominis calliditatem. Quinam sunt, de quibus Exodi XVI. 8. lectum est: *Nec contra nos est murmur vestrum?* Sunt, ut vides, Moyses, & Aaron, de quibus vers. 2. legeras: *Murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen & Aaron.* Ergo Moyses & Aaron non sunt ipse Dominus, contra quem filii Israel principaliter murmuraverunt, quoniam ipsi sunt, de quibus, vers. 8. legisti: *Nec contra nos est murmur vestrum.* Redeamus ad cap. v. Act. Quinam sunt illi, de quibus v. 4. scriptum est: *Non es mentitus hominibus?* Non est quidem Spiritus Sanctus, de quo v. 3. legimus: *Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto;* nam Spiritus Sanctus non est homo, non est Apostolus Petrus. Ergo Spiritus Sanctus est ipse Dominus, ipse Deus, cui Ananias principaliter mentitus est, de quo v. 3. *Mentiri te Spiritui Sancto.* Non enim Spiritus Sanctus excluditur, *Non es mentitus hominibus*, quomodo excluditur Moyses & Aaron, dum dicitur, *Nec contra nos est murmur vestrum.* Quoniam Moyses & Aaron v. 8. excluduntur, sequitur, neque Moysem neque Aaronem esse Dominum. Quoniam Spiritus Sanctus versu 4. non excluditur, sequitur Spiritum Sanctum, esse Deum. Idem valet de aliis locis perperam à Wolzogenio citatis. Cujus calliditas me in hoc septimo libro exarando reddidit molestissimum.

14. Divinitas Spiritus S. ex traditione Patrum.

Etiam traditione Patrum Spiritus Sancti confirmatur divinitas. Justinus Apol. 1. *Filium* (inquit) *Spiritum Sanctum colimus, & adoramus, cum ratione & veritate venerantes.* Athenagoras in Apolog. *Quis non miretur cum audiat, nos qui Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium, & Deum Spiritum Sanctum, eorum in unitate virtutem, & in ordine distinctionem explicantes, Atheos vocari?* Lucianus, *Deum alte regnantem, magnum, immortalem, cœlestem, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, & ex uno tria.* Vide & Irenæum lib. 4. cap. 37. Clem. Alex. lib. 1. Pedagogi cap. 6. Tertull. contra Praxeam cap. 2. Cyprianum Epist. 73. Non multus hic ero, quum hanc traditionem confirment Generalia Concilia, Nicænum, & expressius Constantinopolitanum primum in Symbolo, & in Epistola Synodica ad Episcopos Occidentis; neque id negent hæretici Sociniani, contra quos potissimum disputavimus: quorum aliqui Catholicam de individua Trinitate doctrinam appellant Commentum veterum Patrum ex Ethnica Platonis Schola in Religionem Christianam indroductum, ut Wolzogenius cap. 6. in Joan. aliqui audacter proferunt, totius Orbis consensum non posse adversum id, quod Divinis oraculis aperte est consignatum, ut dogma de unica in Deitate Persona, ut Faustus Socinus contra Wiekum p. 617. aliqui nos ad solas Scripturas provocant, ut Semiariani cæteri. His autem nos aliquantulum satisfeciſſe confidimus, quo-

modo

modo, si Deus tantum otii & valetudinis concesserit, iis quamprimum facturi sumus, qui ausi sunt fidem antiquorum Patrum damnare. Viguit enim perpetuo in Christi Ecclesia Fides, de qua Victorinus in Hymno Tom. IV. Bibl. PP. pag. 294.

Hinc singulis vera, hinc tribus una substantia est,
Progressa à Patre Filio, & regressa à Spiritu:
Quia tres existunt singuli, & tres in uno singuli.
Hæc est beata Trinitas, hæc beata Unitas.

CAPUT XVI.

Ad reliqua in contrarium argumenta.

SUMMARIUM.

à num. 1. usque ad 5. expediuntur vulgares contra Spiritûs S. divinitatem oppositiones.

1. Vulgaris contra Divinitatem Sp. S. Objectio 1. cum solutione.

EXPEDIAM nunc vulgares contra Spiritus Sancti divinitatem oppositiones. Quarum sit prima. In sacris literis quandoque Pater, & Filius nominantur nulla facta Spiritus Sancti mentione, qui neque alicubi expresse Deus nuncupatur. Non ergo Sp. S. Deus est, neque eamdem habet cum Patre, & Filio communionem naturæ.

Resp. nego conseq. I. Quia interdum simul nominantur Pater, & Spiritus Sanctus, ut Is. 45. *Et nunc Dominus misit me, & Spiritus ejus:* nonnunquam vero tres personæ simul, ut Matth. XXVIII. *Baptizantes eos, &c.* II. Quoniam revera Spiritus Sanctus appellatur *Deus* Act. v. 4. *Dominus* 1. ac Thes. 3. 12. eique tribuuntur opera, & caracteres divinitatis, ut supra probatum est. III. Quia argumentum istud negativum potest in Adversarios retorqueri, quippe nullibi Spiritus Sanctus appellatur creatura neque in his locis, ubi creaturæ omnes commemorantur, & ad benedicendum Deum invitantur Ps. 102. & 148. nec non in Cantico trium puerorum.

2. Objectio 2.

Opp. 2. Ad Rom. 8. 26. scriptum est: *Spiritus postulat pro nobis.* At postulare nota est indigentiæ, quæ nequit Deo convenire. Item Jo. 2. 3. habetur, omnia facta esse per Verbum; quare si Spiritus Sanctus est aliquid, factus est, ideoque res creata. Iterum Joan. VI. 13. habetur: *Non enim loquetur à semetipso.* Impotens est ergo ac dependens. Notandum hic quoque verbum futuri temporis *loquetur*: in Deo namque futurum nefas est cogitare. Rursus *contristari* dicitur ad Ephes. 4. 30. & 1. ad Corinth. 2. 10. *Scrutari* profunda Dei: quæ duo sunt passionis & ignorantiæ argumentum.

3. Solutio.

Resp. ad 1. Spiritum Sanctum hoc sensu postulare pro nobis, quia postulare facit, ut explicat S. P. August. Ep. 105. Cujus explicationis veritas constat, quia Spiritus Sanctus eodem cap. VIII. 15. appellatur à Paulo Spiritus adoptionis, *in quo clamamus, Abba, Pater.* Atque Zacch. XII. 10. *Spiritus gratiæ, & precum.* Nam actiones tribui iis solent, qui agendi conferunt δύναμιν, potestatem, ut ipsi docent Grammatici. Quod nobis insinuans Apostolus, præmiserat: *adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus.* Adde in Græco inveniri ὑπερεντυγχανει superexpostulat. Est autem ὑπερεντυγχάνει superexpostulat. Est autem ὑπερεντυγχάνειν Advocatorum, qui dicant suspiria Clientibus. Chrysostomus denique Hom. 14. in Epist. ad Rom. per Spiritum postulantem donum intelligit Orationis. Ad 2. dico Jo. 1. 3. per *Omnia* comphrehendi universitatem creaturarum, à quibus ut distinguitur Pater, qui Verbo suo condidit cælum & terram, ita sejungitur Spiritus oris ejus, à quo est qualiscunque virtus eorum. Ad 3. resp. cum Augustino Tract. 99. in Joannem, Spiritum Sanctum non loqui à semetipso, quoniam ab illo à quo procedit est ei essentia, scientia, & audientia; nec movere debet, quod verbum futuri temporis positum est, quia & ponitur ratione termini, & in ordine ad creaturas, quibus Sp. S. mittendus erat, & de re sempiterna enunciatur absque mendacio, fuit, est, erit. Ad 4. dico Spiritui Sancto tribui tristitiam metaphorice, & propter hominum ingratitudinem, qui ejus dona contemnunt; quemadmodum Genes. VI. 6. dicitur Deus *tactus dolore cordis intrinsecus*: & Ps. 77. 40. exacerbatus, & concitatus in iram. Ad 5. Resp. verbum scrutari non semper indaginem & ignorantiam notare, sed sæpenumero certam intimamque notitiam, ut Psalmo VII. 10. Jer. XI. 20. Apoc. II. 23. dicitur Deum scrutari renes & corda: quo sensu

sensu accipiendum hoc verbum in 1. ad Cor. liquet, quod illic τὸ πνεῦμα, Spiritus, scrutari dicitur etiam βάθη τοῦ Θεοῦ, *profunda Dei*; nimirum consilia occulta, & altitudinem sapientiæ Dei, cujus viæ, & recessus sunt creatis mentibus investigabiles.

4. Objectio 3. Opp. 3. In 1. ad Corinth. 14. 32. hæc habentur: *Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt.* Spiritus prophetarum est Spiritus Sanctus, quo inspirante loquebantur Prophetæ. Igitur Spiritus Sanctus hominibus subjectus est.

Solutio Resp. dist majorem. Spiritus Prophetarum humanus, nempe mens Prophetarum, quæ Spiritu Dei afflante agebatur, concedo; Spiritus Prophetarum, scilicet Spiritus Dei, qui Prophetarum mentem illustrabat, nego subjectum esse Prophetis. Loquitur Apostolus de Spiritu Prophetarum humano: quod constat tum quia πνεύματα absque articulo legitur, tum quia pluralis est numeri, cum Spiritus Dei unus sit. Spiritus autem Prophetarum subjecti sunt Prophetis, primo quia unius aut alterius doctrina judicio Ecclesiæ subjecta est. Deinde quia divinitus afflati suæ potestatis sunt, neque ad instar Pythonicorum tanquam dementes agitantur; ut de Sybilla Virgilius:

At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur Vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum.

Opp. 4. Spiritus Sanctus mittitur à Filio; ergo est Filio minor. Resp. dist. ant. Mittitur per imperium, ut servus à Domino, nego: per originem, concedo. Vide infra cap. xx. Objectio 4. cum solutione.

Opp. ultimo. Spiritus Sanctus non est neque genitus, neque ingenitus: non genitus, quia genitum esse convenit Filio, non ingenitus, quia esse ingenitum proprium est Patris. At qui non est genitus, neque ingenitus, non est Deus. Ergo &c. 5. Objectio ultima.

Resp. dist. majorem Spiritus Sanctus non est Ingenitus, quatenus ἀγέννητον significat non factum nec creatum, nego. Non est Ingenitus, prout ἀγέννητον significat Personam, quæ à nulla alia procedit, conc. Vide cap. xii. ad v. Falsa quoque est minor propositio, quia præter Personam Ingenitam quæ non habet ab alia originem, & personam genitam, quæ est ab una, datur Persona, quæ est à duabus simul, & peculiari quadam ratione apellatur PROCEDENS, ut diximus cap. xiv. ad penultimum Wolzogenii argumentum. Atque hæc de suprema illius divinitate, de quo Nazianzenus in Carm. latine reddito: Solutio.

Nec rursus deitate carens, ab eaque remotus,
Sed Patri, & Nato unigeno par prorsus honore.

CAPUT XVII.

Num Spiritus Sanctus à Patre, Filioque procedat?

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. 3. 4. & 5. probatur, Spiritum Sanctum à Patre, filioque procedere.
à num. 6. usque ad 11 idem præter quarumdam Græcarum responsionum refutationem per alias adhuc rationes stabilitur.

1. Processio Spiritus S. à Patre Filioque. MAGNUM versatur Latinos inter, Græcosque de processione Spiritus Sancti à Filio dissidium, his, non quidem omnibus, sed levioribus tantum & Schismaticis, asserentibus à solo Patre procedere, illis propugnantibus originem habere ab utroque. Atque erroris Græcorum auctor creditur Theodoretus, qui in Confutatione ix. Anathematismi Cyrilli ait, quod dicere Spiritum Sanctum ita proprium Filii, ut ex Filio, aut per Filium extantiam intelligatur habere, id impium est, ac blasphemum: quamquam Theodoretus facile potest excusari, ut postea dicam. Non semel sopitus jam error fuit à Græcis instauratus. Ventilata fuit hæc quæstio Pipino Francorum rege, & definita in Synodo habita in villa Gentiliaco prope Lutetiam anno Ɔɔcclxvii. Tum vehementius exagitata adversus Latinos ab invasore Sedis Constantinopoleos Photio Spadone circa annum 863. quem hominem totius Orientis exitio natum an. 869. Synodus octava damnavit. Decertarunt iterum Græci cum Latinis Urbano II. Pontifice an. 1097. eosque in Concilio Barensi compescuit S. Anselmus Cantuariensis Episcopus; qui & magnum sibi nomen comparavit, & singu-

singularem pro Catholica fide navavit operam. Postea sub Innoc. III. ad Ecclesiæ Romanæ communionem in IV. Lateranensi Synodo redierunt Græci, & sedata contentio est. At relapsi quamprimum in antiquum errorem. Concordiam rursus inierunt Imperante Michale Paleologo, & sedente Gregorio X. an. 1274. & rursus in pristinum schisma, erroremque relapsi. Pugnarunt interim adversus domesticos viri suorum Scriptorum laudibus celebratissimi Joannes Beccus, & Nicephorus Blemmydes, de quibus plura Petavius lib. VII. cap. I. Tandem anno 1439. in Florentino Generali Concilio controversia finita est, & Græci Patres Catholico dogmati subscripserunt, uno excepto Marco Ephesio, cujus opera plures quidem subornati ad antiquum errorem sunt regressi, sed nulla publica fide fuit deinceps universa Græcorum Ecclesia labefactata. Dixi autem *publica fide*, quoniam licet magna ex parte Orientalis Ecclesia antiquum modo tueatur errorem; sunt tamen Græci complures, qui Orientalibus Patriarchis minime obtemperant, sed cum Romanis rectæ fidei confessione communicant. Hanc utriusque Ecclesiæ communionem meritis beati Nicolai Tolentinatis acceptam refert Eugenius IV. quod etiam exprimitur in Ecclesiastico hymno:

Exorta ab annis schismata
Pelluntur ima ad tartara:
Græci à Latinis dissiti
Junguntur uno fœdere.

2. Propositio. PROPOSITIO: Spiritus Sanctus à Patre, Filioque procedit.

Argumentum 1. ex Scriptura. Triplici argumentorum genere hæc propositio probatur, Scripturis, auctoritate Patrum, ratione. Atque ex Scripturis hæc depromuntur. I. Spiritus Sanctus appellatur Spiritus Filii, ad Galat. IV. 6. *Misit Spiritum filii sui in corda vestra.* Act. 16. *Non permisit Spiritus Jesu.* Joan. XIV. 17. *Spiritus veritatis*, id est ipsius Filii, qui est via, veritas & vita. At appellari nequit Spiritus Filii, nisi hoc titulo, quod à Filio procedat. Ergo Spiritus Sanctus procedit à Filio. Prob. minor. Spiritus Sanctus aut nuncupatur *Spiritus Filii* quod sit Filii Sanctitas extrinsecus ingrediens & adventitia, aut quod sit eidem Filio Consubstantialis, (quomodo audio recentiores Græcos reponere,) aut Filii instrumentum, & virtus, aut denique quia à Filio habet esse. Non enim video quo alio titulo *Spiritus Filii* possit appellari. Sed Spiritus Sanctus non dicitur *Spiritus Filii*, quod sit illi adventitius, ut in iis evenit qui ejus munere sanctificantur; neque quod sit Filii instrumentum, & virtus accidentalis: quæ duo Græci fatentur. Rursus non dicitur *Spiritus Filii* eoquod sit Filio Consubstantialis; quippe diceretur etiam ipse Filius Spiritus Sancti propter Consubstantialitatem: quod cogitatu absurdum est. Ergo remanet quod Spiritus Sanctus dicatur *Spiritus Filii* propter relationem originis, & quia ab illo procedit.

Confirmatio. Præterea Christus Dominus Joan. XX. 22. insufflavit dicens: *Accipite Spiritum Sanctum.* Cur autem insufflavit, nisi ut ostenderet à se Spiritum Sanctum procedere, quomodo corporeus halitus ab ore alicujus emittitur? Legite Augustinum Tract. 121. in Joan. & lib. 3. contra Maxim. cap. 14.

Roboratio. Tertio probatur; nam Spiritus Sanctus mittitur à Filio; Ergo à Filio procedit. Ant. constat ex cap. XVI. Joannis 7. *Si autem non abiero, Parachitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Prob. conseq. I. Quia hic est ordo naturæ Divinæ, ut qui à nullo est, à nullo mittatur, ut probatur in Epist. ad Serap. S. Athan. & lib. 4. de Trinit. cap. 19. S. P. Augustinus. Si ergo Spiritus Sanctus à Filio mittitur, à Filio procedit. II. Quia probatur Filium à Patre procedere, quia de ipso scriptum est, *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, & Exivi à Patre, & veni in mundum*, atque, *Evangelizare pauperibus misit me, &c.* III. Quia ille, qui ab alio mittitur, debet ab eo aliquam potestatem recipere, aut saltem mandatum ac præceptum. At Spiritus Sanctus, qui fatentibus adversariis Deus summus est, non accipit à Filio mandatum, quod nota sit subjectionis. Recipit ergo potestatem, quæ à Divina substantia nequit esse distincta. Neque aliud respondere possunt Græci, nisi Spiritum Sanctum, qui à Filio mittitur, esse sanctificationis gratiam, non Divinam Personam. Quæ responsio & supra impugnata est, & hoc eodem argumento rejicitur, quandoquidem misit Filius Spiritum Sanctum, *qui à Patre procedit.* At Spiritum, *qui à Patre procedit*, personam esse Græci non dubitant.

Confirmatio. Rursus Joan. XVI. 14. habetur: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt; Propterea dixi: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Plura hic occurrunt notanda. Ac primo: Spiritus Sanctus accipit esse à Filio. Quid enim accipere potest Di-

vina Persona, cui essentia est quidquid habet? Sed recipere *esse* idem est ac procedere. Procedit ergo Spiritus Sanctus à Filio. Deinde: propterea dixit Christus Dominus, *De meo accipiet, & annuntiabit vobis, quia omnia quæ habet Pater sunt ipsius Filii.* Quare si Pater habet de sua essentia, ut Spiritus Sancti principium sit; similiter hoc habet Filius. Rursus Divina Persona si habeat ab altera quidquid annuntiat, habet ab eadem extantiam: unde enim est in Divinis *audientia*, inde est & essentia: Spiritus Sanctus accipit à Filio, ut futura annuntiet; Ergo à Filio recipit etiam ut sit. Demum λαμβάνειν hic non potest alium habere sensum quàm audire quæ loqui debeat, & quasi μανθάνειν *discere*, ut Prov. 1. 3. & Deut. XXXII. 2. Habet ergo Spiritus Sanctus à Filio Sapientiam. In Deo autem Sapientia & essentia idem sunt. Igitur, &c.

6. **Græcorum instantia eluditur.** Nil efficit Græcorum responsio, qui asserunt Spiritum Sanctum accipere essentiam, divinitatem, ac Spientiam à solo Patre, non à Filio; & ea verba ἐκ τῦ ἐμῦ λήψεται, *De meo accipiet*, reddenda esse, *De Patre meo*. Nam diserte ipse Dominus sententiam suam explicat dicens: *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, &c.* Si ergo Spiritus Sanctus procedit à Patre, & quidquid habet Pater habet & Filius, sola excepta Paternitate, quæ propter relativam oppositionem ipsi Filio nequit communicari; necesse est, ut Spiritus Sanctus procedat etiam à Filio: alias frustra Christus ea verba protulisset. Sed vide Literas Unionis Eugenii IV. Atque hæc Latinorum Responsio variis perantiquis sacrorum Bibliorum versionibus roboratur, ut Persica, quæ legit: *A me accipiet*: Arabica, quæ habet: *Nam accipiet de eo, quod meum est*: Aethiopica: *Totum quod habet, meum est*: Syriaca: *Quippe qui de me accipiet.* Ut Tom. v. Polygl. Waltonianæ p. 488. & seq.

7. Secundo probatur istud Ecclesiæ Latinæ dogma clarissimorum Græcorum auctoritate. Inter hos Epiphanius in Ancorato diserte scribit: Χριστὸς ἐκ τοῦ πατρὸς πιστεύεται θεὸς ἐκ θεῦ, καὶ τὸ πνεῦμα ἐκ τῦ χριστῦ, ἢ παρ' ἀμφοτέρων, *Christus ex Patre creditur, Deus de Deo, & Spiritus ex Christo, aut ex ambobus.* Et Hæresi 74. τὸ γὰρ ἅγιον πνεῦμα παρ' ἀμφοτέρων, πνεῦμα ἐκ πνευμάτος. *Sanctus autem Spiritus ex ambobus, Spiritus ex Spiritu.* S. Cyrillus in Joelem cap. 2. Καὶ ἐκ θεῦ κατὰ φύσιν ὁ υἱὸς (γεγέννηται γὰρ ἐκ θεῦ, καὶ πατρὸς) ἴδιον αὐτοῦ τε, καὶ ἐν αὐτῷ, καὶ ἐξ αὐτοῦ τὸ πνεῦμα ἐχει. *Et ex Deo quidem secundum naturam Filius (genitus est enim ex Deo, & ex Patre) Proprius autem ipsius, & in ipso, & ex ipso Spiritus est.* Et lib. 14. Thesauri: Ὅτι ἐκ τῆς ἐσίας τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱὸς τὸ πνεῦμα, & statim, πρέπει δὲ ἐκ πατρὸς καὶ υἱὸς. *Quoniam ex essentia Patris, Filiique Spiritus. Qui procedit ex Patre & Filio.* S. Basilius in 3. contra Eunomium ait: παρὰ αὐτοῦ εἶναι ἔχον, καὶ παρ' αὐτοῦ λαμβάνον, καὶ ἀναγγέλλον ἡμῖν, καὶ ὅλως ἐκείνης τῆς αἰτίας ἐξημμένον, *Ab ipso habens esse, & ab ipso accipiens, & annuntians nobis, & omnino ex illa causa pendens.* Plura vide apud Leonem Allatium in defensione Synodi Ephesinæ, Joannem Beccum, Manuelem Galecam, Petavium, &c.

Græcorum responsio est: Epiphanium intelligendum esse de donis, non de Persona Spiritus Sancti: Cyrillum affirmare Spiritum Sanctum proprium Filii ratione Consubstantialitatis: Textum ex Basilio productum ex mendoso, & falsato Codice esse depromptum. Id Marcus Ephesius in Florentino Concilio conatus est demonstrare tum ex aliorum Codicum lectione, tum ex scopo Basilii, qui scribens adversus Eunomium, nunquam Spiritum Sanctum appellat in Trinitate ordine tertium, & natura secundum à Filio, nisi ex sententia Eunomii. Addit Andronicus Camaterus, neque Basilium, neque Athanasium in suis contra Sabellium & Arium libris alium fontem & originem divinarum personarum agnoscere, præterquam Deum Patrem. 8. Græcorum instantia.

Hæc omnia commentitia sunt, neque causam juvant Græcorum. Quippe Epiphanius Patris, Filiique nomine personas designat, & his duobus Spiritum Sanctum, nempe tertiam adnectit. Oportet ergo, uti Pater & Filius personæ sunt, ita & Spiritum Sanctum personam intelligamus. Deinde explicat ibidem Spiritus Sancti originem ac relationem, quæ proculdubio notæ sunt personarum. Ac Præterea non recte dicitur, Spiritus Sancti dona esse ab ambobus, cum sint etiam ab ipso Spiritu, & quidem peculiari quadam attributione. Cyrilli autem verba non patiuntur Græcorum commentationem, tum quia asserit manifeste à Filio Sanctum esse Spiritum; tum etiam quia nullibi Filium aut Patrem affirmavit proprium esse Spiritus Sancti: postremo quia Consubstantialitas præstat, ut divinarum Personarum sit una substantia, non ut una Persona sit propria alterius, sive ex altera, quomodo scribit Cyrillus. Basilii testimonium genuinum esse adversus Marcum Ephesium ostendit in Florentina Synodo Joannes inclyti 9. Soluitur.

inclyti Prædicatorum Ordinis Theologus ex vetustissimo Ms. exarato longe ante exortam de Spiritu Sancto procedente à Filio quæstionem, & Romam à Cardinale Nicolao Cusano Constantinopoli asportatum: ex quo Græcos, non Latinos Basiliana scripta corrupisse deprehenditur. Et quidem D. Basilium facere Spiritum Sanctum ordine à Filio secundum, liquet ex Epistola ejus trecentesima ad Canonicas, de qua consule clarissimum Petavium tom. 2. lib. VII. cap. III. num. XVI. Contra Camatenum denique clamant clarissima Græcorum PP. testimonia; quibus etiam hæ responsiones, & Dogma ipsum firmatur. Nam Athanas. Orat. de Incarnat. appellat Filium *Fontem S. Spiritus*, τὸν ἡγὸν τὴν πηγὴν τὲ ἁγίε πνεύματος. Idem Basilius tradit in 2. contra Eunomium, vocans Filium πηγτὴν ζῶν, *Fontem vivificum.* Atque beatissimus Joan. Chrysostomus. hom. in Mysterium Baptism. ait: Σωτὴρ δεἰκνυσιν ἀυτὸν πηγὴν ζωῆς ἡ ὕδωρ ζῶν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. *Salvator ostendit se ipsum fontem vitæ, aquam vero vivam Spiritum Sanctum.* Pater tamen potiori jure dicitur πηγὴ, *Fons*, quoniam fons aquam ex se ipso scaturire facit, non aliunde.

10. Argumentum 2. ex PP. Latinis.

Tertio probatur ex Patribus Latinis, quos Oecumenicæ Synodi à Græcis receptæ consecrarunt, & qui ea floruerunt ætate, qua Occidentales à Græcis tanquam veri Catholici habebantur: unde non est, cur Refractarii horum Sanctorum auctoritatem debeant excutere. Ambrosius ergo in lib. I. de Sp. Sancto cap. X. *Spiritus quoque Sanctus*, inquit, *cum procedit à Patre, & Filio, non separatur à Patre, non separatur à Filio.* S. P. Augustinus Tract. 99. in Joannem: *Cur ergo non credamus*, ait, *quod etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus, cum Filii quoque ipse sit Spiritus?* Et Leo Magnus, cujus doctrinam generalis quarta Synodus appellavit στήλην ὀρθοδοξίας, *Columnam fidei Orthodoxæ*, Ep. 93. scribit: *Alium esse qui genuit, alium qui ab utroque procedit.* Cum Græci hanc esse fidem Latinorum Patrum ultro profiteantur, nec non statutum hoc dogma à Synodo Lateranensi IV. Lugdunensi II. & Florentina pro hac præsertim causa convocata, necesse non est, ut hæc longiori oratione complectamur.

11. Argumentum 3. ex ratione Theologica.

Postremo Theologicis rationibus roboratur Assertum. Harum prima sit. Quæcunque habet Pater, sola excepta ratione Ingeniti, habet & Filius. Hoc siquidem ait ipsemet Christus in Evangelio, & contestantur PP. Græci, Damascenus VII. Cap. Operis Theologici, Nazianzenus Orat. in Pentecost. & communiter alii. In tantum vero ratio Ingeniti, sive Paternitas non communicatur Filio; quia cum eo opponitur relative, ut dicam lib. IX. Si ergo quidquid habet Pater, πλτὴν τῆς ἀγεννεσίας, habet & Filius, profecto etiam ipse hoc habet, ut Spiritus Sancti principium sit. Accedit altera. Salvatur in Filio proprietas Unigeniti, quoniam immediate & proxime est ab uno, nimirum à Patre, ut docet Greg. Nyssenus in lib. ad Ablavium, & in Epist. tertia, & quadragesima S. Basilius. Igitur si Spiritus Sanctus procederet immediate & proxime à solo Patre, haberet & ipse rationem geniti, neque ullum esset inter Divinam generationem, processionemque discrimen. Tertia est ratio, (quamquam de hac non omnes Latini consentiunt,) quod sublata processione, seu oppositione originis, Spiritus Sanctus non distingueretur à Filio; cum in Divinis omnia sint unum, ubi non intervenit mutua relatio: at de hac iterum est disputandum. Denique: prima & immediata operatio Patris est Generatio, per quam constituitur Pater, & hujus operationis terminus est Filius. *Spirare* autem non est operatio prima, sed ratione nostra ipsam generationem consequitur; est tamen essentialis, quemadmodum est generatio, & connotat terminum substantialem, nempe Spiritum Sanctum. Sed necesse est Filium consortem esse cujusque operationis essentialis, quæ non est prima seu generatio; Ergo necesse est, ut Filius sit consors cum Patre hujus operationis, quæ est productio Spiritus Sancti. Minor probatur quandoquidem habet Filius cum essentia, quidquid essentiale est, ut ex dictis, & per se satis est manifestum.

CAPUT XVIII.

Continet Græcorum contra Latinos Argumentationes.

SUMMARIUM.

à num. I uspue ad 15. occurritur Græcorum oppositionibus.

1. Græcorum contra Latinos argumentatio 1. & solutio.

GRÆCI autem opponunt. I. Dogma Latinorum in Scripturis minime continetur, imo expresse habetur Joann. XVI. Spiritum Sanctum à Patre procedere, nulla facta Filii mentione. Ergo rejiciendum omnino est.

Resp. dist. ant. in Scripturis non continetur *explicite*, concedo: *implicite*, nego. Etenim eodem cap. XVI. Spiritus Sanctus appellatur Spiritus veritatis, dicitur mitti à Filio, ipsum glorificare, de illo accipere, habere ab eo, ut annuntiet quæ ventura sunt, omnia demum, quæ habet Pater, habere & Filium: quæ omnia, ut supra diximus, *Processionis* invictum sunt argumentum. Ideo autem Filius inquit Spiritum Sanctum procedere à Patre, ut ostendat Patrem esse aliarum Personarum fontem atque originem, quemadmodum de se ait, non loqui à semetipso, opera, quæ patravit, fuisse Patris, doctrinam suam, non suam, sed ejusdem Patris habendam esse, & cætera hujusmodi; quæ Filio nequaquam denegant quidquid Patri adscribunt; sed parem eamdemque demonstrant essentiam, potestatem, operationemque utriusque. Accedit non esse solam Scripturam ad dirimendas fidei controversias sufficientem, sed standum quoque Sanctorum Patrum traditioni, quam in hoc dogmate universalem & omnino exploratam haberi testatus est in Florentina Synodo Josephus Patriarcha Constantinopolitanus.

2. Argumentatio 2.

Opp. 2. Adversatur dogma de Processione Spiritus Sancti à Filio clarissimorum Græcorum Patrum traditioni. Nam Dionysius lib. de Divinis Nominibus cap. 2. ait *Solum Patrem esse Divinitatis fontem consubstantialem.* Athanasius quoque in Quæst. de Nat. Dei scribit, *Solum Patrem causam esse duorum.* Nazianzenus Orat. 24. ad Episcopos, inquit: *Quidquid habet Pater, idem Filii esse, excepta causa.* Rursus in Passione Sancti Andreæ conscripta à Presbyteris Achajæ, legitur Spiritum Sanctum *à Patre procedere, ac permanere in Filio.* Quid plures memoro? S. Maximus in Epistola ad Marinum ait, *Patres non concedere Filium esse causam id est, principium Spiritus Sancti.* Ex quibus arguitur: Si Spiritus Sanctus à Filio procederet, Filius foret Spiritus Sancti fons, causa, ac principium: At negant Patres Filium fontem esse, causam, ac principium Spiritus Sancti; Igitur Spiritus Sanctus nequaquam à Filio procedit.

3. Instantia.

Accedit quod si Patrum aliqui accurate de Spiritu Sancto tractarunt, hunc non à Filio, sed per Filium esse dixerunt. Quod caute pronuntiat in 1. adversus Eunomium Gregorius Nyssenus, Athanasius in Redargutione Eusebii & Meletii, Cyrillus contra Palladium, & Patriarcha Tharasius in Epist. ad Orientis Episcopos. Hi omnes docent, Sanctum Spiritum ex Patre per Filium profluere. Est autem discrepantia inter particulam διὰ, *per*, & ἐξ *ex*, quod hæc efficientem causam significat, non illa. Cum ergo docent Spiritum Sanctum extantiam habere *per* Filium, non *ex* Filio, negant aperte hunc illius esse principium.

4. Solutio 1.

Resp. nego antec. ad prob. dico primum, Patrem appellari causam, fontem, ac principium speciali quadam ratione, quod prima sit in Trinitate persona, nec originem habeat ex alia; id vero non efficit, quin etiam Filius Spiritum Sanctum producat, & quemadmodum est Deus de Deo, & lumen de lumine, sit pariter causa de causa, fons de fonte, principium de principio: aut, quomodo propter paternæ substantiæ communionem est idem Deus cum Patre, ita propter unitatem operationum, ac virtutis *spirandi*, sit cum illo idem fons, idemque principium. Non enim desunt Patres, qui Filium fontem, & causam Spiritus Sancti fatentur, ut Basilius, Athanasius, & Joannes Chrysostomus, de quibus supra. Adde Epiphanium Hæresi 96. & Cyrillum Alexandr. in Expositione Symboli Nicæni, qui diserte scribunt Spiritum Sanctum à Filio *profluere*; quem Filium etiam vocant *Fontem ex fonte.*

5. Solutio 2.

Falsum est etiam complures Patres negare Spiritum Sanctum habere extantiam *ex* Filio, quamquam nonnulli uti maluerunt particula διὰ, *per*, ut significarent Filium non esse principium absque principio, & fontem, cui non sit ab altero scaturigo. Cæterum ex Filio Spiritum Sanctum dixerunt Greg. Nyssenus hom. 3. super Pater noster, scribens: *Ex Filio procedit, quia proprius ejus est, quemadmodum & Patris.* Cyrillus in Epist. ad Nestorium, dicens: *Spiritus veritatis nominatur, & Christus est veritas, & ex eo profluit.* Et Epiphanius in Ancorato: *Ex quo procedit, & à quo accipit.* Maximus quoque in Epist. ad Marinum Cypri presbyterum docet *Etiam ex Filio Spiritum Sanctum procedere, & inter se consentire Patrum auctoritates.* Sed de his vide dissertationem Gennadii Scholarii sect. v.

6. Solutio 3.

Quod vero particula *Per* producentem causam significet, constat. Etenim

Gen.

Gen. 4. legitur: *Possedi hominem per Deum:* Joan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Et ad Colossens. 1. *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.* Audi præcitatum Gennadium sect. 2. *Nonne per verbum* PER *causam possumus intelligere, ubi dicit Sanctus Joannes Evangelista, Omnia per ipsum facta sunt? quis negaverit unquam hic dictionem* PER *esse causam, & per eam Filium creaturarum causam intelligi?* Quod vero idem denotet dictio *Per*, & *Ex*, Basilius & Chrysostomus in Expositione Gen. sentiunt, ubi dicit Adam: *Possedi hominem per Deum*, ac si diceret, *Ex Deo*: unde alter in tractatu ad Amphilochium ita explanat, & dicit: *Jam vero secundum promiscuam significationem dictio* PER *transit sæpenumero in dictionem* Ex, *quia altera alterius significationem sibi vendicat, ut, Possedi hominem* PER *Deum, æque ac si diceret,* EX DEO. Alter vero 53. in Matth. homilia dicit: *Nam Scriptura solet,* PER QUEM *dicere,* EX QUO: *velut cum dicit: Possedi hominem per Deum, &c.* Sanctus quoque Cyrillus indiscriminatim has voces usurpat, nam in Epist. ad Theodosium scribit, *Christum natum esse* PER *Sanctam Deiparam Virginem*, & in Epist. ad Nestorium, *Natum*, inquit, *Ex muliere*, & rursus, PER *mulierem*, promiscue his propositionibus usus. Addit Gennadius citato loco, designari unum principium creaturarum omnium, per has propositiones *Ex*, *Per*, *In*, ad Galat. IV. 6. & per dictionem *Ex* significari Patrem, ut primum ac principalem: per dictionem *Per*, Filium, ut opificem; & per *In*, Spiritum Sanctum tanquam causam rerum perfectivam: aliquando vero *Per* non dici de Patre, & *Ex* de Filio, ne Patri principalem causam tollamus. Hæc ille.

7. Argumentatio 3. Opp. 3. S. Joannes Damascenus lib. 1. de Fide Orthodoxa cap. XI. ait: *Spiritum Sanctum & ex Patre esse statuimus, & Patris Spiritum appellamus: At vero eum non esse ex Filio dicimus: sed Filii Spiritum nominamus.*

8. Solutio 1. Quidam respondent Damascenum Græcorum imbutum errore, atque in hac controversia ejus dimittendam esse auctoritatem. Nec tamen id in ipsius injuriam cedere, cum hæc quæstio octavo sæculo, quo floruit Damascenus, nondum ab Ecclesia fuerit definita. Hanc de præclarissimo viro suspicionem ortam puto ex Historia Synodi Aquisgranensis, quæ anno 809. celebrata est contra Joannem Monachum negantem Spiritum Sanctum à Filio procedere: quem Pithoeus, aliique perpauci Damascenum fuisse suspicantur. Sed cum Joannes, cujus causa Aquisgranum Synodus coactus est, fuerit Hierosolymitanus; non debet absque gravissima, certissimaque ratione Damascenus notari. Itaque respondeo viguisse Damasceni ætate adhuc hæresim Macedonii, & Eunomii, qui docuerant Spiritum Sanctum esse ex Filio, tanquam ex primaria, & unica causa *Creatrice*, ut facilius suaderent esse creaturam, non Patri, Filioque Consubstantialem. Caute ergo adversus pernicioſissimam hæresim pronunciat, Spiritum Sanctum esse Spiritum Filii, quomodo nominatur Spiritus Patris: sed non dici ex Filio, ne imperiti creaturam esse, & à solo Filio, tanquam à causa principe productum opinarentur. Consulto autem ait S. Pater, Spiritum Sanctum *non dici ex Filio*, non vero, Spiritum Sanctum non *Esse ex Filio*. Aliud quippe est aliquid *Non dici*, aliud *Non esse*: quod appositio explicatur exemplo. Certe beata Virgo Maria Christipara est, ut appellatur etiam ab Ephesina Synodo: sed quoniam impius Nestorius hoc utebatur vocabulo, ut duas in Christo insinuaret personas, & verbum illud everteret, quo exprimitur beatissimam Virginem Deum peperisse; idem Damascenus cap. septimo scribit: *Christiparam Virginem Sanctam non dicimus.* Ita propter hæreticos, qui ex solo Filio Spiritum esse dicebant, ait Damascenus, *Spiritum ex Filio non dici.*

Resp. 2. cum Bessarione Orat. pro Un. Damascenum accepisse propositionem *Ex*, quatenus significat principium absque principio: quo sensu quidem Spiritus Sanctus *Ex* solo Patre dicendus est. Hanc responsionem amplectuntur fere omnes Theologi, & ex verbis, quæ cap. XI. laudato subnectuntur, possumus eam confirmare. Inquit enim Damascenus: *Quemadmodum videlicet ex sole est radius, & splendor: (ipse enim & radii & splendoris fons est,) per radium autem splendor nobis communicatur; atque ipse est, qui nos collustrat, & à nobis percipitur.* In quibus comparat Damascenus Patrem soli, Filium radio, Spiritum Sanctum splendori. At splendor est à sole, & radio: ergo Spiritus Sanctus est à Patre, & à Filio. Vide cap. præced. prope finem. 9. Solutio 2.

Opp. 4. Theodoretus Spiritum Sanctum à Filio procedere, non solum aperte negat, sed etiam oppositam opinionem Cyrilli impiam ac blasphemam appellat. *Blasphemat*, inquit in Epist. ad Monasteria, *Blasphemat & in Spiritum* 10. Argumentatio 4.

Sanctum, dum non ex Patre solo ipsum asserit procedere, sed ex Filio habere existentiam. Habet similia in Confutatione IX. Anathematismi, ut hujus Capitis principio dictum est. Reponi solet, Theodoretum plus æquo partibus Nestorii contra Cyrillum fuisse patrocinatum: sed instant Adversarii in Ephesina Synodo lectum fuisse ac diligenter examinatum Symbolum Nestorianum oblatum à Carisio Presbytero, & Oeconomo Philadelphiensi, qui accusarunt de communione cum Nestorio Antonium & Jacobum Presbyteros, quod hæreticis conversis Symbolum istud tradiderint. Lectæ quoque fuerunt Confutationes Anathematismorum S. Cyrilli per Theodoretum conscriptæ. Utrobique vero Spiritum Sanctum à Filio non procedere continebatur. At neque Synodus Ephesina, neque ipse Cyrillus hac in parte Theodoreti scripta, aut Nestorianum Symbolum damnaverunt. Non ergo rejici debet dogma de Spiritus Sancti à solo Patre processione, traditum ac propugnatum à Theodoreto.

II. Responsio.

Responsio communis est, Theodoretum ab aliorum sententia in hoc puncto recessisse, ejusque auctoritatem nihil valere, præsertim cum ipsius scripta adversus Cyrillum quinta Synodus cap. XIII. & sexta cap. IX. proscripserint. Quod autem de recitato Symbolo Nestoriano, lectisque Confutationibus Anathematismorum Cyrilli additum est, solvitur à Theologis multipliciter. Et primo affirmant Theodoretum impiam blasphemamque dixisse eorum sententiam, qui arbitrantur Spiritum Sanctum *ex Filio*, aut *per Filium* existentiam habere: quum tamen Spiritum Sanctum per Filium procedere, & tradant communiter Patres, & canant solemniter Græcorum Ecclesiæ in Canone Theophanis in Pentecosten ode sexta, & ipsi Schismatici palam profiteantur. Deinde negant Ephesinam Synodum silentio hanc quæstionem prætermisisse. Approbavit enim Epistolam S. Cyrilli ad Nestorium, & alteram ad Orientales, quibus dogma de Processione Spiritus Sancti continetur; & consequenter etiam dogma istud Synodus universalis recepit. Præterea Nestorius asserebat Spiritum Sanctum à Filio extantiam non habere, ut eumdem Spiritum Sanctum, quem verum Deum profitebatur, à Christo faceret alienum. Cum ergo Synodus damnavit Nestorium, definivit simul Spiritum Sanctum non esse alienum à Filio, ab eoque procedere. Quod si hanc quæstionem ad causam Nestorianam dixeris non pertinere, addent Theologi & istud; nempe Synodum Ephesinam, & Cyrillum ideo de processione Spiritus Sancti à solo Patre Theodoreti non rereprobasse sententiam, quod de ea tunc principaliter non ageretur.

12. Roboratio responsionis.

Hæc cum à doctissimis viris passim audiantur, non debent à nobis censoria virga notari. Probabilius tamen asserimus, nunquam Theodoretum negasse Spiritum Sanctum etiam à Filio procedere. Primo quia neque à Cyrillo, neque ab ullo antiquo Scriptore legimus illum in hac parte reprehendi, quomodo factum novimus, cum videbatur adhærere Nestorianis: quibus ut dixit anathema, faustis acclamationibus â Calcedonensis Concilii Patribus Catholicus & Orthodoxus Ecclesiæ Pastor fuit appellatus. Secundo quia ipse Theodoretus in Epist. ad Joannem Antiochenum protestatur se cum Cyrillo circa Spiritus Sancti personam concordem semper habuisse sententiam, & rectitudinem fidei, quæ tenet extantiam non habere *ex Filio & per Filium*, etiam in literis Cyrilli inspexisse: omnem vero inter se discrepantiam ortam ex falsa intelligentia verborum. Si ergo Cyrillus Spiritum Sanctum à Filio procedere apertissime docet, consentit cum eo Theodoretus, & is nomine extantiæ à Filio, non processionem, sed creationem accepit. Tertio quia cum Patres omnes disertissime tradiderint Spiritum Sanctum per Filium procedere; non est credibile Theodoretum id refutasse tanquam impium ac blasphemum. Quarto quia in Confutatione Anathematismorum Cyrilli totus est, ut execretur hæresim Apollinaris & Eunomii, & vicissim Cyrillus in suis responsionibus curat à se hujus hæresis depellere suspicionem: adeoque Theodoretus dixit hæreticum ac blasphemum asserere Spiritum Sanctum habere extantiam *per Filium*, quia prolatum id opiniabatur à Cyrillo in sensu Eunomii, qui impie affirmaverat Spiritum Sanctum in genere rerum comprehendi, quæ à Filio creatæ sunt. Postremo quia in Exposit. Epist. ad Romanos cap. VIII. num. II. sic Theodoretus loquitur: *Sanctum Spiritum & Dei appellavit, & Christi; non quod, ut volunt hæretici execrandi, ex Deo per Filium creatus sit, sed quia est ejusdem cum Patre, & Filio substantiæ: & ex Patre quidem procedit juxta Evangelicam doctrinam; ejus autem gratia iis qui digni sunt per Christum suppeditatur.*

13. Solutio.

Itaque ad argumentum resp. dist. ant.

Negat

Negat Theodoretus Spiritum Sanctum habere extantiam ex Filio & per Filium, in sensu Eunomii, qui ea loquendi ratione Spiritum Sanctum creaturam esse affirmabat, negans esse Patri & Filio consubstantialem; concedo: in sensu Catholico, quo exprimitur origo Spiritus Sancti à Filio, salva unitate substantiæ, nego: *Spiritum Sanctum*, inquit Theod. in Epist. ad Joan. Antioch. *non ex Filio, aut per Filium existentiam habentem dicimus; sed ex Patre procedentem: proprium vero Filii, uti* CONSUBSTANTIALEM. Hinc Synodus Ephesina, & Cyrillus, qui optime Theodoreti verba, ac sensa perceperant, id non reprobarunt: & Cyrillus Anathematismos suos à nota hæreseos Eunomianæ sedulo vindicavit.

13. Argumentatio 5. Opp. 6. Si Spiritus Sanctus à Patre, Filioque procederet, duo essent Spiritus Sancti principia: id autem absurdum est, quippe res una petit ab uno principio produci. Item Pater de se est principium sufficiens Spiritus Sancti: cur ergo aliud Spiritus Sancti principium statuitur? Rursus aut *Spirare* proprietas est personalis, aut essentialis: si essentialis, etiam ipsi Spiritui debet convenire: si personalis, necesse est, ut uni tantum personæ dicatur competere; nam proprietates personales nequeunt adinvicem communicari, alias Filio etiam ratio Ingeniti, ac paternitas convenirent, quod repugnat.

14. Solutio. Resp. ad 1. Patrem & Filium non duo esse Spiritus Sancti principia, sed unum: quomodo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus unum sunt principium rerum creatarum. Quippe principia non multiplicantur ratione personæ, aut suppositi; sed operationis & formæ: quapropter cum Pater, & Filius habeant eamdem virtutem *Spirandi*, unum principium Spiritus Sancti dicuntur; quemadmodum tres simul personæ, quibus est eadem omnipotentia, & virtus creatrix, sunt unum principium creaturarum. Ad 2. nego *Suppositum*; siquidem virtus *Spirandi*, quæ est in Patre, est eadem omnino cum virtute spirandi, quæ est in Filio: unde dum Spiritus Sanctus est ab ambobus, est ab una duntaxat virtute *Spirandi*, & ab uno principio. Præterea, quomodo non valet hæc argumentatio; Pater est sufficiens principium creationis, ergo neque Filius, neque Spiritus Sanctus principium creationis sunt; sed ratiocinandum est, Pater est Creator, ergo Creator est Filius, Creator Spiritus Sanctus, quia Filius & Spiritus Sanctus eamdem habent omnipotentiam cum Patre: Ita non tenet ista; Pater sufficiens est Spiritus Sancti principium: Ergo Filius non est principium Spiritus Sancti, sed id potius consequitur, Spiritus Sanctus procedit à Patre, ergo procedit etiam à Filio, cui omnia, quæ habet Pater, communia sunt, sola excepta paternitate. Ad ultimum sunt qui respondent, *Spirationem* esse proprietatem personalem; & falsum esse, quod personalis proprietas nequeat duabus convenire personis. Sed quoniam proprietates Personales proprie sunt, quæ singulæ singulis personis conveniunt, nimirum *Paternitas*, *Filiatio*, & *Processio*; dico quod *Spirare* non est proprietas personalis, neque essentialis, sed *Notionalis*, Sunt autem *notiones*, quibus divinarum personarum distinctio nobis innotescit, non solum proprietates illæ tres, quas nunc memoravi, sed etiam *Innascibilitas*, & *Spiratio*: easque etiam Græci tenentur admittere. Nam & Patrem ingenitum profitentur, & Paternitatem dicere ad solum Filium originis relationem, ignorare non possunt. Ergo præter Paternitatem, quæ est proprietas personalis primæ Personæ, fateri debent aliam, quam nos cum Augustino in v. de Trinit. cap. 6. ampliori quadam significatione dicimus *Notionalem*. Atque hanc Pater Filio communicare debet, cum Filiationi relative non opponatur, neque sit illa proprietas, quæ constituit primam Personam in esse Patris.

CAPUT XIX.

Haud recte Latinos de corrupto Symbolo à Græcis redargui.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. 3. & 4. Ostenditur, immerito à Græcis Schismatis sui violatum Symbolum tanquam causam assignari.
5. usque ad 9 refelluntur objectiones.
10. & 11. expeditur quæsitum quo tempore additio particulæ *filioque* primùm facta fuerit.

CON-

1. Latini non corrupêre symbolum.

CONSTANTINOPOLITANI Concilii Patres, quibus Macedonii, & Eunomii hæresim cura ac studium fuit penitus extirpare, Spiritum Sanctum non esse creaturam definierunt; sed nondum exorta de Processione Spiritus Sancti à Filio quæstione, cum hæretici asserérent illum ex solo Filio extantiam habere addiderunt Symbolo hæc verba, *Qui à Patre procedit;* quibus execranda hæresis directe confoditur. Suborto postmodum Græcorum schismate addita est & particula *Filioque*: quam contra Ephesinæ Synodi statuta insertam Græci queruntur. Hanc eorum expostulationem repellendam suscipimus, quare sit.

2. Propositio & Probatio 1.

PROPOSITIO: Immerito Græci schismatis sui violatum Symbolum causam prætexunt.

Florentina Synodus hanc propositionem adversus Fœdifragos, quorum caput olim fuerat Photius, tunc vero agmen ducebat Marcus Ephesius, in Fidei definitione his verbis firmavit: *Definimus insuper explicationem verborum illorum*, FILIOQUE, *veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.* Quod probatur. Ea est auctoritas, vigilantia, & consuetudo Ecclesiæ, ut novis erroribus emergentibus, si id sibi videbitur expedire, Catholicæ Fidei professionem opponat, qua veritas Christianæ Religionis, accessione alicujus particulæ, non quidem contrariæ, & oppositæ, aut temere additæ, & à communi sensu abhorrentis, sed Scripturarum oraculis ac Patrum traditionibus consonæ, à gliscente errore inviolata servetur. At appositio particulæ *Filioque* dogmati perfidiæ, quod negat Spiritum Sanctum procedere à Filio adversatur, & sacris literis, Sanctorumque doctrinæ concordat, ut præcedenti capite demonstravi. Istam ergo particulam symbolo inserere, jure, opportune, ac prudenter Ecclesia potuit, debuitque. Prob. major. I. Ratione; nam creditam sibi Fidem Catholica Ecclesia servare debet, tueri, & contra portas inferi communire: atque ut depositum servet, ne à Christi ovili humilis plebs adducatur, eam docere ac formare contra doctrinas varias & peregrinas. II. Probatur exemplis: nam Arianorum serpente hæresi Concilium Nicænum addidit symbolo Apostolorum vocem ὁμοούσιον, *Consubstantialem.* Exorta hæresi Macedoniana Constantinopolitani Patres inseruerunt Symbolo articulum de divinitate Spiritus Sancti: *Et in Spiritum Sanctum dominum, & vivificantem, &c.* Atque adversus Eutychianam hæresim Synodus Chalchedonensis hæc Symbolo adjecit. *Consubstantialem Patri secundum divinitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem.* Quod ergo aliquando Ecclesiæ licitum fuit, cur non item licuit novo grassante errore? Quare violatum non est Nicænum symbolum à Patribus Concilii Constantinopolitani & Chalchedonensis, & à Latinis corruptum censetur symbolum Constantinopolitanum? Et cur additio particulæ ὁμοούσιον est antiquæ Fidei expositio, non altera, ac nova professio; accessio autem particulæ *Filioque* est alteram Fidem cudere, & professionem veterem violare?

Probatur 2. Contra præcipuum subterfugium Græcorum. Nullo Ecclesiæ decreto vetitum est ad Fidei professionem verbum aliquod adjungere. Immerito ergo insimulantur Latini de corrupto symbolo per additamentum particulæ *Filioque.* Ant. prob. Si id esset aliquo decreto vetitum, maxime Tertiæ, sive Ephesinæ Synodi, cujus parte 1. sess. 6. hæc definitio extat: *Alteram Fidem nemini liceat proferre, aut conscribere, aut componere, præter definitam à Sanctis Patribus, qui in Nicæa cum Spiritu Sancto congregati fuerunt.* Hæc vero generalis Synodi definitione prohibetur Fides, aut Symbolum contrarium Nicæno, non autem ejus additamentum aut expositio: quod sequentibus momentis demonstratur. Primo: Exhibuit Charisius Ephesinis Patribus symbolum suum, quod non erat neque Nicænum, neque Constantinopolitanum, pium tamen & orthodoxum; ac deinde protulit symbolum Nestorianum, seu formulam Fidei Anastasii, & Photii discipulorum Nestorii: quibus lectis Sancta Synodus præfatam edidit definitionem, & damnavit Nestorianum symbolum contrarium Nicæno, non autem symbolum Charisii Nicæno consonum. Dum ergo vetat Synodus alteram Fidem proferri, aut conscribi, damnat solummodo symbolum Nicænæ Fidei contrarium; alias etiam symbolum Charisii improbasset. Præterea ex præmissa Synodi definitione, si quælibet vetita esset verborum additio facta symbolo, vetita esset additio facta symbolo Nicæno, quod solum commemorat; adeoque non liceret proferre & canere symbolum Constantinopolitanum, cui accessit articulus de divinitate Spiritus Sancti. Sed symbolum Constantinopolitanum ipsi Græci canunt ac proferunt,

3. Probatio 2.

ferunt, affirmantes istud in illo contineri virtute, & lecto uno intelligi alterum: Ergo non prohibuit Synodus Ephesina quamcunque verborum additionem, sed tantum *Fidei formulam alteram*, nempe Nicænæ Fidei contrariam. Tertio ut docent Legisperiti, lex ex fine Legislatoris explicanda est. Igitur cum initio Actionis legatur convenisse Patres Ephesinos, ut approbarent quæ cum Nicæno symbolo concordarent, & proscriberent quæ ipsi viderentur opposita; infertur statuta lege nihil prohiberi, præterquam Professionem Fidei symbolo Nicæno contrariam. Postremo Flavianus in Pseudo-Ephesina Synodo, cui tyrannice interfuit Eutyches, contra hujus hæresim addidit symbolo expositionem, scilicet, *Consubstantialem Patri secundum divinitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem.* Eutyches vero recitavit symbolum Nicænum, in quo duarum in Christo naturarum nulla fit mentio, clamavitque Flavianum contra decreta tertiæ Synodi Fidei formulam corrupisse. At Eusebius Dorylæi Episcopus instavit pro Flaviano, Eutychetem mentiri, & nullum esse Canonem, qui novam Fidei expositionem novis hæresibus emergentibus prohiberet. Tum Dioscorus pro Eutychete tulit sententiam, & Flavianus & Eusebius Episcopatu privati sunt. Hæc Pseudo-synodi acta cum legerentur Act. 1. Concilii Chalchedonensis dixerunt omnes Patres, Ἀνάθεμα τῷ Διοσκόρῳ ὅτι κακῶς ἔκρινε, *Anathema Dioscoro, quia male judicavit.* At si Ephesina Synodus decrevisset ne quid symbolo adderetur, recte Dioscorus dixisset sententiam contra Flavianum, cum in laudato Ephesino decreto definitum sit, ut qui *Fidem alteram* componunt, si Episcopi, aut Clerici sint, à Clericatu & Episcopatu arceantur. Ergo Ephesini Patres prohibuere duntaxat, ne *altera*, & veteri repugnans cudatur formula Fidei, non autem ne hæretico insurgente dogmate, cum ulla verborum accessione edi posset.

4. Probatio 3. Ultimo probatur assertum. Si particula *Filioque* immerito esset symbolo inserta, id maxime, quod dogma de Processione Spiritus Sancti à Filio falsum esset, aut quia in aliis symboli verbis jam *virtualiter* continebatur. At neutro ex capite probatur hanc particulam temere superadditam. Etenim & Spiritus Sanctus procedit à Filio; & fas est ea inferere, quæ virtute in aliis sacris monumentis præcontinentur, quomodo plura addita sunt ad symbolum Apostolicum; & ad libros veteris Testamenti accesserunt libri Testamenti novi, ad unum Evangelii textum tres alii; ad hos vero Apostolicæ Epistolæ; tametsi Fides Nicæna *virtualiter* præcontinebatur in symbolo Apolorum, novum testamentum in veteri, postrema Evangelia in priori, & Apostolica documenta in parabolis, monitisque Evangelicis.

Refelluntur Objectiones.

5. Objectiones Græcorum. Objectio 1. & 2. cum solutione. At Græci opponunt 1. definitionem Synodi Ephesinæ, de qua supra in secundo Argumento. Deinde objiciunt decretum Concilii Calchedonensis, quod recitato symbolo Nicæno, & Constantinopolitano, inquit: *Expositionem alteram nullus faciat. Sufficiunt, quæ exposita sunt. Alteram expositionem non licet fieri.* Sed respondetur Synodum Chalchedonensem sanxisse ne quis auctoritate privata novum symbolum conderet: quomodo Nestoriani, aliique hæretici facere consueverant, præsertim ubi nulla adesset necessitas, sicut tunc non erat in causa Eutychetis: cujus error aperte à Synodo Nicæna damnatur, à qua Filius & Patri consubstantialis dicitur, & verus homo, ideoque duplici natura consistens. Neque ipsi Patres hac de causa novum symbolum, ut Judices postulabant, edere voluerunt, quod nulla compelleret necessitas. Cæterum ipsi Patres affirmarunt symbolum cum aliqua additione rectæ Fidei consona non esse *alteram Fidem*, cum in Allocut. ad Imperat. contestati sunt expositionem Leonis Papæ non esse *alteram Fidem*, ut quidam obloquebantur, neque sanctissimum Romanum Pontificem Conciliorum Canones violasse. Vide sess. XI. Florent. Concilii, & argumentum penultimum Juliani S. R. Eccl. Cardinalis.

6. Objectio 3. Tertio opponunt Cyrillum, qui in Epist. ad Joannem Antiochenum ait: nemini licitum esse *Unam vocalem Nicæni symboli immutare, aut unam etiam syllabam præterire.* Et ad Acacium Melitenensem de Ephesina Synodo scribens inquit hanc necessario providisse, ne aliam Fidei expositionem in Ecclesias quis auderet inferre præter eam, quæ jam extabat. Sed constat responsio ex dictis, Cyrillum hæc proferre adversus Nestorianos, quorum audaciam refrænans damnavit Ephesina Synodus symbolum Anastasii & Photii discipulorum Nestorii, opportune definiens ne quisquam pro lubitu Fidei professiones conscriberet & vulgaret, & eas proscribens, quæ Nicænæ quomodolibet opponebantur. Addit Christianus Lupus, Ecclesiam Romanam, ut docet

S. Leo Ep. 55. ea sola confirmare, propter quæ Synodus congregatur, & de quibus à Romano Episcopo habet suffragium & mandatum. Quare cum Synodus Ephesina, de qua loquitur beatus Cyrillus, propter hæresim Nestorianam fuerit adunata, & decretum de non immutando symbolo ediderit contra Nestorianam professionem exhibitam à Charisio, hoc decretum ab Ecclesia receptum est propter quæ Synodus fuit congregata, videlicet propter audaciam Nestorianorum. Atque contra eosdem, qui Fidem contrariam Nicænæ profitebantur, & alteram ediderant professionem, scribit Cyrillus Alexandrinus: qui citata ad Joan. Antiochenum Epistola commendat summopere ejusdem Joannis, aliorumque Orientalium Episcoporum professionem, qui in symbolo se nihil addituros constantissime asseruerunt; & tamen post hanc solemnem protestationem, non symbolum Nicænum, ut jacet, sed ampliorem Fidei Confessionem scripserunt. Quamobrem ubi Cyrillus ait licitum non esse *vel unam voculam* Nicænæ Fidei addere aut detrahere, loquitur de additione aut detractione, quæ symbolo sit contraria, non quæ Fidem orthodoxam exponat.

7. Objectio 4. cum solutione.

Quarto opponunt additionem hujus particulæ *Deipara* factam non esse symbolo à PP. Concilii Ephesini, quamvis apta esset contra hæresim Nestorianam. Neque hanc particulam addiderunt Patres Concilii Calchedonensis, etiamsi Act. v. nonnulli exclamarent; *Addetur ad symbolum, S. Mariam esse Deiparam;* quippe noverant Patres prohiberi qualecunque additamentum, licet ad symboli fieret expositionem. At parum hæc urgent. Siquidem Beata Virgo Maria & Christipara est, & Deipara; peperit enim Christum Deum. Sed quoniam impius Nestorius Dei matrem esse negabat, eamque subdole appellabat *Christotocon*, & ex adverso Eutyches *Deiparam* nominabat, ut doceret peperisse Christum quantum ad Divinam naturam; in symbolo neque *Deipara* nominata est, neque *Christipara:* non *Deipara* propter hæresim Eutychetis; non *Christipara* propter hæresim Nestorianam. Nec ad Fidei confessionem videbatur hæc particula necessaria; quandoquidem Christum esse Deum expresse continebatur in illo articulo, *Et in unum Dominum, &c.* & Virginem hunc Deum peperisse, satis explicabatur in altero, *Et incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est.* Si tamen Ephesini Patres hanc particulam addere voluissent, quomodo Nicæni inseruerunt ὁμοούσιον, nemo poterat id impedire.

8. Objectio 5. cum solutione.

Ulterius objectant Agathonis Papæ Epist. lectam ac probatam Act. IV. Synodi Sextæ, & alteram Vigilii ad Eutychium Patriarcham Constantinopolitanum, necnon Septimæ Synodi definitionem; quæ omnia prohibent, ne quid symbolo addatur, vel minuatur. At hæc eodem modo explicanda sunt, scilicet de additione Fidei contraria, ob quam sive dogma de duplici in Christo voluntate propugnatum ab Agathone, sive fides de futura corporum resurrectione assertam à Vigilio posset quoquo modo elevari. Etenim Agatho symbolum & ipse conscripsit, in quo plura extant præter Nicænum, ut constat ex Septima Florentini Concilii sessione: adeoque additionem quamcumque vetare ipse non poterat. Articulus vero de futura resurrectione, quem Vigilius jubet, ne ullatenus immutetur, jam in symbolo Constantinopolitano Act. v. Calchedonensis probato erat sufficienter expressus. Est ergo additio, ut jamdudum Theologi tradiderunt, triplicis generis; una quando additur contrarium, & est crimen hæreseos: altera quando additur diversum ac disparatum, & temeritatis nota est: tertia quando additur consonum, & hujusmodi additio est expositio veritatis. Hanc vero, uti id videbitur expedire, potest ubique Ecclesiæ universalis apponere.

9. Objectio ultima cum solutione.

Objiciunt ultimo, Leonem III. noluisse hujus particulæ *Filioque* additionem anno 809. ulla ratione probare, quamvis id postularent Legati Synodi Aquisgranensis. Imo ut se antiquitatis custodem ostenderet, jussit duobus scutis argenteis Symbolum Græcis, Latinisque literis inscribi absque tali additamento, & in Confessione S. Petri pro cautela Orthodoxæ Fidei locari. Idem jussit fieri in Confessione S. Pauli in scuto argenti purissimi, ut refert Photius in Epist. ad Patriarcham Aquilejensem, & colligitur ex Anast. Biblioth. Rom. edit. pag. 305. Etsi Anastasius Symbolum absque particula *Filioque* scriptum fuisse non tradit, neque ad Ecclesiæ valvas locata scuta ante omnium conspectum, quomodo scribit Photius; rei tamen gestæ historiam veram esse fatemur. At Leo juremerito se antiquitatis tenacissimum præbuit, restititque Legatis Aquisgranensibus, ne quilibet privata auctoritate, & absque Romani Pontificis, & universalis Ecclesiæ consensu, addere symbolo vel minimam dictio-

dictionem præsumeret. Tamen, ut inquit Cl. Pagius, & constat ex Collatione Legationis Aquisgranensium apud Baronium an. 809. & Sirmundum tom. 2. Conc. Galliæ, Leo III. non prohibuit absolute ut symbolum cum tali additamento non caneretur, quod fecisset utique, si illicitum esset, & contra Ecclesiasticos Canones; sed rogavit tantummodo, ut consuetudo illam vocem cantandi in Regia cappella intermitteretur, ratus fore, ut morem Palatii universa sequeretur Francia. Jam vero tale additamentum factum non est privata auctoritate, aut solo approbante Provinciali Concilio, sed definiente Generali Synodo Florentina, & annuente Pontifice.

Appendix.

10. Quando particula *Filioque* fuerit addita.

Quærunt Historici, quo tempore additio particulæ *Filioque* primum facta sit. Manuel Calecas, & Genebrardus hujus additionis auctorem faciunt Damasum. S. Antoninus, S. Sisinius Patriarcha Constantinopolitanus illam tribuunt Nicolao I. & contigisse putant circa annum 858. Julianus Cardinalis, & Andræas Colossensis tenent hanc particulam insertam à Synodo Septima Generali anno 787. Horum sententiam amplectitur Baronius. I. quia Julianus Cardinalis sess. v. Conc. Flor. exhibuit vetustissimum Codicem exaratum ante exortam de Processione Spiritus Sancti inter Latinos & Græcos controversiam, quem proinde suspicari non possumus fuisse corruptum. II. Quia reperitur hæc particula etiam in versione ejus Concilii Anastasii Bibliothecarii ad Joannem VIII. conscripta, & antiquissimo Græco textu. III. Quia constat ex libro dicto *Capitulare adversus Nicænam Synodum* misso à Carolo Magno per Engilbertum, Tharasium ab Adversario fuisse reprehensum, quod non dixerit *A Patre, Filioque* secundum Nicæni symboli fidem. Attamen propter ea, quæ narrata sunt de Leone III. gravis oritur suspicio, num à Juliano Cardinale optimæ notæ Codex productus fuerit. Quin & negant aliqui mentionem hujus particulæ fieri apud Anastasium Bibliothecarium, uti revera nec nos inveninus. Vereor, ne pro symbolo 2. Nicænæ Synodi Scriptores præfati memorare voluerint sermonem S. Athanasii de Passione Imaginis J. Ch. in Syriæ civitate Beryto, qui habetur Act. IV. ejusdem Synodi, & in quo extant hæc verba: *Unus Spiritus Sanctus ab utroque procedens, per quem veraciter nos credimus esse salvandos.* Verum & hæc verba tam in Græco Conciliorum Codice, quam in Græca Operum Athanasii editione desiderantur, & videntur mihi à Latino Interprete superaddita. Nisi mavis abrasa à Græcis, quomodo in Epistola Synodali Agathonis factum esse de consimili textu credidit Severinus Binius.

11. Responsio.

Inter hæc incerta penitus, & nondum satis explorata, id unum compertum est, particulam *Filioque* apud Hispanos obtinuisse vertente sæculo sexto. Reperitur enim in Toletano III. Concilio celebrato an. 589. in IV. an. 633. atque deinceps in aliis. In Galliis autem, & in German a receptam arbitramur post Synodum Aquisgrani, de qua supra. Sed quo præcise tempore Romana & universalis Ecclesia hanc additionem probaverit, potius doceri volumus, quam temere definire.

CAPUT XX.

Quo sensu Filius & Spiritus Sanctus dicantur Missi.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. Probatur, Patrem neque à Filio neque á Spiritu S. mitti.
3. Ostenditur, Filium posse dici missum ratione naturæ humanæ ad homines redimendos.
4. Habetur Notandum, quo sensu Filius etiam possit dici missus à Spiritu S.
5. & 6 Evincitur Spiritum S. mitti a Patre, & Filio. à num. 7. usque ad 10. Solvuntur contraria.
11. Resolvitur quæsitum, quomodo species columbæ dicatur missio Spiritus S.

1. Quo sensu Filius & Spiritus Sanctus dicantur Missi.

Missionem divinarum Personarum duo importare concordissime docent Theologi, id est, unius Personæ æternam ab altera processionem, & temporalem aliquem effectum, qui præsertim ad ordinem gratiæ pertineat. Non enim in Deo locum habet *missio*, quæ dicitur per imperium, qualis ea est qua Dominus mittit famulum; nec etiam ea quæ appellatur per consilium, qua Consiliarii & administri Regem dicuntur mittere ad bellum: nisi mandatum, consiliumque accipiatur pro ipsa persona mittente, quæ sua voluntas est, &, si de Verbo loquamur, titulo quodam peculiari ratio & βέλημα Patris; aut,

aut, nisi consilium præceptumve appellet supra Personam, ut inferiori natura circumdatam, uti est Filius, qui pro humani generis reparatione carnem assumpsit. Verum enimvero dare mandata alicui superioris est: consilium autem alterius sequi, aut spectare, rerum exitum timentis, vel ignorantis. Hujus ergo generis *Missionem* à Deo removendam esse concordi sensu arbitramur: at de ea, quam principio descripsimus, paulisper est disceptandum.

2. Pater nec à Filio nec Spiritu S. mittitur. Probatio.

Propositio I. Pater neque à Filio, neque à Spiritu Sancto mittitur.

Breviter probatur S. P. Augustini auctoritate & ratione. Ait. S. P. lib. contra serm. Arian. cap. 4. *Solus Pater non legitur missus, quoniam solus non habet auctorem, à quo genitus sit, vel à quo procedat. Non enim splendor, aut fervor ignem; sed ignis mittit sive splendorem, sive fervorem.* Quibus verbis etiam Theologica ratio monstratur: quippe Persona, quæ mittitur, dicit processionem & originem *à mittente*: Pater non habet originem, nec procedit ab alia persona: Ergo Pater à nulla alia persona mittitur.

3. Filius potest dici Missus.

Propositio II. Filius potest dici Missus, ratione humanæ naturæ, ad homines redimendos.

Probatio.

Et hæc propositio breviter demonstratur. Ad Galat. IV. 4. legitur: *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Et Joan. X. 36. *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum.* His verbis declaratur Patrem misisse Filium suum factum ex muliere. Quod autem etiam à Spiritu Sancto Filius missus fuerit, ipse Christus id affirmat Lucæ IV. 18. exponens de se ipso verba Isaiæ 61. *Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me.* Accedit & ratio. Etenim Filius à Patre genitus est, ab eoque una cum aliis personis est Incarnatio efficienter peracta: Ergo in Filio adinvenitur origo æterna à Deo Patre, & efficientia temporalis; in quibus, ut diximus, sita est vera ratio *Missionis*.

4. Quomodo Filius à Spiritu S. missus.

Quantum vero ad Spiritum Sanctum pertinet, levis oritur difficultas, quomodo ab eo Filius dicatur *Missus*, cum Filius à Spiritu non procedat. At licet non procedat quantum ad Personam divinamque naturam, tamen etiam à Spiritu ejus humanitas perfecta est, cum sit Christus Jesus totius Trinitatis operatione plasmatus; adeoque in eo quod spectat ad naturam humanam, Filius etiam à Spiritu Sancto accepit ut esset. Fortasse dicturus es: hoc modo etiam Filius, & Spiritus Sanctus *Mittuntur* à se ipsis. Recte quidem loqueris, & cum Augustino, qui lib. II. de Trinit. cap. 5. *Pater invisibilis*, inquit, *una cum Filio secum invisibili eumdem Filium visibilem faciendo, misisse eum dictus est*: quæ subinde etiam de Spiritu Sancto magnus Augustinus declarat, à quo pariter creaturæ species facta est, quando veluti Columba descendit.

Propositio III. Spiritus Sanctus mittitur à Patre & Filio.

5. Spiritus S. mittitur à Patre & Filio. Probatio.

Et hæc probatur breviter & summatim. Primo ex Scripturis: Joan. XIV. 26. habetur: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*; & XVI. 7. *Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Deinde ratione: Spiritus enim Sanctus procedit à Patre, & Filio: ideoque habemus originem & processionem, quæ primo ad *Missionem* requiritur. Est præterea effectus productus in tempore, qui aut Spiritus Sancti ejusque præsentiæ signum & vestigium est singulare; ut species Columbæ, & dispertitæ super Apostolos linguæ: aut Spiritui Sancto titulo particulari tribuitur, ut animarum sanctificatio, & charitas, quæ in cordibus nostris eo operante diffunditur.

6. Explicatio ulterior.

Consequitur autem ex dictis primo *Missionem* duabus tantum convenire personis; Filio, qui à Patre & Spiritu Sancto ad reparandum humanum genus missus dicitur: ita tamen, ut à Spiritu Sancto missus sit, quatenus Mittens idem est, ac producens effectum, vel prout *largè* accipitur missio pro temporali efficientia, sive plasmatione Dominici Corporis & productione humanitatis; non vero pro sempiterna divinarum personarum origine. Pro qua vicissim si *Missionem* acceperis, etiam æterna Filii à Patre Nativitas, & Processio Spiritus Sancti ab utroque, *Missio* appellari potest; neque desunt exempla Græcorum Patrum, qui processionem illam æternam identidem dixerunt ἔκπεμψιν, idest, *Emissionem*. Quare *Missio* propriè sumpta, ut originem effectumque significat, & Filii qui mittitur à Patre, & Spiritus Sancti qui mittitur à Patre & Filio. Sequitur præterea *Missionem* posse dici simul & æternam, & in tempore: æternam, ut Scholæ utar vocabulo, secundum *habitudinem* ad principium: atque in tempore secundum *habitudinem* ad effectum. Insuper liquet ex dictis, *Missionem* aliam esse visibilem, aliam invisibilem: quod ex qualitate effectuum potest quisque dignoscere. Etenim quando E. G. Christus in Bethlehem natus est, aut Spiritus Sanctus corporali

porali ſpecie deſcendit, facta eſt viſibilis *Miſſio*: quando autem charitas in cordibus noſtris diffunditur, *Miſſio* peragitur inviſibilis. Una autem cum charitate, & ſanctificationis gratia etiam Spiritus Sancti Perſonam dari & mitti, liquido confirmavi cap. XIV. in Confutatione argumentorum ex libro Wolzogenii de Tribus in una Deitate Perſonis.

7. Objicitur 1. Adverſus prædicta hæc obſtare videntur. Infertur ex *Miſſione* unius perſonæ ab alia in Trinitate inæqualitas: neque enim hæreticorum diſputationi ſatis occurritur, ſi *Miſſionem* explicemus de ſola perſonarum origine, & de externa illarum efficientia. Quod enim conjunctum eſt in aliquo corpore ab alia ejuſdem corporis parte mitti non poteſt, niſi forte ſcindatur ac divellatur; ideoque ſi Spiritus Sanctus mittitur à Patre & Filio, neceſſe eſt, ut ſeparetur ab utriuſque divinitate. Inſuper Chriſtus Dominus Joann. XX. 21. ita diſcipulos allocutus eſt: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos:* Ergo quemadmodum diſcipuli minores ſunt Chriſto, quia ab ipſo miſſi, ita & Filius minor erit Patre, quia à Patre ſe fuiſſe miſſum teſtatur.

8. Reſpondetur. Reſp. nego *Miſſionem* indicium eſſe inæqualitatis aut ſeparationis Perſonarum, etiamſi *Miſſio* Filii in mundum, cum habeat externam efficientiam, quæ eſt aſſumptio naturæ humanæ, inferat in eo præter divinam ſubſtantiam, qua eſt Patri *Omoouſios*, etiam naturam alteram, ſecundum quam ei ſubjicitur; ut diximus capite XII. *Miſſio* ergo importat tantummodo externam alicujus effectus productionem, æternamque unius Perſonæ originem ab alia, quæ illam mittit. Neque oppoſitum probat exemplum corporum, tametſi non videatur prorſus inuſitatum dicere mitti ab homine manum aut pedem. Verum id, quod in aliquo corpore eſt conjunctum, idcirco non mittitur, quoniam corpora localiter moventur, & ſi una pars amoveatur ab alia, non erunt amplius in eodem corpore copulatæ. In divina autem *Miſſione* Perſona quæ mittitur neque ſimili ratione movetur, neque loco, aut natura ſejungitur à mittente. In cap. Joannis XX. habet Græcus codex καθὼς ἀπέσταλκέ με ὁ πατὴρ: *Sicut miſit me Pater.* Et particulam καθὼς non eſſe ſemper notam æqualitatis oſtendimus cap. XI. Eorum ergo verborum ſenſus eſt: *Ea vos charitate diligo, cum inter ſcandala perſecutorum mitto, qua me charitate Pater diligit, quem venire ad tolerandas paſſiones fecit;* ut inquit Homilia ſexta ac vigeſima in Evangelia Sanctus Gregorius.

9. Objicitur 2. Poteſt rurſus ſic objici: Si Filius dicitur miſſus etiam à Spiritu Sancto, ut inquit Propheta: *Et nunc Dominus miſit me, & Spiritus ejus;* & nos affirmavimus II. propoſit. infirmum erit argumentum, quo adverſus Græcos cap. XVII. conati ſumus probare Spiritum Sanctum procedere etiam à Filio, quoniam ab ipſo mittitur. Inſtabunt enim Græci: Filius miſſus eſt à Spiritu Sancto, nec tamen Filius à Spiritu Sancto procedit: Ergo Spiritus Sanctus mitti poteſt à Filio, licet à Filio nequaquam Spiritus ipſe procedat. Quod ſi reſpondeamus Filium fuiſſe miſſum à Spiritu Sancto, in quantum in Chriſti Incarnatione inſeparabilis operatio Trinitatis agnoſcitur, uti loquitur in Fidei profeſſione XI. Synodus Toletana: poterunt & Græci reſpondere, Spiritum Sanctum miſſum fuiſſe à Filio, quatenus externa illa ſpecies, qua Spiritus Sanctus apparuit à tota ſimul Trinitate producta eſt.

10. Reſpondetur Reſp. Firmiſſimum eſſe validiſſimumque argumentum prædictum, quo utuntur Patres eodem cap. XVII. citati, & Theologi omnes, qui de Proceſſione Spiritus Sancti pertractant adverſus Græcos; nec poſſe illud hoc leviori momento perfringi. Fatemur enim Perſonam mitti etiam ab alia, à qua non procedit, imo & à ſemetipſa, ſi *Miſſio* accipiatur *largè*, atque pro externa duntaxat efficientia, ut docent Auguſtinus 2. de Trinit. cap. 5. & lib. 15. cap. 19. nec non Magiſter ſententiarum Diſt. 15. & S. Thomas q. 43. art. 8. At ſi *Miſſio* ſumatur rigoroſè, proprieque. utrumque ſimul requirit æternam proceſſionem, & externum effectum. Hæc duo in *Miſſione* Spiritus Sancti à Filio memorata cap. XVI. Joannis manifeſtiſſime comprehenduntur. Et de externa efficientia, vel ea ſit viſibilis ſpecies linguarum, vel inviſibilis affluentia donorum, conſpirant nobiſcum Adverſarii. Aeternam vero proceſſionem Perſonæ ibidem ſignificari conſtat, quoniam præter externum effectum etiam vera & realis Spiritus Sancti Perſona à Filio mittitur. Id cap. 14. ex pronominis enallage, ex præpoſitione Articuli, aliiſque certis regulis adverſus Fauſtum Socinum demonſtravi, eodemque cap. XVII. nonnulla addidi. Quapropter neganda eſt conſequentia hujus poſtremæ argumentationis: nam Filius miſſus eſt à Spiritu Sancto *Miſſione* illa *largè* ſumpta, quæ ad ſolam Incarnationis operam refertur,

non ad Filii personam; & econtra Spiritus Sanctus mittitur à Filio *Missione* propriè accepta, quæ respicit cum externam efficientiam inseparabilis Trinitatis, tum etiam subsistentem personam procedentem à Filio.

II. Quomodo species columbæ dicatur Missio Spiritus S.

Si nunc exquiras, quomodo species Columbæ dicatur *Missio* Spiritus Sancti, quando tres personæ illam inseparabiliter effecerunt; respondet Magnus Augustinus in lib. IV. de Trinit. cap. 21. *Quemadmodum cum memoriam meam & intellectum & voluntatem nomino, singula quidem nomina ad res singulas referuntur, sed tamen ab omnibus tribus singula facta sunt; nullum enim horum trium nominum est, quod non & memoria, & intellectus, & voluntas mea simul operata sunt. Ita Trinitas simul operata est & vocem Patris, & carnem Filii, & Columbam Spiritus Sancti, cum ad singulas personas hæc singula referantur.* Potuit ergo Columbæ species esse signum Spiritus Sancti, licet totius Trinitatis esset effectus: quemadmodum vox, quæ intonuit in Christi baptismate referri ad Patrem, & Incarnatio spectare tantummodo ad Filium, etiamsi exterior Trinitatis operatio sit penitus inseparabilis. Atque hæc de *Missione*, ne disputatio ultra quàm satis sit, protrahatur.

CAPUT XXI.

De Græcis Latinisque vocabulis, quorum disputantibus de Trinitate frequens est usus.

SUMMARIUM.

à num. 1. usque ad 5. declarantur græca vocabula in hac materia communiter occurrentia. — à num. 5. usque ad 13. explicantur latina.

Græca, Latináque vocabula de trinitate.

AD extremum libri hujus Polemici perventum est, dummodo voces quædam crebro repetitæ, Patrumque usu probatæ explicentur: in quibus rectum ordinem tenebimus, si quæ communes sunt pluribus, priorem locum obtineant, postea vero sequantur, quæ uni tribuuntur personæ. Communes ergo sunt.

I. Usia.

I. Οὐσία *Usia*: idem significat ac τὸ ὄν, *Quod est*, vel τὸ τί ἦν εἶναι, quod respondetur scisciranti quid sit res. Sit exemplum: interrogas quid sit homo, & respondemus substantiam esse corpore animoque præditam: est ergo hominis οὐσία esse substantiam corpoream simul & rationalem. Sabelliani, qui pluralitatem personarum negabant, οὐσίαν putabant idem esse ac personam, Deumque Trinum appellabant μονοούσιον, id est, unius *Usiæ*, ac Patris Filium ταυτοούσιον, id est ipsiusmet *Usiæ*. Quamobrem etsi revera Deus est μονοούσιος, καὶ λόγος ταυτοούσιος, erant hæc nomina in ore Sabellianorum blasphemiæ. Plura de hoc nomine cap. 13. Post exortam Arianam hæresim, quæ ex adverso negabat in Deo Trino unitatem naturæ, & fatebatur pluralitatem personarum, dixerunt nonnulli Filium esse γεννητὴν οὐσίαν, genitam usiam, hoc vocabulum usurpantes pro persona, quæ habet cum aliis eamdem essentiam. Respondet ergo Græcum nomen *Usia* Latino *Essentia*, quam indiscriminatim *Essentiam*, *naturam*, & *substantiam* dicimus: ideoque recepta post Nicænam Synodum consuetudine ut docet S. P. Augustinus lib. v. de Trin. cap. 9. non audemus dicere neque tres *Usias*, neque tres *Essentias*, neque tres *Substantias*.

2. Consubstantialis.

II. Natum hinc vocabulum Ὁμοούσιος, *Consubstantialis*, nec non ὁμοιούσιος, *Substantia similis*: quæ non unum sensum patiuntur. Nam olim Platonici dicebant esse *Omoousios* Deos, stellas, homines, & quæcunque ejusdem speciei sunt, sed eamdem naturam inter se individua proprietate scindunt ac dividunt. Quo sensu Filium aut Spiritum Sanctum esse Patri *Omoousios*, negabant inculpate ante Nicænam Synodum nonnulli Patres. Causa tamen ventilata, & appositâ cautione, quòd ὁμοούσιον propria ac nativa significatione demonstrat id quod est *Consubstantiale* alteri, nec ullatenus significat partitionem substantiæ; nequit hoc vocabulum rejici, nisi à pestilentissimis Ariani. Callide hi substituerant ὁμοιούσιον, quod similitudo versetur etiam inter plura, quorum non est una essentia: quia tamen Patri non potest similis esse persona non habens eamdem divinitatem, (nulla enim creatura potest esse perfecte similis Deo,) etiam ὁμοιούσιον aliqui Catholici probaverunt.

III. Ut

3. In essentia aliud cogitatur quod est, aliud principium quo est; aliud modum, quo est.

III. Ut fecit imbecillitas intellectionis humanæ plures in eadem re distinctiones, ita in *Essentia* aliud esse cogitat quod est, aliud principium quo est, aliud modum quo est: primum dicitur à Græcis ἐσία, secundum φύσις, tertium ὕπαρξις, respondentque Latinorum *essentiæ*, *naturæ*, *existentiæ*. Atque de Essentia dictum nuper. Φύσις vero, hoc est *natura*, dicitur à φύω, *gigno*, *pario*, *nascor*; unde spectata sola nominis etymologia φύσις significare potest etiam personam, quemadmodum & ἐσία. Dicitur propterea à Nazianzeno apud Petavium lib. IV. cap. 2. Filius φύσις γεννήτορος ἴση, *Natura æqualis Genitori*. Ὑπάρξεος primaria notio *Existentiam* designat: derivatur autem ab ὑπάρχω, quod est *sum*, aut *existo*. Aliquando tamen peculiarem existendi modum, seu proprietatem denotat personarum.

4. Hypostasis.

IV. Sequitur ὑπόςασις ab ὑπὸ, *sub*, & ἵςημι, *sto*. Est ergo *hypostasis* ὑφιςάμενον νοερὸν, *res per se subsistens & intelligens*: designatque proprie personam, nec recte enunciatur de rebus destitutis mente & ratione; etiamsi conveniat illis ad differentiam accidentium substantiæ vocabulum. Hypostasim Latini dicunt *Subsistentiam*. Est autem diligenter notandum veteres usurpasse nomen *Hypostaseos* ad significandam substantiam sua existentia præditam, non abstractam subsistentiam: quam significationem probat etiam allata etymologia. Neque id soli antiqui Philosophi tradiderunt, ut demonstrant Curcellæus & Clericus, quorum vix ullam rationem arbitror esse habendam; sed Irenæus, Dionysius Romanus, Patres Sardicenses, aliique apud Petavium lib. IV. cap. 1. qui *Hypostasim* nulla alia ratione ab essentia distinguunt, nisi prout etiam subsistendi modum comprehendit. Cum ergo substantia una in tribus personis sit, nil mirum si complures antiqui unam in Patre & Filio dixerunt *Hypostasim*, & Latini Patres, inter quos etiam Hieronymus, & Augustinus, aliquando tres *Hypostases* dicere detrectarunt. At si *Hypostasim* pro relativa subsistentia & Persona, quæ per eam constituitur accipiamus, æquum est tres *Hypostases* nominare. Et quoniam hac significatione *Hypostasim* usurparunt Constantinopolitanum primum, & Oecumenicum secundum Concilium, Chalcedonense, & quintum, & sextum, & Patres, ac Theologi propemodum infiniti; recedendum est ab antiquiori consuetudine, & unius *Usiæ*, trium vero *Hypostaseon* confessio tenenda est. Ex quibus constat controversias omnes circa *Hypostaseos* unitatem, aut pluralitatem, esse à vocis ambiguitate derivatas. Inter Criticos, qui contendunt *Hypostasim* antiquioribus idem fuisse ac *Usiam*, & alios qui sustinent semper significasse personam, nos medium iter ingredimur. Addit revera *Hypostasis* ad *Usiam* subsistentiam: sed subsistentiæ, ut explicabimus lib. IX. cap. 6. duo distinguenda sunt munera, id est, reddere rem perfecte subsistentem, & illam ita definire, ut sit alteri incommunicabilis. Itaque si contendas cum Bullo, Clerico, & pluribus etiam Catholicis semper *Hypostasim* significare apud veteres Essentiam præditam subsistentia; dicam id falsum esse accepta subsistentia prout reddit naturam incommunicabilem, constituitque personam: & ratio est apertissima, quoniam antiqui Patres confitebantur tres esse personas unius *Hypostasis* non intelligebant proprietatem personalem, & peculiare munus subsistentiæ. Quod si velis econtra *Hypostasim* apud veteres idem fuisse cum Essentia & *Usia*, ut scribit Hieronymus Epist. 57. ad Damasum; dicam id falsum esse de *Usia*, prout excludit omnimode subsistentiam, ac primum munus illius, quod est naturam complere & reddere subsistentem: quod vel ipsum nomen *Hypostasis* non obscure demonstrat. Econtra verum erit quod scribit Hieronymus, quia revera antiqui nomine *Hypostasis* designabant *Usiam*: & verum simul erit quod recentiores Critici contendunt, quia revera *Hypostasis* significat apud omnes *Usiam*, non utcunque, sed subsistentem. Brevi dicam: Qui unam *Hypostasim* affirmaverunt, *Usiam*, & subsistentiam absolutam hoc nomine designarunt: qui tres *Hypostases*; Usiam & subsistentias tres relativas. Hæc autem ego, ad componendas eruditorum virorum circa significationem *Hypostaseos* graves, dissentaneasque conjecturas.

5. Personæ.

V. *Personæ* vocabulum non substantiam, sed qualitatem solam demonstrare apud Latinos Scriptores, quidam falso dixerunt: quos refellere possumus multorum auctoritate. Sed unus sufficiat Cicero, apud quem stat incorrupta Latini sermonis integritas. Is Ep. 48. *Cæsar*, inquit, *nunquam nisi honorificentissime Pompejum appellat, at in ejus persona multa fecit asperius*: aliaque sunt

sunt exempla in Thesauro Nizolii. Originem tamen nominis haud male Boetius repetit ab histrionibus: quos Græci vocant πρόσωπα, quod vultum obtegant. Est enim πρόσωπον *facies*, & pars vultus proxima oculis, quomodo docent nos Græci. Personam vero esse *Rationalis naturæ individuam substantiam*, Philosophi tradunt: in qua definitione *Individua substantia* dicitur, quæ constat communi essentia, & certa proprietate, quæ non potest alteri convenire. Hanc autem proprietatem sola mente nostra distinctam ab essentia dicimus in prima Trinitatis persona *Paternitatem*, in altera *Filiationem*, in tertia denique esse *Spiratum*. Quæ omnia aut in superioribus fuerunt explicata, aut, si quid remanet dilucidandum, perspicuum erit in eo, qui ad proximum librum consequetur. Atque ita communibus vocabulis expositis, propria singularum Personarum, quæ Græci appellant τὰς τῶν τριῶν ἰδιότητας, jam persequor.

6. Primæ Personæ proprietas est esse Patrem.

VI. Itaque personalis primæ Personæ proprietas est *esse Patrem*, & peculiare nomen ipsius, nomen *Patris*: quod, dum idem est ac Procreator & sator, aut altor filiorum, convenit cæteris quoque personis, & nomen πατὴρ est à πάω, *Pasco*, curamque gero natorum: sed ut significat *Parentem* ac generatorem, & derivatur à *Pariundo*, respondetque Græco γενέτωρ, *A quo partus nascitur*, singulare est Patris à quo æternus Filius gignitur, & substantialiter nascitur. Appellatur apud Patres *Ingenitus*, *Principium*, *Causa*, *Auctor*, & *Fons* totius Trinitatis.

7. Ingeniti vocabulum significat non productum.

VII. *Ingeniti* vocabulum, græce ἀγέννήτε non geminata media consona ν græco μ. significat *non productum*; est enim à γίγνομαι, *Fio*; unde est unaquæque persona ἀγέννητα, id est *Non facta*. Ea litera autem duplicata, est à γεννάω, *gigno*, ideoque significat *non genitum*: ut dixi cap. XVI. ad ultim. Addidi ibidem Spiritum Sanctum esse ἀγέννητον, non ἀγέννητον, nec male. Si dicas, cur non est ἀγέννητος, *Ingenitus*, si non est genitus? Quoniam scilicet Spiritus Sanctus licet non sit generatione, habet tamen principium: & nomen *Ingeniti* & personam significat quæ non est genita, & quæ non est procedens à Genitore; quemadmodum nomen *Geniti* eam designat, quæ generata est & procedit à Patre. Itaque Spiritus Sanctus, qui po est appellari ἀγέννητος in quantum non est *Genitus*, sed non in quantum à Genitore non procedit, cum ab eo procedat reapse, *Ingeniti* nomen non habet: quod utroque titulo remanet Patri, & quia ipse nequit esse genitus, & quia non potest ab allo Patre procedere.

8. Cur Pater dicatur principium, auctor fons, causa.

VIII. Ob eamdem causam appellatur *Principium*, *Auctor*, *Fons*, *Causa*, Græce ἀρχὴ, πηγὴ, αἰτία; nam αὐθέντην Græci in Divinis perraro, vel nunquam dicunt, quod hoc nomine is designetur, qui cæteros jure ac dignitate antecedit. Ut illi à nomine *Auctoris*, ita Latini à nomine *Causæ* abstinent, cui inesse putant vim significando non qualecunque principium, sed illud à quo producitur effectus natura alius. Atque hinc est, quod Patrem appellant principium Filii, & Deum causam creaturarum. Quam *Causæ* significationem non habet Græca vox αἰτία; adeoque Patrem *Causam* Filii vocant Græci sæpissime. Si vero Latini quidam *Causam* interdum dixerunt, ut Augustinus lib. 83. Quæst. 16. Græcorum morem secuti sunt; quomodo & Græci Latinorum, si aliquando negant Patrem esse *Causam* Filii: sed sunt hæc exempla rarissima. *Auctoris* autem nomen Cicero ad Act. 118. accepit pro duce ac principe, alibi pro Architecto aut præfecto: & Livius lib. 4. dec. 4. & idem Cicero, pro tutore, & actore, idque non semel. Hoc ergo sensu Patrem *Auctorem* Filii non dicimus; ut docet lib. 3. contra Max. cap. 14. S. Augustinus, & S. Thomas in 1. Sent. dist. 29. q. 1. art. 1. Sed *Auctor* idem quoque est Latinis, ac *Principium*, & *Genitor*, ut ibidem Augustinus, & Hilarius in 9. de Trinitate observarunt: atque hac significatione Patrem *Auctorem* Filii credimus & profitemur. Igitur hæc omnia, *Principium*, *Fons*, *Causa*, *Auctor*, & si quæ sunt his similia, dicuntur de Patre quatenus est Filii, & Spiritus Sancti origo prima, quæ à nulla alia persona procedit.

9. Nomina propria Filii.

IX. Secunda autem Persona passim vocatur *Filius*, *Verbum*, *Imago Patris*, *Splendor*, *Character*, *Sapientia*; Græce υἱὸς, λόγος, εἰκὼν τὲ πατρὸς, ἀπαύγασμα, χαρακτὴρ, σοφία: quorum tria magis propria videntur, & reliqua appellativa. Et *Filius* quidem ex Græco φύω, id est *Gigno*, vel *Nascor*, υἱος, aut κυὸς à κυέω, vel κύω, hoc est, *Gesto in utero*, demonstrat personam genitam, natam, & è sinu genitoris prodeuntem. *Verbum* autem,

autem, vel λόγος, hunc Filium non gigni externa productione fœtus, & deciſione, neque naſci avulſum ab utero, quomodo mortalium filii: ſed in ſinu Patris commorari; uti mentis noſtræ verbum à mente, quæ illud concipit, non divellitur. Quare vocatur à Joanne cap. I. λόγος πρὸς τὸν Θεὸν, *Verbum apud Deum;* & infra v. 18. μονογενὴς υἱὸς, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς, *Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris.* Noto haberi hic in Græco cum propoſitione εἰς, *In*, accuſativum κόλπον, *Sinum:* quod monſtrat Filium eſſe Patri maxime intimum. Dicitur etiam λόγος, quaſi *Ratio*, & *definitio*, quoniam non ſolum comparatur ad Patrem, ut genitus ad generantem; ſed etiam ad omnia quæ facta ſunt, ut *Ratio* & *idea* opificis ad effecta. Etiam *Verbum Patris* Filius appellatus eſt, quod Sermo nunciat occultas mentis cogitationes, & inviſibilis Pater per Verbum nobis manifeſtatus ſit: unde ait citato loco Joannes: *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.* Imago non eo tantum appellatur, quod referatur ad Patrem, & ſit ei ſimilis in natura; id enim convenit etiam Spiritui Sancto: ſed quia refertur ad Patrem ſolum, eumque repræſentat propriiſſimo Filii charactere, cujus primaria notio eſt eſſe Patris imaginem, ab eoque procedere in ſimilitudinem naturæ.

10. Appellativa Nomina.

X. Alia autem nomina appellativa eſſe liquet; nam *Sapientia* primario ſignificat perfectionem abſolutam, ut veritas, magnitudo, potentia, & cætera ejusmodi, quæ ſingulis perſonis conveniunt. Eſſe *charactérem* & ſignaculum Patris & Filii proprium eſt Spiritus Sancti, ut diximus cap. XIV. *Splendor* quoque trium Perſonarum gloriam, majeſtatemque ſignificat. Erunt tamen & hæc propria Filio, ſi relative ſumantur, E. G. ſi dixeris, *Sapientia* genita à Patre, *Splendor* Paternæ gloriæ, *Character* paternæ hypoſtaſeos: at abſolute prolata, nec ſapientia, nec character, nec ſplendor demonſtrant generationem, aut relationem ad patrem, & conſequenter non videntur nomina adeo Filii propria, ut ſunt *Verbum*, λόγος, & *Imago*.

11. Filio cum Patre convenit eſſe principium Spiritus S.

XI. Filio una cum Patre convenit eſſe Spiritus Sancti principium: unde *Spirationem* diximus eſſe proprietatem, quam appellant Theologi *Notionalem.* Sunt autem *Notiones* quædam nomina, quæ ſingulares divinarum perſonarum exprimunt characteres, quibus ad invicem diſtinguuntur. Cum ergo tertia Perſona ſit ab aliis diverſa, debet à duabus procedere, quod non incongrue, ut mox dicam, appellatur *Spirari.* Ergo *Notiones* quinque erunt, *Innaſcibilitas*, *Paternitas*, *Filiatio*, *Spiratio activa*, & *Spiratio paſſiva.* Placet enim probata uſu vocabula retinere. Quantum ſpectat ad *Paternitatem*, *Filiationem*, ac *Spirationem paſſivam*, quæ ſunt trium perſonarum conſtitutiva, neminem puto ideam horum nominum non percipere. De *Spiratione* vero *activa* dictum ſatis cap. XVII. & XVIII. & de ratione *Ingeniti* præcedenti numero VII. Gignere, naſci, procedere, & cætera iſtiusmodi non dicuntur *Notiones*, quoniam non exprimunt exiſtentis perſonæ characterem, ſed originem potius ac productionem. Cætera nomina ab his ſola voce, literisque diverſa ſunt; & ſingula ſunt hoc eodem loco explanata. Tantummodo eſt advertendum non deſignari his nominibus rem aliquam ab ea diſtinctam, quam ſignificant vocabula eſſentialia & communia, de quibus ſupra. De diſtinctionibus vero Scholaſticorum non eſt hujus libri diſſerere.

12. Vocabula de Spiritu S.

XII. Tertia Perſona appellatur *Spiritus Sanctus*, *Donum*, *Charitas*, *Conſolator*, græce τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, δωρεὰ, ἀγάπη, παράκλητος: quorum tria primo commemorata ſignificant Perſonam procedentem à Patre ac Filio: poſtremum illam, quam nobis impertitur Spiritus ſuavitatem, donorumque affluentiam. *Spiritus* enim à *Spiro* dicitur, quoniam ut halitus ex corde & ore ſpiratur, ſic tertia perſona à Patre Filioque procedit: atque Græcum πνεῦμα ſimiliter eſt à πνέω, *Flo*, *ſpiro.* Additur ἅγιον, *Sanctus*, ne credatur illum eſſe ad inſtar venti, aut flatus, ſed *Spiritum* viventem, & vivificantem: & ne comparetur ſpiritui hominis peccatis obnoxio, vel Angelis non eſſentialiter ſanctis, ſed gratia. De *Dono* dictum ſatis cap. XIV. Huc etiam ſpectant vocabula *Amor*, *Charitas*, *Oſculum*, & ſimilia, quæ omnia notæ ſunt duorum ſe diligentium.

13. Paraclitus quid dicat.

XIII. *Paraclitus* nomen Græcum eſt à παρακαλέω, *Rogo*, *hortor*, *conſolor*, *advoco.* Deſignantur hoc nomine gratiarum chariſmata, præſertim mentis illuſtrationes, pia cordis deſideria,

gratia orationis, aliaque munera, quæ nos ad sanctitatis initium, atque incrementum alliciunt, vel trahunt. Tum sanctitas ipsa, quæ est quædam Spiritus Sancti in cordibus hominum habitatio. Denique hujus Sanctitatis ornamenta, quæ dicuntur fructus Spiritus Sancti, id est, gaudium, pax, & cætera, de quibus Apostolus ad Galatas v. 22. Quamquam vero etiam Filius *Paraclitus* est, & Consolator, ut Sacræ literæ contestantur; gaudet hoc nomine præsertim Spiritus Sanctus, propterea quod munere charitatis ipsi præcipue attributo ubertates donorum conferuntur, atque augentur. Ea re quidquid in hoc libro, cujus finem jam attigi, aut ad fidem Trinitatis firmandam, aut ad promovendam pietatem ac religionem (quod vereor ne minimum sit) potest piorum Lectorum mentem accendere, etiam atque etiam obtestor, ne homini præ cæteris ignoranti ac fiagitioso, qualem me esse cognosco, referatur acceptum; sed summo ac sempiterno Spiritui, qui ubi vult spirat, non acceptator personarum, sed largitor donorum.

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER OCTAVUS,

In quo aliquorum Patrum, præsertim Antenicænorum contexitur Apologia.

Authoritas Antenicænorum Patrum pro fide Trinitatis.

PRo Fide Trinitatis adversus veteres, ac recentiores hæreticos hactenus pugnatum est. Nunc Patrum aliquorum, qui ante Ariana tempora, aut his percurrentibus in Christiana Religione floruerunt, auctoritatem studebimus vindicare. Compluribus enim, nedum exteri, præsertim vero Apostolicarum Traditionum impugnatores, verum etiam nonnulli Romanæ communionis Scriptores celeberrimi Arianorum teterrimam maculam affricarunt. Sunt hi præcipue Ignatius, & Justinus Martyres præclarissimi, Athenogoras Athenienſis Philosophus, qui Servilio Pudente, & L. Fusidio Coss. id est, anno Aeræ vulg. CLXVI. M. Aurelio Imperatori notissimam obtulit Apologiam; Irenæus item S. Polycarpi Auditor, Clemens, & Dionysius Alexandrini, &, quem hydram omnium hæreseon quidam nominarunt, Origenes Adamantius. Athanasium quoque, etsi nefarii dogmatis insectatorem acerrimum atque invictissimum, pestilentissimus Socinianorum Wolzogenius diversam à Catholicis tenuisse sententiam confidentissime pronuntiavit. Sed & Basilium in crimen violati circa Spiritus Sancti divinitatem dogmatis quidam adducere, quamquam inani prorsus conatu, tentaverunt. De his ergo Græcorum Patrum antiquissimis prima inquisitio est habenda: deinde fides Occidentalium aliquorum, impiarum linguarum stabellis ventilata, asserenda est; Tertulliani nimirum, Cypriani, Lactantii, & Arnobii. De Eusebio Cæsarienſi, de Liberio, & de Osio erit postrema hujus disputationis pars: hi enim damnato jam Ario ipsius blasphemiis patrocinati dicuntur. Atque isti octavæ disceptationis, quam *Apologiam Antenicænorum* inscripsimus, fines erunt.

CAPUT I.

Ignatius Martyr suis in Epistolis Verbi divinitatem asseruit.

SUMMARIUM.

1. Punctum difficultatis.
2. & 3. Probatur, Ignatii 7. epistolas ab Usserio, & Is. Vossio restitutas, esse genuinum S. Martyris opus.
4. usque ad 11. Satisfit oppugnationibus.
11. & 12. Ostenditur, in epistolis Ignatii Verbi divinitatem tradi.
13. Respondetur ad aliquam instantiam.

1. Auctoritas S. Ignatii M.

EPISTOLAS beati Ignatii Antiochenæ Ecclesiæ post Evodium Episcopi, qui Imperante Trajano ad bestias damnatus est, oppugnarunt tria illa Novaturientium Capita Claudius Salmasius, Joannes Dallæus, & David Blondellus ægre ferentes in his Episcoporum regimen in Ecclesia constitui; eorumque argu-

menta recudit Casimirus Oudinus in sua de Ecclesiasticis Scriptoribus Historia. Defendunt illas Epistolas econtra non solum veteres Scriptores, verum etiam Jacobus Usserius, Hammondus, Jo. Vossius, Cotelerius, Cave, Clericus, & luculentissime Jo. Pearsonius, & Georgius Bullus, præter Dupinium, Alexandrum, Annatum, aliosque communiter. Quoniam quæstio gravissima est, atque pendet ex ea judicium de Ignatii circa Verbi divinitatem sententia, breviter resolvenda videtur; nam quisquis ampliorem velit dissertationem, poterit commodius Ignatianas Vindicias legere in altero Tomo Patrum Apostol. Cotelerii. Sunt autem Epist. de quarum germanitate pugnatur, numero septem: *Ad Ephesios*, *ad Magnesianos*, *ad Trallianos*, *ad Romanos*, *ad Philadelphænos*, *ad Smirnæos*, & *ad Polycarpum*. Aliæ enim, quæ olim tribuebantur Ignatio, sunt unanimi Recentiorum consensione suppositæ ac pseudepigraphæ: & licet Epistolas Ignatii ad Mariam Virginem, & Joannem probaverint Dionysius Carthusianus, Petrus de Natalibus, Marcus Michael Presbyter Cortonensis, & absque ulla hæsitatione Canisius Tom. 2. de Corrupt. V. D. lib. v. cap. 1. perperam tamen adscriptas Ignatio suspicatur Baronius Tom. 1. An. 48. Possevinus in Apparatu, Christoph. de Castro in Hist. Deip. cap. 23. & Auctor Indicis librorum expurgandorum Romæ editi an. 1607. Quare cum nullus veterum harum Epistolarum meminerit ante D. Bernardi tempora, nullumque extet illarum autographiæ vel minimum argumentum; paucis, credulisque nuper commemoratis nolumus assentiri. Ad priores itaque septem Epistolas coarctanda est disceptatio.

2. Genuinum S Ignatii M. opus.

Propositio I. Ignatii septem Epistolæ ab Usserio ex vetustissimis Codicibus Anglicanis, dein ab Is. Vossio ex Florentino restitutæ, atque cum plurimis Latinis Interpretationibus concordes purum sunt ac genuinum Sancti Martyris opus.

Probatio 1.

Subscribit huic propositioni quisquis præjudiciis non laborat: eamque contractis hisce momentis possumus confirmare. Ac primo: constat ex H. Eccl. Eusebii lib. III. cap. 37. ubi recensitas septem Epistolas memorat, Sanctum Martyrem Polycarpum earumdem in sua ad Philippenses meminisse. Deinde plura ex Ignatianis Epistolis testimonia Irenæum protulisse, colligitur ex eadem Historia Eusebii lib. v. cap. 8. Nec juvat Dallæum hoc modo inter Irenæi scripta nequaquam extare, cum multa Martyris opera interierint. Quod etiam addit Calvinista Eusebium errare, eadem facilitate refutatur, qua profertur. Quibus enim indiciis tam crassum Eusebii commentum revincemus? Ex antiquiorum, inquit, silentio. At multa genuina scripta ab omnibus recipiuntur, quorum nullus ante Eusebium catalogum collegit. Is vero non ex penu suo, sed ex præcedentium Scriptorum scriniis memorias eruit antiquitatis. Tertio Theophilus VI. Antiochænorum Episcopus Commentaria edidit in Matthæum: quæ se legisse affirmat Hieronymus, atque ex his Commentariis mutuatus est, quod ipsemet habet ad cap. 1. Matth. v. 18. *Martyr Ignatius etiam quartam addidit causam cur à desponsata conceptus sit, ut partus, inquiens, ejus celaretur diabolo.* Quod ignatius tradidit in sua ad Ephes. Epistola. Atque idem Hieronymus in Catalogo Ecclesiasticorum Scriptorum septem ignatianas Epistolas eodem ordine censet, quo supra fuerunt à me numeratæ. Neque sine stomacho audire possumus, qui reponunt Hieronymum lectione Eusebii fuisse deceptum; quum ex prolata sententia, quam in libris Eusebii non invenimus, liqueat Hieronymum summæ eruditionis hominem Ignatii scripta aliunde quoque, & præsertim ex memorato Theophilo cognovisse. Rursus Origenes Homilia VI. in Lucam nonnulla affert ex Epistola Ignatii ad Ephesios, & in Prologo Comment. in Cantica ex Epist. ad Romanos: neque tam apertum argumentum excutere possunt adversarii, nisi pervicaciter negando hæc esse germana Origenis opera contra Hieronymi testimonium, qui ea latinitate donavit, universorumque Criticorum consensum. Nam quod respondent nonnulli Origenem verba Ignatii commendavisse, non scripta; id quidem ejus lectione evidentissime refutatur; quippe ait ille: *Unde eleganter in cujusdam Martyris Epistola reperi, Ignatium dico Episcopum Antiochiæ, &c.* Denique Ignatii Epistolas, earumque doctrinam laudat S. Athanasius de Synod. Arim. & Seleuciæ; Theodoretus ad Monachos Constantinopolit. & ad Florentium Patritium, aliique posteriorum ætatum innumeri. Alia argumenta vide apud Natal. Alex. dissert. XXIII. sæculi I. vel potius adeas copiosissimum fontem, ex quo ille bibit, doctissimum scilicet Pearsonium.

3. Probatio 2

Probatur deinderassetum demonstrando

do vaniſſimas eſſe conjecturas, quibus paratragœdiant Dallæus, & Oudinus, mali corvi, ut quemdam ipſe compellat, malum ovum. Etenim ſi ſpuriæ forent Ignatianæ Epiſtolæ, maxime, ut iſti argutantur, vel propter diſtinctionem inter Epiſcopos ac Presbyteros, quæ ex his comprobatur, vel propter ſtylum, quem Ignatio nuperi Calviniani putant indignum, vel ob res quas narrant, ac tradita in eis dogmata. At ſunt hæc omnia leviſſima. Non ergo præfatæ Epiſtolæ ſunt Divo Ignatio abjudicandæ. Minorem ſic probo. Quantum ad diſcrimen attinet unius Epiſcopi à cœtu presbyterorum, illud in Eccleſiaſtica Hierarchia perantiquum & jure divino ſtatutum didicimus, quicquid obganniant Presbyteriani. Stylum autem Ignatianarum Epiſtolarum redolere ſimplicitatem Apoſtolicam demonſtrat Clericus accuratiſſimus, ut ab Adverſariis habetur, Criticus in Hiſt. Eccl. ad An. CXVI. num. 12. Nec eſt, cur opponant duriores quaſdam metaphoras, & frequentiam epithetorum, cum hæc fuerint Syrorum ſingularia. Pſæterea, ut unicuique ſua facies eſt, & ſua vox, ita homines ſinguli propriam habent conſuetudinem orationis, neque ſunt omnes Magiſtrorum imitatores. Quare etſi Ignatii ſtylus habere quid tumidum videatur, parum ex hoc confici poterit adverſus Ignatii opera genuina. Circa autem doctrinam, narrationemque Epiſtolarum iſtarum nullum ibi offenditur non Apoſtolicum dogma: egregiæ occurrunt ad omnium virtutum genera admonitiones: ſpecimina ubique charitatis, qua flagrabat; in ea præſertim, quam Smyrnæ, ubi diu commoratus eſt, ſcripſit ad Romanos, & in qua neſcio qua fronte ardentiſſimum quoque damnare audeant deſiderium Martyrii. Quod ſi erroris omnino immunis non eſſet, quippe nullus hominum communi mortalium infirmitati eſt eximendus: quid hæc, obſecro, contra ſcriptorum ejus antiquitatem? Demum quod Dallæus objicit de antiquorum ſilentio, & quatuor capitibus, vel quinque magno verborum apparatu amplificare nititur, & negativum eſt, & falſum ex præmiſſis deprehenditur. Frivolis itaque conjecturis Ignatianas Epiſtolas quatere conantur Presbyteriani.

Satisfit reliquis oppugnationibus.

4 Obiectiones contra Epiſtolas S. Ignatii M.

Etſi plurima ſunt Adverſariorum argumenta, & ſolus Dallæus ſexaginta ſex urget, plura tamen militant adverſus Epiſtolas Ignatii interpolatas, laciniiſque ante Uſſerianam editionem refertas; alia vero ex dictis obviam habent ſolutionem. Diluenda remanent quæ ſequuntur. Primo: Martyr Ignatius hæreſim Valentini nondum ſuo tempore exortam non poterat confutare. At larvatus auctor in Epiſtola ad Magneſianos in Valentinianam Aeonum fabulam ſuperiori libro 11. deſcriptam, etiam in Codice Mediceo ait: Λογος ἀίδιος ἐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών, *Verbum æternum non à ſilentio progrediens.* Item in Epiſtola ad Trallianos meminit Cleobuli, & Baſilidis, qui poſt tempora Ignatii eruperunt. Ad Epheſios quoque commemorat Oneſimum Epiſcopum tanquam adhuc ſuperſtitem, qui tamen ſub Domitiano Martyr occubuit. Spuriæ ſunt ergo & adulterinæ præfatæ Epiſtolæ etiam Uſſerianæ, ut dicuntur, ſeu Voſſianæ.

5. Solutio.

Reſp. nego minorem; non enim ad Valentini dogma refertur locus ille citatus ex Epiſtola ad Magneſianos, de quo viri doctiſſimi digladiantur; ſed Verbum dicitur ab Ignatio non ſilentio progrediens, id eſt, ſempiternum: quo ſenſu appellatur ab Auguſtino ſerm. 369. *Verbum quod dicturus Pater non filebat*; & in altero de Nativit. Domini: *Verbum, quod labia nullius aperuit cæptum, clauſitque finitum.* In quibus arbitror minime S. Patrem de Gnoſticorum cogitaſſe commento. Revera nunquam Valentinus affirmavit Logon natum ex Sige: ſed conſtat ex Irenæo, natum ex Nou, & Aletheia; ex Epiphanio autem, ex Antropo, & Eccleſia. Et quidem Aeonum genealogiam ex Irenæo dedimus differentes de ſummi Numinis æternitate: inſerta autem in Panario Epiphanii hæc eſt:

Bythus — Sige
Pater
|
Pater — Sige
|
Veritas
|
Pater — Veritas
|
Homo — Eccleſia.
Sermo.

6. Roboratio.

Hoc tamen fragmentum non eſſe Valentini ſentiunt eruditi. Quidquid ſit; nullibi invenimus Verbum proxime genitum à Bytho & Sige. Dogma denique Valentinianum ex antiquiorum hæreticorum lacunis derivaſſe, & antiquas doctrinas in ſuum characterem Valentinum tranſtuliſſe tradunt & Irenæus lib. 1. cap.

1. cap. 5. & Epiphanius in XXI. hæresi. Quapropter potuit etiam esse notum Ignatio. Cleobuli vero & Basilidis nomina non reperies in castigatis Armachani, aut Vossii editionibus; sed in lacinioſis duntaxat; quamquam falsum est Ignatium horum hæreticorum non habuisse notitiam; cum Basilides contemporaneus fuerit Cerintho, qui nefariam doctrinam spargere cœpit circa annum, ut arbitror, LXXX. Cleobulus autem, seu Cleobius fuit Simonis Magi discipulus. Quod dictum est de Onesimo facilis est solutionis; nam præter Onesimum Pauli discipulum sub Domitiano trucidatum, fuit alter ejusdem nominis, qui post Gajum Epheso præfuit, imperante Trajano.

7. Objectio 2 cum solutione.

Præterea objiciunt: In Stichometria Nicephori, quomodo & in Indice, quem Historiæ suæ præfixit Anastasius Bibliothecarius, cum Ignatii, tum Polycarpi scripta tanquam apocrypha rejiciuntur.

Retorqueri potest hoc argumentum; nam & à Nicephoro, & ab Anastasio Dionysiana habentur pro genuinis Operibus Areopagitæ: at Dionysius in lib. de divinis nominibus ex Epistolis Ignatii disputans de Amore insignem locum exscribit. Sed respondemus neque Stichometriam esse Nicephori, neque ibidem Ignatii Epistolas, sed suppositicia hujus scripta notari; neque in alio sensu dici apocrypha, nisi quatenus cum libris Canonicis, quorum Catalogus illic contexitur, non sunt pari honore recipienda.

8. Objectio 3.

Opponunt insuper Pseudo-Ignatium secum pugnantia conscribere, primo cum de Martyribus loquitur tanquam adhuc viventibus, quos paullo ante scripserat ad locum gloriæ debitum pervenisse. II. Dum ad Romanos scribens milites *Leopardos* appellat, vocabulo nempe ante Constantinum, ut Bochartus & Gesnerus advertunt, inusitato. III. Dum asserit in Epistola ad Ehhesios se in carne Christum vidisse, quod, etiamsi traditum à Hieronymo, aliisque, impossibile censent emunctæ naris Chronologi. Addunt mirificas Epistolarum inscriptiones, quas *Belle stribiliginosas* dixit Oudinus.

9. Solutio.

Resp. hæc omnia futilia esse: & primum quidem; nam Martyres appellat Ignatius Apostolos, Philippenses, & itineris sui socios, quorum aliqui ad Martyrii coronam pervenerant, aliqui erant superstites. Nec alterum argumentum melioris notæ est; cum *Leopardorum*, (genus militum,) meminerit in vita Antonini Getæ Spartianus, & Scriptor Martyrii SS. Perpetuæ, & Felicitatis apud Holstenium, centum scilicet annis ante Constantini Imperium: nisi mavis nomine λεοπαρδάλων, significari animal ferociſſimum ex pardo & leæna genitum, ut apud Athanasium in Vita Antonii: eoque vocabulo tropice tantum milites designari. Ad tertium vero: habent Græca verba: Ἐγὼ γὰρ καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σαρκὶ οἶδα, καὶ πιστεύω ὄντα, *Ego enim etiam post resurrectionem in carne & scio, & credo* (Christum) *esse*. Οἶδα enim est *Scio*, non *vidi*; & ita vertit Rufinus H. Eccl. lib. III. cap. 36. Male ergo hæc verba ab aliquibus versa sunt, nisi aliquo falsato Codice usi fuerunt. Inscriptionibus denique amplioribus utitur etiam Apostolus ad Romanos, ad Galatas, ad Titum.

10. Objectio ultima.

Ultimo oppones: In singulis Epistolis Ignatius dicitur *Theophorus*, quod cognomen ex fabula ortum est, qua fingitur Ignatius puerulus ille, quem Christus Matth. 18. sublatum in ulnis statuit in medio.

Solutio.

Resp. etiamsi fabula credatur, quæ legitur in vetere Græcorum Menæo, in Anthologio ad diem XX. Decemb. & apud Anastasium Bibliothecarium in Scholiis ad VIII. Synodum Act. I. quod non opus est definire; potuit Ignatius vocari *Theophorus*, quod Christus in illo habitaret, quomodo ait Apostolus I. ad Corinth. 6. *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.*

11. Ex Epistolis S. Ignatii M. Verbi Divinitas probatur.

Propositio II. In Epistolis Ignatii Verbi divinitas apertissime traditur.

Testimonio apud Theologos notissimo ex Epist. ad Ephes. *Unus medicus est carnalis & spiritualis, factus & non factus, in carne Deus, in morte vita vera, &c.* alterum addo ex Epist. ad Magnesianos: *Non enim aliquid cœternum Patri, quod non est naturaliter ex ipso: ne etiam istud creaturis inesse dicamus, quod ineſt divinæ soli naturæ. Quamobrem, etsi Filius principium habet Patrem suum; tamen quatenus ex principio est, concurrentem cum ipso habens existentiam, non erit ei dissimilis substantia. Nam quia est ex principio, ideo consubstantialis principio. Porro quod est Patri consubstantiale, id adventitium non est in tempore, ne & Pater ipse talis reperiatur.* Non poterat evidentius & Verbi divinitas contra Arianos, & æternitas contra Socinianos affirmari.

12. Christophori Sandii contra S. Ignatium M. argumenta solvuntur.

Christophorus Sandius in Nucleo Hist. Eccl. lib. I. ut Ignatium Arianis accenseat octo profert argumenta, aranea omnia, & ex dictis præcedenti libro soluta. Sunt hæc, quod Christus in Epistolis

lis etiam Ignatianis dicatur Patri subjectus, missus à Patre, patris minister, & catera hujusmodi Scripturis congruentia, & à nobis superius explicata. Restat hoc unum: Ignatius comparat Patrem Episcopo, Filium autem Presbytero; quo exemplo utebantur quoque Ariani, ut constat ex Dialogo 1. Athanasii, seu potius Theodoreti, de Trinitate Orthodoxa. At exemplum in hoc sensu verum est, quod Filius habet divinitatis substantiam à Patre, quomodo Presbyter ab Episcopo Sacerdotii recipit characterem. Neque mirum est hæreticos abuti Sanctorum exemplis, dum etiam divinarum Scripturarum sensa detorquent.

At dices: In Epist. ad Smyrnæos inquit Ignatius, Christum esse Filium Dei *secundum voluntatem, & potentiam Dei.* Instantia.

Resp. dist. propositionem: Christus est Filius Dei *secundum voluntatem, & potentiam Patris*, quatenus voluntas & potentia sunt principium creaturarum; nego: prout Filius *voluntarie*, & non coacte genitus est, ac procedit à Patre non invito, atque infirmo, sed omnipotente & volente, conc. Quomodo autem Filius dici possit *voluntate* genitus, dictum est supra cap. 10. libri præcedentis. 13. Solutio.

CAPUT II.

Justini Fides contra Sandium, & Simonem Episcopium defenditur.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2 3. & 4 Probatur, S. Justinum divinitatem æterni Verbi & affirmâsse & credidisse.
à num. 5. usque ad 11. Solvuntur oppugnationes.

Suspicio Arianismi à S. Polycarpo ammovetur.

NON moror Polycarpum, quem in suspicionem Arianismi adducit Auctor Irenici. Nugæ sunt enim, quæ contra sanctissimum Martyrem afferuntur, scilicet, quod Patrem antonomastice *Deum* appellaverit, Filium vero *sempiternum Sacerdotem.* Nam & Pater *Deus* dicitur titulo quodam speciali, quoniam fons est, & origo divinitatis; & Filius *Sacerdos* est ratione humanitatis, & *sempiternus* propter divinam naturam. Egregiam autem Polycarpi fidem contestatur ejus ad Philippenses Epistola, & oratio, quam morti proximus protulit; de qua lib. H. E. IV. 5. Eusebius. Utrobique enim Patri, Filioque æqualem gloriam attribuit. Sed & Epistolarum ignatii assiduam commendavit lectionem; & discipulum habuit Irenæum, qui ex Apostolici viri antilogia vigentes ætate sua hæreses refutavit, ut ipsemet affirmat in Epistola ad Florinum. Quare & Ignatius Filii divinitatem docuit Polycarpum, & iste Irenæum.

1. Quid de S. Justino M. sentiendum.

Agendum est ergo de Justino Martyre præclarissimo, quem Cl. Petavius scribit in 1. de Trin. cap. 3. num. 2. putasse Filium *inferioris cujusdam conditionis, etiam antequam homo fieret;* novi autem Ariani in suas partes fidenter trahunt; & Episcopius lib. Theologicarum Institut. IV. ipsius auctoritate probare nititur, ei, qui supremam Filii divinitatem præfracte negaret, dicendum non esse *anathema.* Petavius tamen in Præf. ejusdem Operis cap. III. fatetur in scriptis Justini reperiri divinitatis Christi non leviter impressa vestigia: ideoque hac præfatione posterius edita priorem sententiam temperavit. Sunt vero germana Justini Scripta, unde causa dijudicanda est, duplex pro Christianis Apologia; quarum secunda, ut animadvertit Valesius, &fatentur omnes ferme eruditi, revera est prima: Dialogus habitus cum Tryphone; & nonnulla alia, quæ perierunt. Nam Orationem ad Græcos Paræneticam quamplures in dubium revocant, quod in ea Justinus non ex paganis, sed ex fidelibus se affirmet esse progenitum; atque scripta reliqua, quæ sub ejus nomine circumferuntur, supposita unanimiter censentur à Criticis.

2. S. Justinus Divinitatem æterni verbi affirmavit.

PROPOSITIO: S. Justinus liquido divinitatem æterni Verbi & affirmavit, & credidit.

Et quidem; in Apologia, quæ prima dicitur, Justinus tribuit disertissime Filio æternitatem: *Porro Filius ejus, inquit, qui solus proprie dicitur filius, Verbum simul cum illo ante creaturas existens & nascens, quoniam primitus per eum cuncta condidit, & ornavit.* Quæ verba jugulant hæresim nefariam Arii.

Arii. Si enim Verbum æternum est, universamque creaturam præcedit, non est profecto creatum. in dialogo autem cum Tryphone docet genitum esse à Patre ante creaturas omnes non per naturæ abscissionem, quomodo generatio humana contingit, sed ejusdem participatione naturæ, allata comparatione ignis, ex quo nullatenus imminuto alter accenditur. *Primitus*, inquit, *ante creaturas omnes Deum genuisse ex se Virtutem quamdam rationalem. . . non per resectionem, tanquam dispertita esset Patris essentia, prout alia omnia divisa & secta, &c.* In Apologia quoque, ut dicunt, secunda probat nos plurium Deorum expertes, quoniam non dæmones, ut cultores simulacrorum, sed unum Deum Patrem, & Filium ac Spiritum Sanctum adoramus. *Fatemur*, ait, *nos talium Deorum esse expertes, & atheos: sed non verissime illius Dei Patris videlicet justitiæ, & castitatis, & virtutum aliarum, & ab omnis vitii mixtione, & labe alieni, expertes; verum hunc ipsum, & qui ab eo venit, (atque nos ista, & aliorum famulantium, assimulatorumque bonorum angelorum exercitum docuit) Filium, & Spiritum Sanctum colimus, & adoramus.*

3. Defensio Bellarmini.

Hoc testimonio utitur Bellarminus ad probandum licitam esse adorationem Angelorum; eumque reprehendunt Sculletus, Bullus, & Clericus; quod validissimum contra Arianos argumentum penitus tollat; quippe si ex Christi adoratione ejus comprobatur divinitas, sequeretur etiam Angelos Deos esse. At inepta prorsus consecutio; de Filio enim inquit Justinus coli & adorari cum Patre, & Spiritu Sancto, & tamen nos esse *plurium divinitatum expertes;* quod non esset consequens, si Filius Deus esset ordinis inferioris à Patre. Contra Angeli dicuntur hoc loco *famuli*; ideoque adorantur quidem, sed non cum Patre, Filio, & Spiritu Sancto, id est *duliæ* cultu, non *latriæ*, qui est nota divinitatis. Quod pro defensione Bellarmini dictum sit. Credo tamen Justinum de Angelorum cultu minime istic fuisse locutum, contra quem sentit Bellarminus; & sensum obvium esse, nos unum Deum colere, cujus revelatione ac doctrina idololatriam, ac malorum angelorum superstitiosum cultum, & bonorum officia & magisterium didicimus. Quamquam enim Angeli religiose coluntur; Justinus disputat de unius Dei, ac trium divinarum Personarum adoratione: neque opus erat hic cultus angelici meminisse; neque Filio ac Spiritui Sancto famulantes prætulisse Angelos. Verum hæc obiter dicta sint.

4. Probatio.

Nunc ita ratiocinari præstat. Catholicorum sententia est, Verbum non esse productum, creatumque, sed æternum, & ante quaslibet creaturas à Patre nascens: genitum non paternæ abscissione substantiæ, sed ejusdem communicatione naturæ; eodem latriæ cultu esse cum Patre, ac Spiritu Sancto adorandum. Martyr Justinus hæc omnia liquadissime profitetur. Veram ergo tenet Catholicorum de Verbi divinitate sententiam.

5. Objectio 1. ex Petavio.

Opp. 1. Ex Petavio: Justinus in Dialogo cum Tryphone non semel appellat Filium Patre inferiorem, & Dei administrum, in secundo loco habendum, ac Potestatem post Parentem. Docet quoque Filium Moysi, ac Prophetis apparuisse, cum Deus invisibilis sit, hominumque subterfugiat intuitum. Vide tom II. de Theolog. Dogmat. cap. 3.

6. Responsio.

Resp. à Justino Filium dici inferiorem Patre, etiam priusquam naturam humanam assumeret, quoniam ab illo genitus est; inferiorem scilicet nomine, & ordine, ac propter rationem *Geniti*. Ita enim loquuntur cum Justino Alexander Præsul Alexandriæ, qui primus in Arium insurrexit, PP. Sardicenses in Epist. Synodica, Athanasius libro contra Arianos 2. aliique plurimi apud Petavium ipsum lib. II. cap. 2. num. 2. & 3. Filius autem solus dicitur à Justino in Lege veteri apparuisse, non quod is naturam invisibilem, & incircumscriptam non habeat, qualis in Patre est, sed quia ad ipsum pertinebat legis dispensatio, hominumque redemptio: quare ipse, & nunquam Pater, visibilem formam induit, in qua se redderet aspectabilem. Enimvero illum, qui olim apparuit, Deum verum fuisse in eodem Dialogo Justinus demonstrat ex Scripturis; quas expendimus præcedenti libro cap. VIII. ad 3.

7. Objectio 2.

Opp. 2. cum Sandio: Justinus in Quæst. & RR. ad Græcos docet genitum, & conditum non differre: & in Eversione dogmatum Arist. ait, *fuisse aliquando cum non fuerit id, quod genitum est.* Est illud Arianæ perfidiæ repetitum proloquium. Adde comparationes ex igne, & humano verbo deductas, quibus Filii declarat generationem, Arianorum explicandæ blasphemiæ percommodas.

8. Solutio.

Resp. Spreta conscientia id objicere Sandium: quandoquidem Justino utrique liber supponitur, etiam auctore ipsomet Sandio. Nam primum, cum data opera Manichæorum impugnet hæresim & Manetis mentionem faciat plusquam

quam sæculo posterioris, jure Sylburgius, Possevinus, N. Alexander, & Rivetus quoque cum aliis Criticis spurium habent. Alter vero, qui inscribitur, *Aristotelicorum quorumdam dogmatum eversio*, nequit esse, quem Justinum scripsisse testatur Photius in Bibliotheca: nam hic primum duntaxat & secundum librum Physices oppugnabat; & ille multo prolixior usque ad VIII. Physicorum persequitur. Quamobrem falluntur, qui hujus animadversionibus tam hostiliter in Aristotelis Philosophiam debacchantur. Sed gratis utroque recepto, de mundo accipienda sunt loca, quæ objiciuntur; nam Græci proprietate sermonis promiscue dicitur mundus γενητὸς, καὶ σημιεργητὸς, *genitus, & factus.* Præfatis denique exemplis ostenditur Verbi generationem spiritualem esse, neque illa substantiam imminui paternam: quod iisdem symbolis præstitit etiam Athanasius in lib. de Decretis Nic. pag. 410. & S. P. Aug. Tract. XIV. in Joan.

9. Objectio 3. Oppones ultimo cum Episcopio. Inquit Justinus in Dialogo cum Tryphone probari ex scripturis Jesum Nazarænum esse Christum Dei, idque certa fide tenendum esse, tametsi non constaret hunc esse Deum conditorem universitatis. Non ergo credidit Justinus divinitatem Verbi adeo certam esse, ut sit articulus Fidei, qualis est Redemptoris adventus.

10. Solutio Resp. Justinum in hoc Dialogo pluribus argumentis Verbi præexistentiam, ac divinitatem probare, deinde ejusdem Verbi Incarnationem. Quoniam vero Trypho, qui hanc negabat dicens nondum advenisse Messiam, respondit esse prorsus incredibile, quod nascatur in tempore Verbum æternum, & ante sæcula genitum; Justinus recte instat, frustra à Judæis denegari hac de causa adventum Messiæ; quia ipsi non credunt futurum esse ipsum Deum, sed purum hominem. Quapropter in hac Hebræorum hypothesi, etiamsi falsa esset, nec satis demonstraretur Verbi divinitas; constaret tamen ex impletis Prophetarum oraculis jam Christum venisse. Itaque distinguo ant. Et Justinus arguit in falsa Tryphonis hypothesi, conc. Absolute negat Verbum ante Incarnationem extitisse, nego. Imo id luculentissime probat, & asserit se non assentiri quibusdam illius ætatis hæreticis, genere quidem Christianis, dogmate autem Judæis: *Sunt enim*, inquit, *nonnulli ex genere nostro (Ebionitæ) confitentes ipsum esse Christum, sed hominem ex hominibus genitum esse affirmant, quibus ego minime assentior.*

11. Instantia Zuikeri solvitur. Zuikerus reponit Justinum Platonicæ Philosophiæ rudimentis fuisse deceptum, nec prorsus ab eo Gentilismi obliteratam esse memoriam. Verum cum in citato Dialago Justinus Platonicis, Ethnicisque omnibus præferat Prophetas & Christi amicos, suamque, priusquam divinis imbueretur, scientiam fateatur fuisse stultitiam, nec non in suis Apologiis plurium Deorum cultum invictissimis argumentis insectetur; non immerito Georgius Bullus Anglicanus circa finem libri de necessitate credendi in Verbi divinitatem, Zuikeri causas *ab infelici ingenio* asserit *excogitatas.*

CAPUT III.

De Athenagoræ Philosophi præstantissimi ad M. A. Antoninum, & L. A. Commodum pro Christianis Apologia.

SUMMARIUM.

1. Ostenditur Athenagoram nec Arianis, nec Sabellianis Faviſſe. 2. 3. & 3. Solvuntur objectiones.

De Athenagoræ Apologia. CELEBERRIMAM Athenagoræ Apologiam, quam cum Pagio in Præfat. hujus Libri scriptam diximus anno 166, Labbeus vero editam censet inter annum 165. & 170. & Baronius tantummodo 179. in qua acerrimi vir ingenii trium flagitiorum de Religione Christiana dispellit rumorem, Atheismi, cœnæ Thyestææ, & Oedipodei, id est, de abdicato Deorum cultu, de carnis humanæ esu, & de promiscuo incestus concubitu; Apologiam, inquam, illam Epiphanius, Methodius, & in Codice CCXXIV. Photius commemorant; neque sanæ mentis est homo, qui censeat adulterinam. Hanc ergo, cum vir quidam eruditus à Sabelliano dogmate haud multum existimet abhorrere, neque asserere Verbum Patri coæternum, ejusdemque substantiæ; operæ pretium est, ut

ut ab immanium hæresum suspicione abstergamus.

I. Athenagoras nec favit Arianis, nec Sabellianis. Probatio.

Propositio: Nec Arianis favit, nec Sabellianis Athenagoras.

Qui enim Filii substantiam non productam è nihilo, sed à substantia Patris progressam contendit, & utriusque hypostasim credidit esse distinctam, non Arianis, non Sabellianis, sed Catholicis dicendus est consentire. Athenagoras tradidit progressum Filii è Patris substantia, & utriusque distinctam hypostasim. Ergo Athenagoras nec Sabellianis consentit, nec Arianis. Probatur prima pars. I. Athenagoras docet Patrem & Filium esse unum, Filium esse mentem & Verbum Patris, mentem Verbumque ipsum Deum. *Filius Dei*, inquit, *& Verbum Patris in idea & efficacia: ab ipso enim, & per ipsum facta sunt omnia, cum Pater & Filius unum sint, ita ut Filius sit in Patre, & Pater in Filio per unionem, & potentiam Spiritus, siquidem mens & Verbum Dei Filius Dei est. Primigenia hic est Patris progenies, quæ non ut facta, à principio enim Deus, qui est mens æterna, ipse in seipso logon, hoc est Verbum & rationem habet, cum rationalis ipse æternum sit, sed ut rerum cunctarum idem & perfectio foret, progressa est.* Ubi asserit Verbum genitum à Patre ab æterno, quia ab æterno Pater ratione præditus est: esse essentia à Patre indistinctum, quoniam Deus Pater essentialiter est mens æterna habens in se rationem ac Verbum: esse demum creaturarum omnium causam effectricem. Demonstrat quoque arctissimam divinarum personarum conjunctionem, qua una in alia existit κατ' ἐμπεριχώρησιν *per incircumsessionem.* II. Deinde Athenagoras à se Atheismi calumniam pellit, quod Christiani unum Deum in Trinitate consistentem agnoscant, ait enim: *Quis igitur non miretur, cum audiat, nos qui Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium, & Spiritum Sanctum, eorum in unitate virtutem, & in ordine distinctionem explicantes Atheos vocari?* Altera pars sequitur ex dictis: quandoquidem Athenagoras tradit Filium esse genitum & progressum à Patre, & ordine ac relatione unum ab alio distingui; ideoque Filio tribuit propriam ac peculiarem hypostasim. Hanc vero negant Sabelliani, à quorum consequenter errore toto cœlo distat eloquentissimus Apologista.

2. Objectio.

Objicies cum Petavio: Docuit Athenagoras prius fuisse substantiam Filii in Deo Patre, quam per generationem propriam haberet hypostasim. Ergo neque æternum Filium crediderit, neque saltem aliquando, à Patris personalitate distinctum. Rursus affirmat Filium fuisse ab æterno Patris rationem ac mentem. At Patris ratio nullo pacto ab ipso distinguitur. Non ergo credidit Athenagoras Verbum, æternamque Personam diversam à Patre.

3. Solutio.

Resp. dist. ant. fuit substantia Filii in Deo Patre priusquam peculiarem haberet hypostasim, ratione originis, & ordinis, conc. prioritate temporis, ac dependentiæ nego. Etiam Alexander Episcopus Alexandriæ, fatente ipso Ario in Epist. ad Eusebium Nicomediensem, docet essentiam Filii semper fuisse apud Patrem, etiam antequam per generationem acciperet propriam hypostasim. Ergone Ario, & Sabellio consentit? Imo è diametro pugnat cum Arianis, qui dicebant Verbum esse creatum & productum ex nihilo. At minime, inquiunt Patres, creatum est, minime è nihilo factum; cum genitum sit, atque ex ipsa substantia Patris; qui, cum sit Genitor, ordine tantum & relatione Filium præcedit; sed non causalitate, non tempore: *quoniam* (verba sunt Athenagoræ) *ab æterno Pater est rationalis*, ergo ab eterno λόγον, & Verbum habet: ab æterno à Patre progressa est idea & perfectio cunctarum rerum; ergo hæc idea, hæc ratio, hoc Verbum, hæc primigenia Patris potentia à Patre hypostasi, & ordine erat distincta. At, inquis, Pater est sua ratio, sua mens, sua idea. Non moror istiusmodi sophismata præcedenti libro satis contrita: Est Deus Pater suamet ratio ac sapientia, acceptis his vocabulis *substantialiter*, concedo: *notionaliter*, nego.

Dices: Ait Athenagoras Verbum esse in efficacia, & prodiisse, cum mundus ex nihilo eductus est.

4. Instantia cum solutione.

Resp. id verum esse absque præjudicio sempiternæ generationis, quoniam per Verbum res omnes effectæ sunt, & in earum productione apparuit Dei sapientia ac potentia: sed tamen Filius Patris mens, Verbum, & ratio est; & à principio Deus, qui est mens æterna, in se ipso Verbum, & rationem habebat.

CA-

CAPUT IV.

De Irenæo Lugdunensium Episcopo.

SUMMARIUM.

1. Præmittitur Notandum historicum.
2. Asseritur S. Martyrem Irenæum Verbi propugnâsse divinitatem.
3. 4. & 5. Diluuntur contraria.

1. Quid de S. M. Irenæo sentiendum.

SCRIPSIT Irenæus Asianus genere, & in Episcopatu Lugdunensi Pothini successor quinque adversus hæreses libros; in quibus Arianismi semina putant Sociniani se certo deprehendere. Sed Irenæi vindicias doctissimi viri prosecuti sunt, inter quos Bullus in Defens. Fid. Nic. sect. 2. cap. 5. §. 8. Nicolaus Le Nourry in App. ad Biblioth. VV. PP. diss. VI. cap. 6. & Renatus Massuet diss. 3. art. 5. in editione à se ipso exornata: in qua Irenæi doctrinam, ob egregiam nostrorum dogmatum defensionem, fraudulenter corruptam immerito Ernestus Grabius conqueritur. Nam Massuetus ad vetustissimos Codices Mss. undique summa diligentia petitos scripta Irenæi castigavit. Sed editione hac missa; negare nequaquam possunt Sòciniani traditam ab Irenæo æternam Verbi existentiam lib. II. cap. xxx. num. 9. his verbis: *Semper autem coexistens Filius Patri*; & lib. IV. cap. xx. num. 3. *Filius semper cum Patre erat*; & cap. XIII. num. 4. in explicatione illius textus, quem obtorto collo pervertunt, *Antequam Abraham fieret, Ego sum.* Utrum vero cum Verbi præexistentia Irenæus etiam illius divinitatem, & quidem summam ac supremam agnoverit, inquirendum est modo.

2. S. M. Irenæus defendit Verbi Divinitatem.

PROPOSITIO: S. Martyr Irenæus Verbi propugnat divinitatem.

Argumenta hujus propositionis sunt. I. Quomodo Irenæus veram, propriamque fatetur in Christo naturam humanam, ita profitetur Divinam: At nemo dixerit per Irenæum Christum non esse verum hominem: Nullus ergo debet opinari, per Irenæum Christum non esse verum Deum. Constat maj. ex lib. III. cap. 21. ubi ait: *Est autem ipse proprie Deus, & Dominus.* Atque lib. IV. cap. 14. *Ab omnibus accipiens testimonium quoniam vere homo, & quoniam vere Deus est.* II. Docet Irenæus hominem peccando legem veri ac summi Dei transgredi: Docet insuper illum, in quem peccant homines, esse Christum: Igitur docet Christum esse verum ac summum Deum. *Ille, in quem peccavimus, donavit remissionem:* ait lib. V. cap. 4. demonstrans J. Christi divinitatem ex historia Paralytici, cui dixit Dominus, *Remittuntur tibi peccata.* III. Juxta doctrinam Irenæi Filius apparuit Moysi, Filius dedit legis dispositionem, Filius Patres convocavit, & Filius est, quem sacræ literæ appellant Deum, Dominumque: sed, auctore Irenæo, nemo alius apparuit Moysi, nemo alius legem dedit, elegitque Patriarchas, nisi Deus supremus & unus, præter quem non est alius Deus: Ergo juxta Irenæum Filius est Deus ille unus, verus, ac summus. *Cum declaratum sit*, inquit lib. III. cap. XV. num 3. *quoniam neminem alium Deum vocaverunt, nisi solum verum Deum Patrem, & Verbum ejus, qui in omnibus principatum habet: manifeste est ostensum Factorem cæli & terræ, qui locutus sit cum Moyse, & legis dispositionem ei dederit, qui convocaverit Patres, Dominum Deum confiteri eos, & alterum neminem nosse.* Quod argumentum invictissimum mihi videtur, si præsertim attendatur evertere Irenæum exitiosissimum dogma hæteticorum, qui à summo Deo *Demiurgon*, id est, rerum adspectabilium Conditorem comminiscebantur esse diversum. Vide cap. 6. ejusdem libri, & eruditas Massuetii animadversiones citato loco num. 54.

3. Objectio.

Oppones: Irenæus plura affirmat, quæ cum Verbi divinitate pugnare videntur. Ac primo lib III. cap. 8. Patrem solum Deum ait appellari. Deinde ait Verbo suo præcepisse ut mundum conderet: quod est summo Deo Filium, veluti famulum subjicere. Præterea lib. II. cap. 27. num. 6. & lib. IV. cap. 17. Christo diei judicii ignorantiam attribuit, propter quam minorem esse Patre declarat. His ergo prodit Irenæus suam haud ingenuam fuisse fidem.

4. Solutio.

Resp. Falsum esse ant. Siquidem in lib. III. cap. 8. eos, ut diximus, perstringit, qui mundi Creatorem alium esse à Deo summo autumabant: ibidem ait, Patrem cum Verbo suo juste Deum appellari; & paullo ante docuerat neminem alium esse Deum, nisi qui Moysi apparuit, & legis dedit dispensationem,

& qui Deus in sacris literis nominatur. Ergo dum Patrem solum Deum esse pronunciat, non Filium excludit, sed *Demiurgon*, quem Gnostici Mundi Conditorem esse credebant, aliaque profana numina Gentilitatis. Quare eodem modo explicandus est Irenæus, quo exponitur Apostolica sententia Joan. 1. cap. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum:* de qua supra. Est enim Irenæus sui ipsius disertus Interpres eodem libro cap. xv. num. 3. Præceptum autem, ac mandatum creandi mundum, quod Pater dedit Filio idem est, ac ipsum Verbum & Filius Patris, qui natus, & genitus est paterna virtus ac potentia: non enim Pater loqui potest, aut præcipere, nisi per Verbum substantialiter à se indistinctum; alias præciperet & loqueretur adinstar creaturarum, ut subtili disputatione demonstrat S. P. Aug. in Primo de Trinitate cap. 12. Hinc etiam Patres, qui post Nicænam Synodum floruerunt, interdum scripsere Filium Dei Patris obtemperare præcepto; nam gignere Filium, qui Divinæ communicatione naturæ est Verbum & jussio Patris, *præcipere* dicitur more nostro. Usurpant hanc loquendi rationem Basilius lib. de Sp. Sancto cap. 16. Athan. contra Gentes, Cyrillus lib. 29. Thesaurorum, aliique. A quorum sententia non recedere Irenæum tum ex dictis constat, tum ex ejus scopo. Scribit enim citato loco adversus Gnosticos, qui mundum hunc adspectabilem conditum ab inferioribus Angelis blasphemabant. Ea erit ergo Irenæi mens, Opificem mundi non fuisse Creaturam aliquam, sed Verbum illud, qui generatione sua Patris *Vox* est, ac *præceptum.*

De ignoratione diei ultimæ dixi lib. VII. cap. XII. ad 2. nec est, cur fiam in tam prolixa de Trinit. disputatione etiam rerum repetitione molestior. Quantum ad præsens attinet, Bullus respondet Irenæum de Christo ut homine fuisse locutum: & arridet plurimum hæc responsio cæteris Protestantibus. Videtur tamen periculosa nisi caute explicetur, cum in Christo fuerit omnis plenitudo scientiæ, in eoque, etiam, ut homine, inhabitaverint Divinæ sapientiæ thesauri. Videtur ergo Patri Massuet, ea loquendi ratione castigari ab Irenæo impudentiam Gnosticorum, qui omnium mysteriorum altitudinem se investigare jactabant: ideoque ad illorum frangendam audaciam docere neque Filium diem judicii noviſse, nisi quatenus habet à Patre cum participatione substantiæ plenitudinem sapientiæ; & neminem sibi debere tantam arrogare scientiam, quantam sibi inanis gloriæ captatores audacissime tribuebant. Quæ responsio & vera est, & scopo Irenæi valde conformis: neque video cur displiceat Clerico in Historia priorum sæculorum ad annum c. LXXX. num. XIX. Possumus tamen & Bulli, & Massuetii responsionem sic una temperare, ut dicamus Christum ignorasse diem extremam, ut hominem; non quod humanitas Christi arcanorum cognitione fuerit destituta; sed quoniam horum cognitio non proficiscitur ex nativa vi humanitatis, qua Filius minor est Patre, sed ex divinitatis natura, quæ in Patre & Filio una est. Hæc autem responsio & salvat in Christo, ut homine, plenitudinem sapientiæ, & diversas veterum sententias conciliat, & ab Irenæi scopo non videtur esse aliena

5. Solutio ulterior.

CAPUT V.

Contra Joannem Clericum, aliosque Impostores S. Clemens Alexandrinus ab Arianismi nota purgatur.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. Propugnatur, injuste Clementem Alexandrinum insimulari ùt Arianum. à num. 3. Usque ad 7. Enervantur oppugnationes.

1. Quid de S. Clemente Alex. sentiendum.

QUERITUR Clericus gravem à Caveo illatam sibi injuriam, violatamque æquitatem, quod in dissertatione de Eusebii Cæsariensis Arianismo eum censura ista inurat, inexploratum esse, utrum cum nostri temporis Arianis, vel Photinianis faciat ipse Clericus. Querelam vero, sive justam, sive injustam, in Epistola prima Critica repellens, primo pag. 3. carpit Pontificios Scriptores, à quibus nihil æqui soleant impetrare, quicunque

ab

ab eorum receſſerunt communione. Deinde, ut Caveum elegantiam quidem ſermonis, at non candidam veritatis expoſitionem ſervaſſe liquido, ut credit, oſtendat; à Clemente Alexandrino orationem orditur, quem Caveus ab Arianiſmo nititur excuſare. In hac autem parte certe judicium Clerici in Pontificios Scriptores iniquiſſimum eſt; nam etiamſi aut Clemens, aut Euſebius à partibus ſtetiſſent Arianorum, quod de illo ſaltem falſum eſſe arbitramur, non poſſet ſola horum auctoritas Apoſtolicam traditionem evertere: neque hæc de Clementis, & Euſebii Arianiſmo controverſia talis eſt, qua Eccleſiæ Romanæ dogmata quo quomodo perſtringantur. Etenim Guilelmus Caveus Pontificius Scriptor non eſt: & ex adverſo in Clemente Arianiſmum olfacere doctiſſimum Petavium, vidit Clerius ipſe n. III. ejusdem Epiſtolæ. Alii inſuper Pontificii Clementem aliqua incaute, & contra fidem hiſtoriæ fatentur ſcripſiſſe, atque in tanta omnigenæ eruditionis copia aliquando, quod etiam accuratiſſimis contingit, erraſſe; ut de annis prædicationis Chriſti, de incontinentia angelorum, nævisque iſtiusmodi, quibus nequit fides labefactari. Non video itaque, cur Clericus querelas ingeminet, Pontificios avide amplecti, non quid verum & æquum ſit, ſed quidquid ad eorum auctoritatem amplificandam exiſtimant poſſe conducere; idque ſcribit in Epiſtola, in qua agit cauſam Clementis, qui etiam inter Proteſtantes patronos plurimos habet. Ego quidem Divina gratia Pontificius & Orthodoxus tali non mihi videor ingenio: neque invidia in hæreticos, ſed imperitia, ingeniique parvitate quamfrequenter erravero. At de Clerici in Pontificios Scriptores querimonia jam ſatis: nunc de Clementis Arianiſmo.

2. S. Clemens Alex. non fuit Arianus. Probatur.

Propositio: Injuſte Clemens Alexandrinus inſimulatur ut Arianus.

Scripta Clementis, quæ etiamnum extant, ſunt Adhortatio ad Gentes, tres libri Pædagogi, & Stromatum octo, de quibus, inquit Bellarm. de Script. Eccl. nulla eſt dubitatio; quamquam de Octavo non id firmiſſime pronunciaverim. Ex his eligam ad Theſis probationem perpauca. I. In Adhortat. ad Gentes de Verbo ait: *Quod revera eſt Deus manifeſtiſſimus, fons vivificus, & pacificus, qui per univerſam terræ faciem diffunditur, per quem effecta ſunt omnia, &c.* II. In I. Pædagogi cap. 2. declarat idcirco Filium Dei eſſe *Pædagogum*, id eſt, veritatis magiſtrum, ac puerorum, qui ſumus nos ipſi, Doctorem & Inſtitutorem, quod *in eum duntaxat nullum omnino cadere poteſt peccatum, ac eſt animo impatibilis, nullique affinis reprehenſioni.* Atqui illico addit, unius ſupremi Dei eſſe *nullo modo peccare penitus;* cum ſit id optimum, nullique rei creatæ poſſit attribui. Ergo Clemens credidit *Pædagogum* noſtrum impeccabilem & impatibilem Deum ſummum eſſe. III. Stromateon VII. probat Chriſtum eſſe Dominum univerſorum, primo quoniam is omnium curam gerere debet, in quem neque imbecillitas, neque invidentia cadere poſſit. Tum quia ipſe ſine principio genitus eſt, adeoque impatibilis. Tertio, quod ignorare nequeat quomodo gerenda eſt cura univerſorum, eoquod Ignoratio Deum non tangat, & ipſe ſit poteſtas ac ſapientia Patris, Verbumque ipſius maxime principale. Quarto quia Verbum iſtud eſt unum principium, à quo creata cuncta dependent, ſummum bonum per ſe amabile, quod ad ſui contemplationem quemque allicit, adducitque. Hæc vero è longiori Clementis oratione in epitomen à me redacta non poterant de ſumma Filii divinitate proferri magnificentius. Poſtremo addam argumentum, licet negativum, non omnino ſpernendum; nunquam Arium ipſius Alexandrinæ urbis germen veneficum, neque alium quempiam Arianorum è ſcriptis Clementis verbum vel minimum protuliſſe: quod non ſolum conſtat ex Rufino in Apologia Origenis, ſed etiam ex Patribus ſingulis, qui in refellendis hæreticorum illorum argumentis verſati ſunt.

Objicit Clericus citata Epiſt. judicium Photii parum Clementi honorificum, quo Cod. CIX. Biblioth. notans errores librorum, qui Hypotypoſes inſcribebantur, ſecundo loco iſtum cenſet: *Filium etiam ad creaturæ ſortem deprimit.* 3. Objectio.

Verum demonſtrandum eſt Clerico libros Hypotypoſeon eſſe genuinos, neque fuiſſe falſatos: quod nos evincimus ex ipſomet Photio. Etenim eodem Cod. inquit: *Alia id genus ſexcenta blaſphema voce nugatur, ſive ipſe, ſive quis alius ejus perſonam indutus.* Deinde Cod. CX. de libris Pædagogi, ait: *Stolidis illis, ac blaſphemis opinionibus omnino vacat.* Et Cod. CXI. in libro VIII. Stromateon, ſive Clementis ſit, ſive ex aliis libris collectus, *multa*, inquit, *quæ ibi* (in libris Hypotypoſeon) *dicta fuerunt, oppugnat.* Quare judice Photio fabuloſi ſermones, in quos Hypotypoſeon Auctor dilabitur, non ſunt fortaſſe Clementis, 4. Solutio.

& si illic in nonnullis haud recte dicere videtur incertus Scriptor, Clemens in genuinis operibus stolidis opinionibus vacat, & Hypotyposeon Blasphemias condemnat. Addendum quod in Apologia pro Origene innuit Rufinus, fuisse Clementis plura ab Arianis interpolata.

5. Instantia. At inquit Clericus: Sententiam traditam in libris Hypotyposeon, & quam postea defendit Arius, redolent etiam nonnulla loca, quæ in Stromatum opere leguntur. Sic libro v. Sapientiam, quæ omnia permeat, ait esse *primum à Deo creatam.* Libro vero VII. sic describit Filii substantiam: *Filii natura, quæ est soli omnipotenti propinquissima.* Illa autem propinquitas naturæ diversitatem saltem numericam indicare videtur. Fere eadem Petavius lib. II. de Trinit. cap. IV. num. I.

6. Responsio. Resp. ad I. Nisi Arianorum fraude πρωτότοκος *primogenitus*, in πρωτόκτιςον, *primo conditum*, fuit commutatum, Clemens unum usurpat pro altero, quod non est apud veteres inusitatum, licet revera Græci sermonis proprietate *creare* magis consignificet quod *conditum* est, quam *genitum*, & quod ex producentis oritur substantia. Vel de Sapientia accipiendus est, quatenus à principio in rerum creatione ad hominum captum descendit; quo sensu dici *primogenitam* creaturarum notat in Orat. 3. contra Arianos Athanasius. Hinc Clemens Sapientiam appellat *quæ omnia permeat*, egregiam nempe creaturarum connexionem, & productionem. Neque aliter sentire potuit qui eodem libro demonstrat unum esse principium omnium, ingenitum, & improductum, *de quo illa vera profluxit opinio, nempe, Audi Israel: Dominus Deus tuus unus est.* Ac subinde illud unicum universitatis principium affirmat esse Patrem simul & Filium. Hunc vero nominat *ingenitum*, & infra, *genitum absque principio*, quatenus non est ab alio principio creatus, ut rectissime animadvertit Hervetus. Ac priorem nodum ita solvimus. Secundus facile expedietur, si dicamus, naturam Filii propinquissimam esse Patri, quoniam in utroque est eadem, & una. Priusquam enim Alexandriæ tanquam dæmonium meridianum Arius nascereretur, Patres innocenter quædam & minus caute locuti sunt, quæ non possint perversorum hominum declinare calumniam; ut docet in 2. adversus Rufinum Apologia S. Hieronymus. Porro hunc esse Clementis sensum ex eodem loco probatur. Mox enim honorifice de Filio scribit: *Dei Filius non divisus, non dissectus, non migrans è loco in locum, sed ubique semper existens, nec ullo modo circumscriptus, totus oculus, omnia videns, omnia audiens, omnia sciens, potestates potestate perscrutans &c.* Vidit hæc eruditus Petavius, & ait putasse Clementem Filium diversæ à Patre naturæ, sed excellentis & supremo Deo proximæ. At nonne appellat istic Filium immensum, infinitum, omnipotentem, ac Dominum universorum? An non sunt hi supremi Numinis characteres? Sed nutat Petavius hoc loco: & nonnulla deinceps affert ex Clemente summæ Christi divinitatis apertissima testimonia, uti quod habetur in primo Pædagogi cap. 9. *Universorum Deum unum esse, solum, bonum, justum; opificem, Filium in Patre.*

7. Cautela. Sunt qui argumento respondent cum Juenin Tom. 3. p. 54. vocem *naturam* ibi à Clemente sumi pro Persona; idque mirum non esse, cum vox græca οὐσία eo in sensu nonnunquam ab aliis sumpta sit. Quod non improbo; tametsi non habetur hoc loco οὐσίας vocabulum, sed φύσεος: & utrumque perraro accipiatur apud veteres pro *hypostasi.*

CAPUT VI.

Origenem Adamantium à nota Arianismi vix posse excusari.

SUMMARIUM.

1. Probatur, Originem à Labe arianismi vix esse excusabilem. à num. 2. usque ad 9. Refutantur defensores Origenis.

Quid de Origene sentiendum. LIBER hic Apologeticus non debet in defensionem Origenis contra conscientiam excurrere; neque tenemur ab homine, cujus scripta Sanctissimi Antistites, & Alexandrina, nec non quinta Generalis Synodus rejecerunt, nævos omnes abstergere, atque lavare, ut inquiunt Aethiopem. Habet ille alios Apologistas, Eusebium Pamphili, Joannem Picum Mirandulanum, Sixtum Senensem, Jacobum Merelinum, Genebrardum, Petrum Halloixium, & non infimi

infimi subsellii Theologos, qui ætate nostra de Trinitate scripserunt: quorum auctoritate ac doctrina poterit quisque in partes Origenis decertare. Me vero amor veritatis in oppositas facilius trahit; etsi compertum habeo strenuissimos esse, qui pro Origene pugnant. Non sunt tamen sive numero, sive eruditione cum Adversariis, quos sequimur, comparandi: quorum solo nomine recitato, magnum accedit nobis veritatis præsidium. Sunt hi Theophilus Alexandrinus, Anastasius Papa, Hieronymus, Epiphanius, Augustinus, Justinianus Imperator, & præter Theologorum maximam multitudinem, viri de Ecclesiastica Historia, & Patrum dogmatibus optime meriti Petavius libro 1. de Trinit. cap. IV. Daniel Huetius in Origenianis lib. 2. Norisius in dissert. de v. Syn. cap. 2. Natalis Alexander dissert. XVI. §. 2. sæculi tertii, &c.

1. Origenes non est immunis à labe Arianismi.

PROPOSITIO: Origenes à labe Arianismi nequit omnino purgari.

Probatur.

Ac primo: Cum à libris Origenis plura absurda prorsus & impia fuerint resecta, quomodo à se factum fatetur in in Præfat. Periarchon Rufinus ipse Assecla Origenis pertinacissimus; æquum est ex antiquorum potius testimonio, quam ex monimentis assutis ferre de ejus opinione judicium. At antiquiores Patres Origenem pessime de Trinitate sensisse affirmant. Id ergo erit de sententia Origenis existimandum. Minor probatur ex Hieronymo, qui in Epist. ad Avitum loquens de Nicænis PP. ait: *Origenem fontem Arii percusserunt.* Ex Epiphanio, qui ad Joann. Jerosolymit. scribit: *Arii patrem Origenem, & aliarum hæreseon radicem & parentem laudare non debemus.* Ex Aug. in lib. de Hæresib. cap. 43. vet. edit, ubi testatur ab Origene creaturas constitui Filium & Spiritum Sanctum, & præterea illum asserere, *quod Filius Dei sanctis hominibus comparatus veritas sit; Patri collatus mendacium: & quantum distant Apostoli Christo, tantum Filius Patri.* Ex piissimo, doctissimoque Imperatore Justiniano, cujus in Epist ad Mennam hæc sunt verba: *Ante omnia in ipsam sanctam & consubstantialem Trinitatem blasphemias ausus est dicere, Patrem majorem esse Filio, Filium Spiritu Sancto, Spiritum Sanctum aliis spiritibus. Porro hoc ad impietatem suam addidit, ut diceret non posse Filium Patrem videre, nec Spiritum Sanctum Filium: ipsum Filium, & Spiritum Sanctum creaturas esse, &c.* De qua Justiniani sententia lege quæ adversus Halloixium profert cit. loco Norisius.

2. Defensio Origenis.

Defensores Origenis respondent I. alios Patres ipsum tanquam Orthodoxum commendare II. Hieronymum & Epiphanium libris Origenianis malevolorum arte corruptis fuisse deceptos. III. Origenem Apostolica doctrina à Clemente Alexandrino, & Ammonio imbutum fuisse, eamdemque esse causam discipuli ac Magistrorum. IV. Produci testimonia Origenis contra Arianos à D. Athanasio in libro de Decret. Nicænæ Synodi. V. Ex ejus libris, non ex Patrum testimoniis hominem pingendum esse.

3. Refutatio defensionis Origenis.

Sed hæc omnia minime Origenianam causam reddere possunt meliorem. Nam prima responsio impugnatur ab Augustino in eodem loco his verbis: *Defensores ejus dicunt, Origenem Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum unius, ejusdemque substantiæ docuisse: sed qui ejus plura legerunt, contradicunt.* Præterea nemo unquam in Origenis lectione versatus fuit, ut Hieronymus, qui & plura latine reddidit ex græcis Origenianis, & de ipsius mente cum Rufino gravissimum iniit certamen, ac tantam hac in re servavit æquitatem, ut Ecclesia approbet libros Origenis quos Hieronymus approbat, rejiciatque quotquot ille rejicit. Ad hæc, Rufinus ipse fatetur à se quædam absurda de Trinitate à libris Periarchon resecta: quare impuri sunt & cænosi Origeniani fontes, ipsorum Apologistarum confessione. Neque altera responsio melior est. Etenim Origenem dum adhuc viveret damnavit hæresis Demetrius Alexandrinus Antistes, & in ejus damnationem consensit urbs Roma. Damnatum ab antiquis Patribus, & ab Heracla expulsum testatur Theophilus, imo integra Synodus Alexandrina: ideoque in eo blasphema dogmata apparuerunt, nondum assutis laciniis. Adulteratos quoque non fuisse libros Origenis, demonstrat Hieronymus libro 2. Apolog. contra Rufinum cap. 4. & 5. Constat insuper libros Periarchon temere à Rufino interpolatos Catholicis dogmatibus substitutis, & è contra translatos à Hieronymo, qui magno literariæ Reipublicæ detrimento perierunt, fuisse officinam errorum, fuisse officinam errorum. Quapropter interpolatio librorum Origenis ab Asseclis ejus, non ab Adversariis peracta est, & potius emendata ejus scripta censenda sunt, quàm conspurcata. Hujus generis est responsio tertia; nam & hæreticorum complures audierunt Patres inculpatæ doctrinæ; & Origenes adolescentulus evectus

evectus ad Cathedras fervidissimo indulgens ingenio Majorum monitis Platonicorum prætulit rudimenta. Ad IV. vero, missa Huetii animadversione parum Athanasio honorifica, dico Origenem affirmasse Filium quidem esse ex substantia Patris genitum, ut observat Epiphanius, gradus tamen in Trinitate excogitasse, docens Filium esse veluti effluvium divinitatis, coexistens Patri ab æterno, ab eoque tanquam splendor à sole promanans; ita ut Pater sit lumen incomprehensibile, Filius vero splendor perpetuus, sed qui sub oculos cadat; illum Deum substantia, hunc vero participatione dundaxat: quam fuisse sententiam Platonis demonstrat in lib. 4. contra Julianum Cyrillus; teneri autem ab Origene affirmat in Epist. ad Avitum Hieronymus, ac manifeste, ni fallor, probat in Origenianis idem Huetius. Hæc quamquam falsa sunt, probant ex principiis Arianorum Verbum esse Patri consubstantiale, licet id non consequatur ex principiis Origenis. Eccur? Negabant Ariani Verbi consubstantialitatem, propterea quod fuerit ex non extantibus, non è Patris substantia, sed ex nihilo procreatum. Quare Athanasius jure ac merito etiam Origenis auctoritate contra Arianos decertat: quippe fatetur Origenes Filium esse genitum, esse splendorem paternæ gloriæ, esse Patri coæternum: quamquam de hac postrema Filii dignitate hac subdola parenthesi loquitur: *Equidem audacter hoc etiam adjecerim.* Corruunt ergo ex Origene præcipua Arianorum machinamenta. Cæterum Verbum, uti genitum & coæternum, ita unum cum Patre substantia Origenem existimasse, neque verum est; neque ex verbis, quæ profert Athanasius, potest inferri.

4. Perfidia Origenis ex propriis monstratur scriptis.

Itaque contra postremam Responsionem Origenis perfidiam etiam ex ejus scriptis demonstro. Tom. 2. in Joannem scribit, unum esse verum Deum, & hunc in sacris literis intelligendum, quotiescunque ὁ Θεὸς cum articulo ponitur; cum autem legitur sine articulo, significari Dei Filium, & cæteros, qui sunt Dii tantum participatione. Item docet eos, qui Dei Filium adorant medium tenere locum inter illos, qui Deum universorum habent, & alios, qui colunt solem, & lunam, omneque cæli ornamentum: unde manifestissime sequitur, non esse Filium Deum, ac Dominum universorum; quemadmodum Dii gentium non sunt cum Filio Dei æquiparandi. Hæc, aliaque plurima apud Natalem Alexandrum, & Huetium.

5. Defenditur Origenes ab adversariis.

Respondent Defensores Origenis, inter quos Tournely de Trinit. pag. 225. velle Origenem hoc unum, quod præfixo articulo designetur Patrem esse Personam distinctam à Filio, & fontem ac principium totius divinitatis; idque legenti Origenis textum patescere. Præmonuerat supra pag. 222. de Origenis mente ex libris contra Celsum, qui indubitati sunt, & malevolorum corruptelæ minus obnoxii, ferendum esse judicium. In his, quos ingenio per ætatem magis subacto limavit, illustria pro Fide Trinitatis inveniri testimonia. Hæc ex Bullo sect. 2. cap. IX.

6. Defensio Origenis tollitur.

At neque hæc absolvunt Origenem. Enimvero citato loco in Joan. diserte ait θεὸν sine articulo designare multos Deos, qui tales sunt participatione, in eaque differentia etiam Verbum comprehendi. *Sed quoniam*, inquit, *verisimile est futurum ut multi offendantur; quia dixerimus unum esse verum Deum, nempe Patrem: & præter Deum verum, multos factos Deos participatione Dei, verentes gloriam ejus, qui omnem creaturam præcessit, æquari reliquis obtinentibus appellationem Dei sine articulo. Præter datam differentiam, per quam Deum Logon diximus reliquis omnibus Diis ministrum esse Deitatis, etiam hæc differentia est apponenda.* Hic proculdubio ait Verbum dici Deum sine articulo, non solum quod originem habeat à Patre, verum etiam quod sit Deus participatione, non Deus verus; neque æquare possit gloriam ejus, qui omnem antecellit creaturam, & sit Deus tantum appellatione, in hoc cæteris præstantior, quod reliquis Diis minister sit Deitatis. Pejor est altera differentia: sequitur enim: *Ea ratio, quæ in singulis rationis capacibus ineſt, eamdem comparationem habet ad illam rationem, quæ in principio apud Deum est, & Deus est Logos: quam habet Deus Logos, id est, ratio sine articulo ad Deum cum articulo. Ut enim Pater* αὐτόθεος, *hoc est, per se Deus, & verus Deus, se habet ad imaginem, & ad imagines imaginis: sic hunc in modum se habet ipse Logos, hoc est, ipsa ratio ad eam quæ in singulis est rationem.* Quem locum quidam benigne explicant de origine Filii à Patre, non attendentes primigeniam imaginem, id est, Filium à vero Deo tantum juxta Adamantium distare, quantum distant à Filio imagines Imaginis, videlicet, creaturæ à Patre per Filium productæ.

Postre-

7. Probatio ulterior contra origenem.

Postremo etiam ex libris contra Celsum, quos nullam violationem subiisse posset negari, affirmante doctissimo Huetio Origenianarum Quæst. pag. 233. corruptos esse libros, quotquot ex Origenianis ad nos fortuna transmisit: ex libris, inquam, contra Celsum comprobatur propositio. Nam lib. VIII. hæc habet: *Religiose colimus Patrem veritatem, & veritatem Filium, duos quidem substantia, unum vero concordia, consensu, & voluntatis identitate.* Neque enim Græcum nomen *hypostasis* sumitur hoc loco pro Persona; siquidem post assertam distinctionem personalem commemorasset unitionem substantiæ, non voluntatis concordiam: qua eludunt Ariani Christi verba: *Ego, & Pater unum sumus.* Præterquam quod priscis temporibus *hypostasis* pro *usia* usurpabatur, ut constat ex Epist. Hyeronymi 57. ad Damasum. Videtur tantum addere *usiæ* subsistentiam, ita ut diversæ *hypostases* sint diversæ *usiæ* ultimæ, & individuæ, sed multiplicata hypostasi etiam multiplicetur natura. Dixi priscis temporibus, & præcipue apud Origenem, qui personas appellare solet ἰδιότητα. Nunc hypostasim solam subsistentiam, ac personæ rationem designare nullus ignorat.

8. Defensio Origenis Georgii Bulli.

Multa sunt, quæ ex his contra Celsum libris pro Origene profert Georgius Bullus. Hujusmodi sunt, quod lib. III. Verbum Deum, ac Dei Filium, sapientiam, veritatemque compellat. In IV. Christum immortalem, incorruptibilem, & passionis expertem, quantum ad substantiam divinitatis, fatetur. Affirmat in V. omnem creaturam transcendere, & præexcellentem habere divinitatem. Ait in VI. Primogenitum, qui factus non est, neminem nosse, quomodo Pater, qui eum genuit; neque Patrem quisquam, sicut animatum ejus Verbum, veritas, & sapientia. In VIII. definit Filium non esse separandum à Patre, neque in Deo esse tantummodo trinæ appellationis vocabulum.

Refutatio. 9.

Speciosa sunt ista, sed tamen in ore Origenis valde suspecta. Nam si cum Platone gradus in divinitate constituit, ut inquit Justinianus, & ex Patris substantia, non ex nihilo genitum, sed tamen creatum Verbum Dei pronuntiavit, ut docet hæresi 64. Epiphanius; contegunt hæc omnia verborum cortice perfidiæ medullam, non prædicant incontaminatam de Trinitate doctrinam. Dixerit ergo Origenes Dei filium, Verbum, ac sapientiam, quia genitus à Patre, & invisibilis ejus imago; impatibilem quoque & immortalem, cum sensilis non sit, nec materiæ commixtione partibilis: non factum, non creatum, quatenus non est eductus è nihilo. Dixerit notum soli Patri, unumque cum eo unitione substantiæ; quoniam cæteras Dei imagines supergreditur: potuit nihilominus credere Filium inferiorem gradu altissimæ divinitati, atque ad eamdem spectare tanquam individuum ad speciem. Hæc namque sunt Origenianis principiis cohærentia. Quædam alia afferunt Apologistæ, sed ex libris, quos Rufinus flagitiose detruncavit, aut ex laciniis, quas temere affixit. Atque hæc est sententia nostra de viro alioquin clarissimo: cujus doctrinam non semel Romana Ecclesia damnavit; Animam vero cum Ario torqueri in inferis legitur in Prato Spirituali apud Bellarminum de Script. Ecclesiasticis: quod num verum sit, ille novit qui habet claves abyssi.

CAPUT VII.

Perperam Arianos in suæ hæresis patrocinium advocasse Epistolam Dionysii Alexandrini.

SUMMARIUM.

1. Habetur Notandum historicum. **2. & 3. fiunt illationes pro Dionysio Alexandrino.**

1. Quid de Dionysio Alex. sentiendum.

SUPPAREM Origeni Dionysium Ariana dogmata præformasse, & Anomœorum impietati semina præbuisse scribit Magnus Basilius in Epistola prima, & quadragesima; & lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 4. Gennadius. At celebrem virum defendunt Athanasius in peculiari libro, quem edidit de sententia Dionysii, libro X. Facundus Herm. & recentiorum Theologorum quamplurimi. Neque controversia difficilis est, si rerum gestarum ordinem teneamus: quod, ut facilius percipiatur, dabo operam, ut ex ipso Athanasio, cujus libri contexam epilogum, Dionysianam historiam intelligamus.

Historia ex Athanasio de Dionysio Alex.

Cum itaque in Pentapoli superioris Lybiæ quidam Episcoporum sententias Sabellii fuissent amplexi; Dionysius re cognita, ut eos à pravis opinionibus revocaret primum legatos misit: deinde nihil de stultitia remittentibus, coactus est ad illorum retundendam improbitatem Epistolam scribere; in qua Evangelicis testimoniis humanitatem Christi comprobavit, ut Filium Dei abnegantes, & Patri ipsius imputantes humana, non Patrem, sed Filium pro nobis hominem factum esse doceret, eosque, demonstrata distinctione personarum, paullatim ad credendam Filii divinitatem perduceret. In hoc vero Dionysius & simile habet cum Ario, & exemplum secutus est Petri, Pauli, Stephani; qui in Apostolorum Actis antequam enunciarent Christi divinitatem, eumdem esse hominem ac Reparatorem semini Abrahæ promissum collatis Prophetarum textibus prædicarunt.

Accepta Dionysii Epistola Pentapolitani illum apud Romanum ejusdem nominis Pontificem detulerunt, ejus scripta non integre, neque bona conscientia, sed pro libidine, juxta obtrectatorum consuetudinem, recitantes. Tria autem fuerunt præcipua accusationis Capita. Primum quod Christum non semper fuisse in laudata scripsisset Epistola, & Patrem aliquando sine Filio nominasset. Quam priorem accusationem repellit in Apologia, quæ sola ad Arianos damnandos sufficiens est, affirmans se de Christo ut homine fuisse locutum, ut divinarum personarum ex Incarnationis mysterio ostenderet distinctionem; prout susceptum adversus Sabellianos institutum postulabat. Videndum ergo erat qua occasione, & ad quos homines dedisset Epistolam; & observandum etiam agricolas pro subjecti soli ratione curare arbores, nec minime culpandos esse si unam inserant, istam amputent, evellant alteram. Cæterum nomina Patris & Filii inseparabilia profitetur, & Verbum semper Genitori suo coextitisse. Accusationis pars alia fuit, non scripsisse Dionysium quod Filius genitus sit è Patris substantia: quam impietatem supplodit, obtestans se hæc de sola natura humana enunciasse, & firmissime credere Filium Patri Consubstantialem. Ad eamdem rem ait, allata à se exempla agricolæ & vitis, fabricatoris & navis: quorum primum etiam Evangelii testimonio Christi designat humanitatem. Addebant Pentapolitani & tertium crimen, appellavisse Dionysium Verbum à Patre conditum; quod profligat & excutit affirmans se voces illas adhibuisse, ut ostenderet non Patrem esse, sed Filium, qui creatum, conditum, & factum corpus induerit; ac proinde Filium, ut hominem, factum, conditum, creatumque censeri. Uno verbo, Dionysius Personarum distinctionem contra Sabellianos propugnat, radicis & plantæ, fontis ac fluvii additis comparationibus; ut intelligerent Adversarii non esse unicam in divinitate Personam.

2. Defensio triplex Dionysii.

Ex hac historica narratione, quam ex memorato libro Athanasii, & inserta ipsius Dionysii Apologia iisdem fere verbis exscripsi; tria apertissime consequuntur. Primum, tertio Ecclesiæ sæculo ubique terrarum dogma de Verbi divinitate obtinuisse; in Romana Ecclesia, ubi Dionysius Papa acceptis Pentapolitanorum literis adversus Alexandrinum coegit Synodum, jussitque ut illatis accusationibus responderet, quemadmodum is fecit memorata exquisitissima Apologia: in Lybia, ubi Ecclesiæ Antistites dogma de Verbi creatione execrati, apud summum Ecclesiarum omnium Præsulem, Alexandrinum Episcopum accusaverunt; & apud Ægyptios, ubi Dionysius illatam sibi calumniam repulit, & de Verbi consubstantialitate tam illustria reddidit testimonia. Sequitur secundo Dionysii sententiam non ex priori Epistola ad Ammonium, & Euphranorem pensitandam esse, sed ex quatuor præfatæ Apologiæ libris; ex illa autem Sabellianam hæresim profligari, ex his Arianam. Infertur ultimo Basilium fidem Dionysii vellicare, propterea quod solam ejus adversus Sabellianos Epistolam legerit, Romæ accusatum noverit, & sparsos rumores audierit: quod haud obscure citato loco his verbis significat: *Impietatis Anomœorum: quantum scimus, primus iste humano generi semina præbuit: causam vero hujus rei non puto improbitatem animi fuisse, sed quod Sabellio vehementius obstari cuperet.* Potius ergo credendum Athanasio, qui scripta omnia Dionysii pervolvit, atque de ipsius mente librum edidit peculiarem: nec audiendus Gennadius Basilianæ Epistolæ lectione deceptus.

3. Nota ex Chronica Eusebii circa Dionysium.

Ne autem in Historia Ecclesiastica peregrinos nonnihil commoveat Chronicon Eusebii, in quo ponitur obitus Dionysii Alexandrini anno ante electionem Dionysii Romani; unde illius Apologia censeri posset adulterina: notandum est, eumdem Eusebium istius Apologiæ meminisse lib. VII. H. E. cap. 26. Chronicum vero ita corrigendum esse, ut Diony-

Dionysius renuntiatus sit Papa die 20. Julii anno Aeræ vulg. 259. quo capto Valeriano à Sapore Persarum Rege solus regnare cœpit Gallienus, obierit autem regnante jam Aureliano die 26. Decembris anno 271. Dionysius vero Alex. vita functus sit XII. anno Gallieni, id est Aeræ Vulgaris 266. Quæ constant ex anno passionis Xysti coronati martyrio, Cos. Tusco, & Basso, id est, anno quo occubuit Cyprianus, 258. & ex Epist. Synodica secundi Concilii Antiocheni ad Dionysium, de qua Eusebius in VII. H. E. cap. 30. Quod enim Dionysius successerit Xysto post XI. menses, dieque 17. & præfata Synodus coacta fuerit sub Aureliano circa annum 270. luce meridiana à Cl. Scheleſtrate Dissert. 2. Antiq. Eccl. redditur manifestius.

CAPUT VIII.

Exploditur Socinianorum de sententia Athanasii insignis hallucinatio, & de Symbolo nomine ejusdem inscripto variæ recitantur opiniones.

SUMMARIUM.

1. & 2. Defenditur Athanasius contra Arianos.
3. Proponitur status quæstionis circa Symbolum dictum Athanasii.
à num. 4. usque ad 10. Producuntur argumenta pro Sententia negativa una cum eorum solutionibus.
á num. 11. usque ad 15. Afferuntur rationes pro Sententia affirmativa.
16. Infertur hanc quæstionem esse reponendam inter problematicas.

1. S. Athanasius & Symbolum ejus impugnatur.

NEQUE Athanasio, qui Nicænæ Synodo anno 325. interfuit, pugnavitque contra Arianos glorioso certamine Fidei causa atrocissimas persecutionum procellas imperterrito animo perpessus, Hæreticorum malevolentia pepercit. Docuisse illum, Patrem Filiumque unum esse sola voluntatis concordia, & dogmata pugnantia cum Symbolo, quod appellant Athanasianum, contendit Wolzogenius tom. 2. pag. 307. opponens Dialogum 1. de Trinit. ex Interpretatione, ut advertimus, Theodori Bezæ. At hostes permiscet Socinianus, victosque victoribus. *Nos quidem*, ait Athanasius Orat. 1. contra Arianos n. 9. *ex divinis Scripturis libere, & confidenter de pia rectaque fide loquimur, quam tanquam lucernam super candelabrum collocantes, dicimus: Filius verus natura, & genuinus est Patris, ejusque substantiæ proprius, sapientia unigenita, Verbum verum ac unicum ipse est Dei, non res creata vel facta, sed proprius substantiæ Patris fœtus. Quocirca Deus est verus, veroque Deo consubstantialis existit.* Quam piam, rectamque fidem beatissimus Athanasius ubique confirmat.

2. Defensio contra Wolzogenium.

Fallitur ergo Wolzogenius, & non quidem uno, sed duplici errore, utroque autem palmari. Error primus est, quod non adverterit in præcitato Dialogo post voluntatis, & concordiæ unitionem, etiam statui identitatem substantiæ, & omnem aliam in Deo negari distinctionem præter eam, quæ ex opposita relatione oritur. Nam petenti paullo post Anomœo, *Nulla est igitur differentia Patris, & Filii, & Spiritus Sancti?* respondet Orthodoxus. *Nulla sane neque in natura, neque in voluntate, sed in eo demum aliqua, quod gignere & gigni, emittere & procedere, sive emitti, inter se differunt.* Ex quibus constat etiam in hoc Dialogo Catholicam contineri sententiam, ac Wolzogenium maxima oscitantia, aut execrabili peccare malitia. Alter error est, & supinus, quod tribuit Athanasio Dialogos de Trinitate, quos illi abiudicant Eruditi. Joannes Garnerius in supplemento adscribit Theodoreto, Franciscus Combefisius, Rivetus, Dupinius tribuunt Maximo fortissimo Monothelitarum debellatori. Petuntur prioris sententiæ argumenta à tempore & scopo Auctoris, quem ex Dialogo tertio liquet scripsisse post Secundam Synodum, & agere singillatim adversus hæreses etiam Athanasio posteriores. Quæ Garnerii conjecturæ probant Dialogos non esse Athanasii, sed eas facile evertent qui Dialogos adscribunt Maximo. Citant hi perantiquos Codices Romæ, Venetiarum, Ducangii, nec non Gregorium Protosyncellum, Acyndinum, Demetrium, aliosque Græcos, qui eos laudant sub nomine Maximi; styli quoque & phraseos observant similitudinem. His ego potius assentior, quam Garnerio: sed quidquid sit de vero Dialogorum Scriptore;

tore; *inter doctos omnes convenit non esse Athanasii*: ait tom. 2. Bibl. pag. 73. Dupinius. Atque his alter Wolzogenii error excutitur.

3. Symbolum Athanasii impugnatur.

Quantum spectat ad Symbolum dictum Athanasii, me non fugit à recentioribus Criticis ex genuinis ejus operibus expungi, quorum validas argumentationes reperies apud Vossium dissert. 2. de tribus symbolis, Henricum Heideggerum tom. 2. Selectarum disputat. dissert. XVIII. Casimirum Oudinum de Script. Eccles tom. 1. pag. 346. Dupinium in notis ad scripta Athan. tom. 2. Biblioth. pag. 101. & ex Scholasticis apud Juenin tom. VI. Instit. diss. IV. cap. 2. art. 3. §. 4. In horum sententiam fateor me propendere, non ita tamen, ut certissimam esse definiam, & opposita non videatur mihi probabilis. Proferam pro utraque rationes, & ostendam quid certi exhibeant, quid dubii, & deinceps, salvo eruditorum virorum judicio, mentem meam patefaciam.

4. Impugnatio 1. cum solutione.

Septem argumenta, quæ cum subjectis responsionibus producam, inveniuntur apud recentiores Criticos, negantes esse opus Athanasianum: Primum est: Nullus ante annum millesimum Symbolum istud sub Athanasii nomine laudavit. Primi, apud quos Athanasiani Symboli fiat mentio, sunt Ἀποκρισιάριοι, hoc est, Legati à Gregorio IX. Constantinopolim missio an. CIↃCCXXXIII. ad Græcos Latinis conciliandos. Tribuit & Athanasio in Apologetico ad Reges Francorum Hugonem & Robertum Abbo Floriacensis. Is omne præsidium est Cæsari Baronio ad annum CIↃI. At sunt hi pro vetusto Scriptore testes parum idonei. Huic tamen argumento respondere possumus, non solum Abbonem, qui vixit à millesimo anno, sed Hincmarum, Radulphum, Aymonem, Hugonem, aliosque, qui circa decimum sæculum vivebant, hoc symbolum tanquam Athanasii laudasse. Plurium autem Scriptorum consensus quasi exploratam manifestat traditionem. Hanc viguisse etiam apud Græcos inde colligitur, quod Schismatici non ausi sunt negare esse opus Athanasianum, sed tum Apocrisariis, cum cæteris adversus eos disputantibus, ut constat ex prima disputatione Gennadii Scholarii, maluerunt respondere Athanasium ab aliorum sententia recedere; &, quod summæ impudentiæ est, cum Symbolum edidit fuisse Ebrium. Probabile quoque est meminisse hujus symboli Nazianzenum; & depromptas inde sententias contineri in Concilio Augustodunensi anno 670. & in IV. Toletano celebrato anno 633. Multa denique Patrum Opera tanquam genuina fuerunt recepta; quæ plurium annorum curriculo latuerunt.

5. Impugnatio 2. cum solutione.

Argumentum secundum est, quod Symbolum istud inter vetustos Codices, sub nomine saltem Athanasii, minime reperiatur: quare inter dubia incertaque reponitur ab Abrahamo Sculteto in Medulla PP. parte II. cap. XL. Sed resp. Petrum Felcmannum Coronæum in Variantibus Athanasii lectionibus testari se tandem incidisse in Codicem Bibliothecæ Palatinæ, ubi Athanasii diceretur. Et quoniam Vossius ait, quod una hirundo non facit ver, addimus antiquissimum Ms. Bibliothecæ Vaticanæ, & pervetustum Germanensem Lutetiæ Parisiorum.

6. Impugnatio 3. cum solutione.

Tertium argumentum petitur à fabula, qua narrant Athanasium conscripsisse symbolum in puteo Trevirensi, ubi diu latuit, ut Arianorum subduceretur insidiis. Quod falsum est, & natum ex Historia Rufini, qui lib. 1. cap. XVIII. ait Athanasium per sexennium in sicca latuisse cisterna: verum id in Ægypto, non Treviris compertum est contigisse. Respondetur tamen plura haberi tanquam germana Opera alicujus Scriptoris, etiamsi ignoretur locus, & tempus, quo fuerunt elaborata: & verosimilius videri symbolum ab Athanasio conscriptum, quando apud Julium Papam ab Eusebiana factione iniquissimis petebatur calumniis, anno nempe 339. ut docet Manuel Calecas lib. 2. contra Græcos, & Baronius ad annum 340. Ait Vossius, Athanasium non fuisse accusatum de doctrina, sed tantum quod ipsius reditus magnum Alexandrinis civibus causasset mœrorem, cædesque complures; & quod à Synodo damnatur, nec ab ea restitutus sedem contra Canones recepisset. Addit Athanasium in Epistola ad Antiochenses asserere non esse proferendas Fidei formulas præter Nicænam, quomodo & decrevit Synodus, quæ Sardis convenit. Caspar Juenin inquit, Joviano Confessionem fidei petenti, non aliam misisse Athanasium præter Nicænam. At ex priori Vossii responsione potius infertur Athanasio fuisse consilium, hujus symboli exhibitione demonstrare se in Synodo Tyria præter fas, jusque damnatum. In Epistola autem ad Antiochenses, & in Sardicensi Synodo indicitur ne altera condatur fides contra illos, qui adversus Nicænum symbolum, quasi quædam ei deessent, obloquebantur: neque ullibi vetitum

inve-

invenio Catholico viro propriam adversus obtrectatores exponere professionem. Jovianum præter Nicænam Fidem, ob exorientem Macedonii hæresim, quædam alia postulasse Vossius ipse non negat; & decipitur Juenin. Et quidem ad refellendam hæresim eorum, qui deitatem Spiritus S. negabant, videbatur etiam Nicæno symbolo aliquid superaddendum, uti factum in Synodo Constantinopolitana post annos duodeviginti. Hinc jugulatam ab Athanasio hæresim Macedonii ante commemoratam Synodum, auctor est Nazianzenus.

7. Impugnatio 4 cum solutione.

Quartum argumentum est, Auctorem Symboli Athanasiani fuisse Latinum, cum Græca exemplaria varient, & Latina omnia consentiant: id enim indicio est, ex Latino in Græcum, non ex Græco in Latinum fuisse translatum. Verum concedendum est primo scriptum latina lingua, quam Athanasius aut didicerat Alexandriæ, aut assecutus est profugus; nisi mavis opera Latini Interpretis usum dictando Fidem Pontifici Romano exhibendam.

8. Impugnatio 5. cum solutione.

Sequitur quintum argumentum, videlicet, quod Latini hoc telo pugnassent adversus Græcos circa controversiam de processione Spiritus Sancti; cum tamen annis prope quingentis, quando de ea disceptatum est, certum sit neminem Athanasii symbolum produxisse. At responderi potest, non omnia Antiquorum argumenta ad nos pervenisse, & hujusmodi ratiocinium ejusdem generis esse, ac illud, quo negant aliqui germanum esse illustrem Joannis textum; de quo superiori lib. VII. cap. 3. contra Erasmum ac Simonium disputavi. Certum est hujus symboli auctoritate urgeri Græcos à Manuele Caleca lib. II. contra Græcos ipsos, cap. xx. à Gennadio Scholario cap. 1. sect. 1. & ab Apocrisiariis, quorum superius memini.

9. Impugnatio 6. cum solutione.

Sextum argumentum est, quod videatur Anastasii Sinaitæ, tributumque Athanasio propter vocabulorum vicinitatem; sed in hoc refutando non est necesse vagare: Divinare enim vellent Scriptores illi, quorum alii Symbolum adscribunt Anastasio, quidam Eusebio Vercellensi, nonnulli Vigilio Thapsitano, & premuntur singuli iisdem argumentationibus, quas petunt ex Antiquorum silentio.

10. Impugnatio 7. cum solutione.

Postremum, ac præcipuum argumentum est, in symbolo Athanasii refutari apertissime hæresim Eutychetis & Nestorii his verbis: *Unus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate Personæ Nam sicut anima rationalis, & caro unus est homo: ita Deus & homo unus est Christus.* Post exortam itaque Eutychianam & Nestorianam hæresim, quas Athanasius multis annis præcessit, symbolum fuit exaratum. Respondet Franciscus Macedo in Theologia Positiva Sch. IV. Coroll. Spiritum Sanctum Ecclesiam suam adversus futuras hæreses muniviſſe; & recensitos errores, & impietatem Nestorii profligari in expositione Fidei, quæ habetur tom. 1. Operum Athan. p. 240. & citatur in Concilio Hispalensi: damnari quoque Eutychetem in Epistola ad Epichtetum; hujus vero erroris semina jam olim quosdam projeciſſe, auctore Euthymio 2. p. Panopliæ. Et quidem Eutychetis & Nestorii in symbolo, de quo agitur, non memorantur Personæ: traditur tantum Fides Catholica, quæ semper eadem perseverat.

11. Vulgaris opinio pro Symbolo Athanasii fulcitur.

Productis, solutisque argumentis contra Symbolum Athanasii, videndum est quibus vulgaris opinio, quæ prius invaluerat, fulciri possit. I. Probatur ex communi sensu Scriptorum qui sæculo decimo floruerunt; & aliorum, quorum difficile esset inire numerum. Plures laudavimus supra, alios profert Vossius diss. 2. de tribus symb. cap. 1. Addo hostes alios Romanæ Ecclesiæ Valentinum Gentilem, & Socinianos complures, qui ignominiæ causa audacter appellant symbolum *Satanasii*; Græcos ipsos Refractarios, quorum de Athanasio calumniam me pudet repetere: Confessionem Witembergensem Lutheranorum, & Conventum Hugonistarum; de quo, loco citato Franciscus Macedo. Sed respondetur juniores esse istos omnes, & magna ex parte callidos Ecclesiæ hostes: recentiores Græcos ut plurimum illiteratos; nonnullos autem id pugnaciter negare, ut Meletius Alexandrinus apud Voss. cit. loco cap. xx. jam inter omnes convenire quod falso nomen præferat Athanasii, ut inquit Dupinius tom. 2. pag. 71.

Probatio 1.

12. Probatio 2.

Secundo probatur ex pervetustis Codicibus, quos laudavi supra in responsione ad 2. Sed respondent hos aut nomen Athanasii non præferre, aut non videri ab antiqua manu conscriptos, aut non esse cum iis comparandos, in quibus symbolum non reperitur, sive numerum, sive antiquitatem spectemus. His adde Vigilium Thapsitanum, cui symbolum adscripsit Quenellius, plura sub nomine Athanasii Opera supposuisse.

13. Probatio 3.

Rursus probatur auctoritate Ecclesiæ, à qua in Officio Dominicæ, & in Festo Trinitatis legitur ad Primam, & habe-

tur genuinum, atque Athanasianum. Legendi sunt, qui de Divinis Off. scripserunt, Guilelmus Mimatensis lib. IV. cap. XXX. & Joannes Beleth cap. XL. Neque à sola Latinorum Ecclesia, tribuitur Athanasio à Constantinopolitana, à Serviana, à Bulgarica, à Russica, à Moscovitica; ut scribit ad Calvinum Ep. I. Joannes Sarmata. Verum qui modestiores sunt, respondent appellari Athanasianum, quoniam ex aureis Athanasii disputationibus à Latino Theologo mutuatum est, collectis contra subortas hæreses, quæ sparsæ erant, sententiis. Etenim ex Athanasio posteriores quoque hæreticos refelli, docere debent quicunque illi symbolum tribuunt, ut diluant argumentum postremum adversus illorum sententiam paullo supra productum.

14. Probatio 4. Quarto probatur ex Augustino, qui in Psalmum CXX. super illud: *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem. De hoc sole:* inquit, *Pater Athanasius Alexandrinus Episcopus ita pulchre locutus est: Filius Dei à Patre solo est non factus, nec creatus, sed genitus.* Quo argumento utitur Bellarminus lib. II. de Christo cap. XXV. Et Possevinus in Apparatu Sacro, voce *Athanasius.* Et quoniam si Augustinum inspiciamus, non adinveniemus nominatim exprimi Athanasium, & videbimus Possevinum, Bellarminum, Vasquesium, alios, bona fide deceptos: gloriatur Macedo se hujus loci diligenter quæsiviisse authenticitatem, ac tandem profeciisse consilio: extare nempe in vetusta Augustiniana editione ante Basileensem, non quidem in Commentariis in Psalmos, sed in Epistolam I. Joannis, ubi S. Pater præfatum versum Psalmi producit. Respondebunt tamen nullibi apud Augustinum legi verba illa, & etiam Codici, quem vidit Macedo, à sciolo Amanuensi fuisse consuta, vel inserta ex marginis adnotatione: quod satis liquet ex optimorum Mss. collatione, ex Parenthesi textum hunc intercipiente, ex Macedi hæsitatione, qui demum ait: *Videbatur additus veteri editioni.*

15. Probatio 5. Probatur quinto ex Gregorio Nazianzeno. Is in Oratione de laudibus Athanasii, loquens de symbolo, quod misit Joviano una cum Epistola nomine suo, & illustriorum Episcoporum Aegypti, Thebaidos, & Libyæ scripta, ait: *Nam cum cæteri omnes, qui doctrinam nostram profitebantur, trifariam divisi essent; ac multi circa Filium, plures circa Spiritum Sanctum ægram fidem haberent: pauci autem utrinque sani, & incolumes essent; primus ille, & solus, aut cum admodum paucis, veritatem palam, apertisque verbis promulgare non dubitavit unam trium personarum divinitatem & essentiam scripto confessus: & quod multis illis Patribus circa Filium prius concessum fuerat, idem ipse postea in asserenda Spiritus Sancti divinitate superno afflatu consecutus. Atque Imperatori donum vere regium, & magnificum offert.* Hæc sane verba intelligi non debent de symbolo Nicæno, sed de alio expressius damnante hæresim postea dictam Macedonianam, & Spiritus Sancti divinitatem apertissime contestante: quod constat ex verbis Nazianzeni. Neque intelligi possunt de Epistola Athanasii, cui Nicænam Fidem inseruit: nam & videtur Nazianzenus appellare Confessionem, non Epistolam: & hæc brevis quidem, & clusi Symboli stragulum, non erat forte dicenda δῶρον βασιλικὸν ὄντως, καὶ μεγαλοπρεπὲς, *donum vere regium, & magnificum.* Igitur de Symbolo dicto Athanasiano intelligendus est Nazianzenus, ut demonstrant Manuel Caleca supra laudatus, & Joannes Baptista Desbois in Addit. ad Bellarm. de Christo lib. 2. cap. 25. Respondent nihilominus Adversarii Nazianzenum ad utrumque respicere, & ad Symbolum Nicænum, & ad Epistolam Athanasianam: siquidem Athanasium misisse Confessionem Nicænam, testantur Theodoretus Hist. Eccl. lib. IV. cap. 3. & Nicephorus lib. X. cap. 42. Porro negantes Verbum ὁμοούσιον solo Nicæno Symbolo refelluntur; & qui in Spiritum Sanctum loquuntur blasphemiam, citata Epistola refutantur.

16. Resolutio' ultimata pro Symbolo. Ex his infertur quæstionem de Symbolo Athanasii esse de genere illarum, quæ possunt in utramque partem defendi. Videntur tamen prioris sententiæ momenta validiora, atque illam probabiliorem opinor. Ut unusquisque teneat quod magis approbat, ego tela, clypeumque suppeditavi.

CA-

CAPUT IX.

Basilium cognomento Magnum nunquam dogma Catholicum violasse.

SUMMARIUM.

1. Probatur à Basilio nunquam fuisse veritatem catholicam violatam. 2. Solvitur objectio.

Defensio S. Basilii Magni.

FILII Divinitatem Basilius Cappadox Episcopus Cæsareæ tam sæcularium, quàm Sacrarum literarum celebritate, disciplinæ studio, rectaque vivendi ratione vere Magnus in libris contra Eunomium, in Epistolis contra Eustachium, in Consolatoria ad Ecclesiam Antiochensem, & in omnibus ferme gravissimis Operibus magnificavit. Haud recte sentire de Spiritu Sancto aliquibus visus est; idque cum in Conventu Episcoporum habito Cæsareæ an. 370. in Festo S. Eupsychii de Patris ac Filii divinitate fuse disseruit, & nihil fere de Spiritu Sancto locutus est. De ipsius ergo fide breviter inquirendum.

1. S. Basilius nunquam prodidit Catholicam veritatem.

PROPOSITIO: Basilius veritatem Catholicam nunquam prodidit, ejusque calumniatoribus nulla fides est adhibenda.

Probatur 1. ex scriptis ejus.

Ex scriptis Basilii, ex rebus ab eo gestis, & Gregorii Nazianzeni præclarissimo testimonio probatur hæc propositio. Primi generis argumenta petuntur ex Hom. 27. contra Sabel. ubi ait: *Neque Trinitas manet Trinitas detracto Spiritu: & si unum aliquid ex creaturis adjungatur, universa creatura simul introducetur, & Patri, Filioque annumerabitur.* Et in Epistola 60. docet Nicænam Synodum non definisse doctrinam de Spiritu Sancto, propterea quod nondum apparuerant bellum contra eumdem Spiritum Sanctum gerentes. Tum subdit: *Nihil prorsus in Divina, ac beata Trinitate creatum adinvenitur.* Speciatim Spiritus Sancti divinitatem adstruit in Tractatu ad Amphilochium, qui liber totus in hoc argumento versatur: idemque præstat in tertio contra Eunomium. Librum de Spiritu Sancto rejiciunt Protestantes, nec mirum, cum 27. Capite probet Catholicorum doctrinam firmissimo Traditionum præsidio. Fruſtra tamen, nulloque proventu rejiciunt librum hunc Refractarii; nam Erasmus, quem sequuntur, dimidium Operis recipit, postremam partem nequaquam; quod, ait ille, videatur phrasis alium referre genium, & interdum ad tragicum cothurnum intumescat oratio, & rursus ad vulgarem sermonem subsideat. Et Robertus Cocus genuinum fatetur usque ad cap. xv. At Erasmus idem Orationis vitium in laudatissimis Scriptoribus Hieronymo, Athanasio, & Chrysostomo deprehendi, eodem loco indignatur. Male ergo damnat ob stylum alicubi varium partem Operis Basiliani. Contra laudant Basilii Opus Nazianzenus, Hieronymus, Suidas, Theodoretus, Joannes Damascenus. Quid singulos memorem? Etiam Isaacum Casaubonum Exercitatione XVI. in Baronium, & Guilelmum Caveum, aliosque Heterodoxos proferre possumus, erumpente undique veritate. De Traditionibus autem alibi. Scriptis Basilii addenda sunt egregia ejus pro Catholica Fide facinora, atque illud in primis; quod cum Eustathius Sebastenus junctus Eudoxianis cœpit Spiritus Sancti impugnare divinitatem, Basilius sese ab antiqua hominis amicitia sejunxit, eumque permultis Epistolis confutavit. Denique Nazianzenus Orat. xx. *Nam*, inquit, *quod alio quin melius, quàm quivis alii, Basilius Spiritum Sanctum Deum agnosceret, cum ex eo perspicue constat, quod & hoc sæpe de loco superiore, quoad per tempus licebat, prædicavit, & privatim apud eos, à quibus interrogabatur haud cunctanter confessus est: tum vero in suis ad me sermonibus apertius id demonstravit, nonsimpliciter hoc affirmans, sed, quod ipsi ante perraro acciderat, sibi rem omnium maxime horrendam imprecatus, nempe ut ab ipso Spiritu excideret, nisi cum Patre & Filio ut Consubstantialem, & honore parem veneraretur.* Pia ergo Basilii fides scriptis, exemplis, ac Testibus comprobatur.

Defensio 2. ex factis.

Defensio 3. ex Nazianzeno.

Oppones: In binis Basilii ad Apollinarem Epistolis multi occurrunt circa Trinitatem errores: Athanasius Episcopus Ancyranus adversus Basilii impietatem expostulavit: Eumdem Religiosi viri damnarunt, quod in Festo Eupsychii de Trinitate differens subdole divinitatem Spiritus Sancti reticuerit, & fluvio, qui per alveum distenditur, illum comparaverit: non Deum, sed Dei Spiri-

2. Objectio.

Spiritum in Hom. 17. appellat: neque pari honore Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum glorificat, usus sæpenumero hac formula; *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto.*

3. Solutio. Resp. Nunquam Divum Basilium de rebus ad Fidem pertinentibus cum Apollinari habuisse Epistolarum commercium; & binas scatentes erroribus citatas ab Athanasio Episcopo Ancyræ, sub ejus nomine fuisse suppositas: quod ipse Basilius contestatur Epist. 59. his verbis: *Ut calumniam illam, quæ adversus nos invaluit depellamus, conspicuum facimus omnibus, nihil nobis cum illis esse commercii, qui ad eum modum loquuntur.* De Oratione habita in Festivitate Eupsychii, scribit Epist. 26. Gregorius Theologus Basilium prudentem servasse Oeconomiam. *Ingens*, ait, *circa eum bellum est, cupientibus nimirum hæreticis nudam, & apertam vocem ex ipsiusmet Basilii ore arripere, ut ipse quidem ex Ecclesia expellatur, qui solus pene veritatis igniculus restat, & vitalis facultas, vicinis omnibus captis, ac subjugatis. Præstat itaque Oeconomiam quamdam ad veritatem adhibitam fuisse, nobis videlicet tempori, quasi nebulæ cuidam nonnihil cedentibus, quàm ut illa ob prædicationis perspicuitatem opprimeretur. Non enim ex ea re nihil damni facimus, si ex aliis quoque dictionibus, quibus id certo colligatur, Spiritum Sanctum Deum agnoscamus.* Verum est quod nonnulli hanc Oeconomiam ignaviam esse judicaverunt, quod teneamur veritatem palam profiteri: sed aliud est non respondere quærentibus, aliud insidias evitare silentio. Certe Basilius audita calumnia Epist. 33. ad Theologum ipsam temporum catastrophen causatur: neque alibi, ut ostendimus, hanc adhibuit circumspectionem. At, inquiunt, Spiritum Sanctum non appellat *Deum*, sed *Dei spiritum.* Id quidem non semper; nam Hom. 141. ait: *Confitendum est Deum esse Patrem, Deum, Filium, Deum Spiritum Sanctum.* Quare ubi vocat Spiritum Dei, usurpat Dei nomen, more veterum, *notionaliter*: & habet præclarum imitationis exemplum, id est, Paulum; qui, ut plurimum Dei nomine intelligit Patrem, ut animadvertit Chrysostomus Hom. v. de Incomprehensibili. Demum cap. 25. de Sp. Sancto, demonstrat in glorificationis hymno particulam *In* eamdem vim habere, ac particulam *Cum*: & perinde esse si dicamus: *Gloria Patri per Filium unicum in Spiritu Sancto*, Et: *Gloria Patri, & Filio cum Spiritu Sancto.* Proximo cap. 26. illarum particularum diversitate eloquenter divinarum Personarum exponit originem: & cap. 27. etiam alteram formam approbat ex Apostolica Traditione: ob quam, ut prænonui, liber ille ad Amphilochium minus placet Protestantibus.

CAPUT X.

Agitur de Fide quorumdam Occidentalium, scilicet Tertulliani, Cypriani, Lactantii, & Arnobii.

SUMMARIUM.

1. Præmittuntur notanda circa statum quæstionis.
2. Propugnatur à Tertulliano probabilius non fuisse improbatam Verbi Divinitatem.
3. usque ad 6. diluuntur oppositа.
7. Profertur opinio de reliquis tribus.

1. Quid de Tertullliano sentiendum. Novi Ebionitæ nobis Occidentales quoque Patres objiciunt, præsertim Septimium Tertullianum Afrum genere, patria Carthaginensem, nobilitate conspicuum, & prope finem secundi sæculi literarum splendore clarissimum. Illum etiam Clericus in Hist. Eccl. ad an. 186. contendit docuisse contra Praxeam tres esse Divinas substantias; & ambiguum esse in hoc Opere sensum, plures affirmaverunt. Scripsit tamen Tertullianus adversus Praxeam jam Montanista, ut liquet ex libri initio, in quo illius sectæ parentem non semel commendat sub magno nomine Paracleti. At hunc quoque librum ab errore Ariano immunem facile mihi persuadeo ob collationem locorum, Auctorumque perillustrium, cujusmodi sunt Bellarminus, Alexander, Tournely, aliique plurimi, testimonium.

Id modo demonstraturus duo notanda præmitto. Primum est, Praxeam agnovisse unicum Deum mundi conditorem, & improbasse Patris, Filii, & Spiritus Sancti distinctionem, ex qua putabat consequi tres Deos esse, sive tres substantias suis distinctas proprietatibus: idque

idque fatetur ipse Clericus num. III. pag. 390. Ad oppugnandum itaque Praxeam, quid incumbebat Tertulliano, nisi data opera in una divinitatis Natura demonstrare tres Personas esse distinctas, & earum pluralitatem non evertere unitatem substantiæ? Enimvero nisi id efficit Tertullianus, necesse est aut consentiat Adversario, aut illius argutationi succumbat. Advertendum præterea est, quod cum generatio Verbi sit quædam quasi sermonis prolatio, antiqui Patres nonnulli duplicem Filii generationem ante conditas creaturas distinguunt, quod dixerim ego æternam generationem, ejusque progressum. Prima generatio est, cum Pater Verbum genuit intelligendo se ipsum; quam generationem constat sempiternam esse, cum Deus semper fuerit Pater, ac rationalis. Altera generatio, seu potius externa Verbi prolatio fuit, quando Verbo virtutis suæ mundum condidit. *Hæc est* (inquit Tertullianus cap. 7. contra Praxeam) *nativitas perfecta Sermonis, dum ex Deo procedit, conditus ab eo primum ad cogitatum in nomine Sophiæ. De hinc generatus ad effectum, cum pareret cælum.* Hæc tamen analogia potius, quam proprietate sermonis dicta sunt: sed, ut videantur, mente ne decidant.

2. Tertullianus non improbavit Divinitatem Verbi.

Propositio: Sententia est probabilior, Tertullianum Verbi non improbasse divinitatem.

Et quidem Ariana perfidia est negare aut æternitatem Verbi, aut propriam ex Patre generationem, aut unam in utroque substantiam; quæ omnia quisquis profitetur ac propugnat, Catholice sentit de Trinitate. Atqui Tertullianus talem asseruit in Verbo æternitatem, generationem, substantiam. Ergo de Trinitate sensit Catholice, & prædamnavit Arianam perfidiam. Probatur minoris propositionis pars prima. Cap. 5. contra Praxeam inquit Tertullianus: *Ante omnia enim Deus erat solus, ipse sibi, & mundus, & locus, & omnia. Solus autem, quia nihil aliud extrinsecus præter ipsum. Cæterum ne tum quidem solus: habebat enim secum, quam habebat in semetipso, Rationem suam scilicet. Rationalis enim Deus, & ratio in ipso prius, & ita ab ipso omnia.* Et cap. 8. *Sermo ergo & in Patre semper, sicut dicit, Ego in Patre; & apud Deum semper, sicut scriptum est, Et sermo erat apud Deum; Et nunquam separatus à Patre, aut alius à Patre, quia, Ego & Pater unum sumus.* Secunda pars constat tum ex cap. 21. Apologetici, ubi ait: *Hunc ex Deo prolatum dicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei, & Deum dictum ex unitate substantiæ:* tum ex verbis superius allatis ex cap. 7. contra Praxeam: *Hæc est Nativitas, &c.* Tertia autem pars probatur ex illis verbis cap. XV. *Ita connexus Patris in Filio, & Filii in Paracleto, tres efficit cohærentes, alterum ex altero: qui tres unum sint, non unus: quomodo dictum est, Ego, & Pater unum sumus, ad substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem.* Etiam in libro de Pudicit. cap. 21. *Trinitatem unius divinitatis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum* profitetur. Eosdem cap. 2. adversus Praxeam declarat esse *Unius substantiæ, & unius status, & unius potestatis.* Igitur Tertullianus, quod erat demonstrandum, Filii æternitatem, generationem, divinamque naturam propugnat.

Oppositionum refutatio.

Arguit Clericus in Hist. E. ad an. 186. Docet Tertullianus contra Praxeam ac Sophiam ac Verbum in Dei quidem sensu ab omni æternitate paratum, sed accepisse substantiam, ac genitum duntaxat quando Deus universum condere instituit: tum profusum è corde Patris, veluti frutex à radice, fluvius à fonte, radius à sole; ideoque parem habere cum Patre, non eamdem substantiam, & hanc in plures gradus secari. Superat ergo sententia Tertulliana absurditate Arianam. Probat id Clericus quatuor argumentis. I. Tertullianus post fidei confessionem, quam Praxeæ opponit, cap. 11. ait: *Tres autem non statu, sed gradu, nec substantia, sed forma, &c.* Quæ ad Praxeam nihil facerent, nisi Tertullianus plures substantias intelligat: libenter enim ille relationes, aut modos in Essentia numero una admittebat. II. cap. 6. inquit: *Ut primum Deus voluit ea, quæ cum Sophiæ ratione, & sermone disposuerat intra se, in substantias & species edere: ipsum primum protulit sermonem habentem in se individuas rationem, & Sophiam, ut per ipsum fierent universa, per quem erant cogitata atque disposita, imo & facta jam quantum in Dei sensu.* III. Sermonem generatum ad effectum, paulo post inquit, *habere substantiæ proprietatem, ut res, & persona quædam videri possit.* Existimabat ergo Tertullianus Sermonem esse accidens, priusquam Deus eum conderet initium viarum suarum, atque faceret sibi parem, & primogenitum.

3. Objectio Clerici.

IV. Cap. 13. explanat Verbi *prolationem* exemplo fruticis è radice prodeuntis, fluvii manantis à fonte, radii à face: *quæ species*, inquit, *sunt probolæ earum substantiarum ex quibus prodeunt.* Agnoscit ergo Tertullianus unam substantiam Divinam *specie*, sed numero non unam, quod & totus liber ostendit. Habet consimilia Petavius lib. 1. cap. 5.

4. Scopus Clerici.

Clerici Scopus, ut significat ibidem num. IX. est lectorem præmonere, ne Patribus, qui post sæculum Apostolicum floruerunt, nimium credat: Traditionem evertere, & in sola Scripturarum revelatione regulam Fidei statuere: quod magno verborum apparatu molitur in IV. Epistola Critica, quæ est *de usu Patrum.* Id tamen non potest consequi ex paucorum errore: neque enim unus vel alter poterit universalem Traditionem labefactare. Peccare etiam videtur Petavius, qui fere de omnibus PP. Antenicænis siniștre judicat, augetque Hæreticorum audaciam tanti viri auctoritate pugnantium. Sed vir eruditus non advertit consequentiæ malitiam: & in Proemio magni de Trinitate Operis docet alios, si Tertullianum ac Tatianum excipias, etsi in consectariis quibusdam nonnihil deflectunt à regula, dogmatis tamen tenere substantiam. Sed respondetur argumentationibus utriusque. Atque ad primam dico: gradus, quos Tertullianus in Deo adstruit, esse relationum ac personarum, id est, unius ab alia originem: primo quia ibidem sequitur: *Tres autem non statu, sed gradu, nec substantia, sed forma, nec potestate, sed specie: unius autem substantiæ, &c.* Deinde, quia contra Hermogenem cap. VII. ait: *Divinitas autem gradus non habet, utpote unica.* Præterea, quoniam nomine gradus, formæ, ac speciei non potest Tertullianus designare nisi ordinem Personarum; cum naturam, sive substantiam, unicam dicat semel, iterumque. Neque verum est Praxeam agnovisse in Deitate pluralitatem relationum, saltem ad Terminum substantialem, ut in priori adnotatione dictum est; alias tenuisset Catholicorum sententiam: sed adstruit relationem ad summum fictitiam, non Personarum subsistentium; qualem proinde *graduum* distinctione Tertullianus designat. Ad 2. dico prolationem Verbi in molitione creaturarum, quam Tertullianus analogice vocat generationem, non excludere sempiternam productionem Sermonis: quod & supra animadverti, & ex eodem loco infertur, qui objicitur. Si enim creaturæ factæ sunt per idem Verbum, ac sermonem, à quo ab æterno fuerant dispositæ; profecto ab æterno extabat hoc Verbum, hic sermo: & quod genitus sit *ad effectum*, id est, prolatus ad operis molitionem, non excludit Nativitatem perfectam *sermonis ad cogitatum*, scilicet, in sinu Patris. Ad 3. dico: Deum non loqui more hominum prolatitio sermone; sed quando dixit E. G. *Fiat lux*, idem Verbum prolatum est, quod erat genitum ex Patris substantia; hæc autem locutio non connotat terminum intrinsecum ac sempiternum, sed extrinsecum, ac temporarium, id est, creaturam. In hac Sermo dicitur *factus primogenitus*, non quod tunc habuerit subsistentiam, non antea: sed quoniam in productione universi Sermonis virtus est patefacta: quod Tertulliano dicitur gigni; quomodo etiam resurrectio Christi dicitur generatio, id est, quædam æternæ generationis progressio; ut explicavi lib. VII. cap. 9. Ac Tertullianus hoc etiam loco generationem illam sempiternam commemorat, dicens: *Filius factus est primogenitus, ut ante omnia genitus, &c.* Observat insuper de eadem Sophia dici: *Ante Luciferum genui te*, propter originem à Patre; atque *Hodie genui te;* ob prolationem sermonis temporariam: quæ statutam roborant præmonitionem. Ad 4. ne molestum sit plura dicere; istiusmodi exemplis ostenditur Sermonem non esse ex nihilo conditum, sed progenitum è patris substantia. Innuit autem Tertullianus maximum inter allatas comparationes, & Dei sermonem, discrimen; dum illas appellat *substantiarum probolas*, sive emissiones: Filium vero alium à Patre, *Personæ, non substantiæ nomine;* & infra: *Ubique teneo unam substantiam in pluribus cohærentem;* ubi naturæ unitionem, non paritatem, ut jactat Clericus, asserit Tertullianus, ac repetit. Illi vero satis, ut arbitror, responsum est.

Solutio.

5. Objectio.

Rursus objicies: Tertullianus in 2. contra Marcionem Patrem invisibilem facit, at non Filium, quem ab initio conversatum ait: congressumque cum Patriarchis. Item in 3. cap. contra Hermogenem, Patrem ac Judicem non semper Deum fuisse pronunciat verbis hisce absurdissimis: *Quia & Pater Deus est, & Judex Deus est: non tamen ideo Pater, & Judex semper, quia Deus semper; Nam nec Pater potuit esse ante Filium, nec Judex ante delictum. Fuit autem tempus, cum & delictum, & Filius non fuit, quod Judicem, & qui Patrem*

Patrem Dominum faceret, &c. Rursus cap. 9. contra Praxeam Patri totam substantiam divinitatis attribuit, Filio autem portionem quamdam, ac propterea Patrem majorem esse Filio declarat.

6. Solutio. Resp. ad 1. Filium per Tertullianum olim apparuisse, non Patrem, quoniam ad illum spectabat legis dispensatio & Oeconomia: ut diximus cap. 2. ad 1. de Justino; quod non obscure innuit ibidem Tertullianus, docens solum Filium ab initio conversatum, quia hunc Pater *proferendo Filium fecit, & exinde omni dispositioni suæ, voluntatique præfecit.* Ad 2. Ratiocinatur argute ex principiis Hermogenis, qui probabat æternitatem materiæ ex quo Deus ab æterno fuerit Dominus, & asserebat illam digestam à Filio, quem æternum esse negabat. Sic ergo doctrinam, hominisque acumen retundit. Si ab æterno Deus erat Pater per Filium gignendum in tempore; potuit etiam ab æterno esse Dominus *per ea, quæ sibi servitura fecisset.* Quod si pugnaciter contendas Tertullianum in proprio sensu locutum: dico Deum non semper habuisse Filium adoptivum, aut naturalem humana carne circumdatum; quippe consilium Tertulliani est demonstrare in Deo relationem Patris, Domini, Judicis, utpote extrinsecas non connotare terminum ab æterno existentem, ut fallaciam depellat Hermogenis. Atque hic ego Petavium appelo ad librum contra Praxeam cap. VIII. in quo tam diserte sempiterna Filii coexistentia enunciatur. Scio quosdam Theologos respondere, Deum non semper fuisse Patrem manifestum, in se tamen fuisse ab æterno; idque affirmare Tertullianum, ut solvat Hermogenis argumenta. At non video quomodo ea responsione refellatur Hermogenes, qui talia de materiæ æternitate somniabat, nempe ab initio fuisse occultam, digestam tamen ac formatam in tempore. Postremo argumento istud habeto responsum: portionem appellat Tertullianus *derivationem*, id est, originem: qua Filium minorem Patre illi quoque dixerunt, qui Arium debellarunt. Dicet aliquis, me pugnantia scribere, qui Tertullianum lib. 2. feci Anthropomorphitam: non enim potest intelligi rerum corporearum generatio ebsque defluxu, & divisione substantiæ. Verum & alterius generis Tertullianus corpus excogitavit, quod si non repugnat divinitatis naturæ, nec Divinæ repugnabit generationi: & nego ad veram corporis ideam illum mentem vertisse; ac præterea non absolute ibidem differui, sed opinanter. Denique Tertullianum non semper sibi constare docet Petavius: qui num. III. quamdam in eo observat præclaram de Trinitate sententiam; & tamen vult impietate Arium superasse.

7. *Quid de Cypriano sentiendum.* De Cypriano non opus est specialem instituere disputationem, cum Christi divinitatem disertissime ostendat in 2. libro Testimoniorum contra Judæos: neque in contrarium opponantur, nisi quæ plenissime hucusque diluimus, E. G. quod aliquando Filium fateatur minorem Patre, eique subjectum. Lactantius autem, & Arnobius Fidem Catholicam profitentur: ille quidem lib. 2. Div. Institut. cap. 8. & lib. 4. cap. 29. Iste in ornatissimo opere adversus Gentes. In his, si aliqua offenderis duriora, ex dictis poterunt emolliri: neque debemus accuratissimam exquirere Theologiam ab iis, qui Rhethoricæ præcipuam operam impenderunt. De istis igitur, ut Capiti finem faciamus, hæc tantum.

CAPUT XI.

Eusebii Pamphili fidem adhuc in ambiguo pendere.

SUMMARIUM.

1. Habetur Notandum historicum circa statum quæstionis.

à num. 2. usque ad 6. afferuntur fundamenta contra Eusebium pugnantia.

à num. 7. usque ad 12. Habetur ejus defensio.

1. Eusebii Pamphili Fides dubia est. Nullus est, qui Eusebium Cæsariensem cognomento Pamphilum Agapii in Episcopatu successorem summæ eruditionis virum non admiretur: quam ei gloriam solus Scaliger in Animadversionibus Eusebianis perperam conatur eripere. Tale non est de illius circa Verbi Consubstantialitatem Orthodoxia commune judicium, plerisque Eusebium damnantibus, absolventibus aliis. Stant pro Eusebio Molinæus, Zanchius, Caveus, Valesius, Petitidier; oppugnant Baronius, Petavius, Alexander, Clericus: quos è magno Scriptorum numero satis est memorasse; nam hi de Eusebio plura, cæteri perpauca scripsere.

pere. Horum lectis lucubrationibus gravior, quam antea, visa est controversia: unde statui argumenta utriusque partis proponere, suaque vicissim responsa. Ac principio duo sunt mihi notanda: primum quidem falli Protestantes, qui asserunt Pontificios inter Fautores Arianismi accensere Eusebium, ad elevandam de Baptismate Constantini Historiam, quasi in gratiam Arianorum mentitus sit tinctum Nicomediæ. Nam Augustissimum Imperatorem Romæ baptizatum negant Eruditi viri, qui Eusebium connumerant Arianis, ut Natalis Alexander, Antonius, & Franciscus Pagi, aliique: Et econtra quidam præter Pontificios Eusebii Arianismum propugnant, ut Epist. 2. Critica Joannes Clericus. Ea ergo de Baptismate Constantini quæstio, de qua nolumus hic disceptare, non est causa, ut à nostris sinistre de fide Eusebii judicetur: quamquam supposito ejus Arianismo ex libris ejusdem & veterum testimonio, inferant aliqui potuisse ad sectæ commendationem mentiri.

Notandum. Præterea notandum est Eusebium lib. 1. contra Marcellum Ancyranum cap. 2. & lib. 3. cap. 7. & in Hist. Eccl. lib. 1. cap. 2. fateri Filium ante omnia fuisse, & non è nihilo eductum, & creatum in tempore, sed ab æterno ex substantia Patris generatum: quod asserit quoque in Epist. de Decr. Nic. Syn. Sanctus Athanasius. Rejicit ergo Eusebius præcipuos errores Arii, neque Arianus dicendus est, sed ad summum Semiarianus. Nec tamen iniquissime dicitur à Hieronymo Arianorum signifer, ut inquiunt Valesius in Præfat. Hist. Eusebii, & Du-Pin in nova Bibliotheca: cum Arianorum nomine ii omnes comprehendantur, qui Filio denegant divinitatem, etsi unus sit in dogmate iniquior altero; imo Eusebium Ario impense faviisse, eique maxima consuetudine conjunctum, nemo possit negare: & idcirco carpendus non erat tanta styli acrimonia beatus Hieronymus. Jam quæstionem propositam persequamur.

Adversus Eusebium.

2. Damnatur Eusebius Arianismi ex scriptis. Qui partes Accusatorum obtinent, his argumentis Eusebium damnant Arianismi. Proferunt 1. Eusebii scripta, unde senas Arianismi teterrimas notas apparere contendunt. Est prima distinctio divinitatis in plures gradus: nam lib. VII. Præp. Evangelicæ cap. 5. appellat Filium *secundam substantiam à primo principio conditam*: & non semel *principium alterum à primo.* Secunda nota Arianismi est, quod ait Filium post Patrem existere lib. IV. Demonstrat. Evangelicæ cap. 3. tametsi eo loco splendorem soli coexistentem esse pronunciet: ideoque magis Filium à Patre divellit, quam lucem à sole. Nota Arianismi tertia est, quod Verbum vocat artificem, Patris opificium, secundum Dominum, basim & fundamentum creaturarum, quæ futuræ erant; id vero lib. IV. citati Operis, & lib. 1. de Ecclesiastica Theologia ac præterea γενητὸν, καὶ ἀγενητὸν, id est, *genitum*, & *creatum*, more Arianorum confundit. IV. In primo contra Marcellum cap. 7. in hoc Divinam Monarchiam, & unitatem constituit, quod solus Pater sit caput ac principium, Filius autem non Deus, sed Dei unigenitus, ita ut sint *duæ usiæ*, ac *duæ potestates.* Quinta perversi dogmatis nota est, quod in eodem libro Filium declarat Mediatorem inter Deum & Angelos inspecta quoque natura, quam ante Incarnationem habuit à Patre. Et sexta Arianæ labis macula in eo sita est, quod cap. 19. Patrem & Filium unum esse definit *tropica voluntatum unitione.* Quæ omnia, etiamsi in Antiquioribus Patribus possunt benigne exponi, impia sunt in ore Eusebii, qui Nicæno Concilio interfuit, eique dolo subscripsit. Hæc est Synopsis argumentorum Petavii lib. 2. de Trinit. cap. XI. & aliorum, qui exinde scripserunt, illumque expilarunt.

3. Damnatur à Synodo Oecumenica. Stat præterea pro hac sententia septima Synodus Oecumenica, quæ Act. V. recitato Eusebii loco contra usum sacrarum Imaginum, declaravit rationes Eusebii nec flocci faciendas esse, cum fuerit homo *traditus in reprobum sensum, & ejusdem cum Ario opinionis.* Deinde Act. 6. clamarunt PP. quod Eusebius in Synodo Nicæna *labiis veritatem honoravit, animus vero longe ab ea aberat, ut ostendunt scripta ejus, & Epistolæ omnes: & mansit ut Aethiops minime mutata cute sua.* Nec solvitur argumentum, si cum Valesio reponas, actum II. Nicæna Synodo non de Fide Eusebii, sed de Imaginum cultu, ideoque, cum Iconomachi testimonium protulissent ex Eusebii ad Constantiam Epistola, eoque maxime niterentur, PP. ad elevandam hujus auctoritatem exclamarunt Eusebium fuisse Arianum; verum obiter tantum, non data opera, aut cognita causa. Non valet, inquam, hæc reponere: nam PP. satis Arianismum Eusebii exploraverant, qui ejus scripta Ariano fermento infecta statim opposuerunt, hoc est, Epistolam ad Euphrationem, & alteram

alteram ad Alexandrum Episcopum Alexandriæ Ariana peste scatentes, nec non communem fidelium opinionem. His Clericus Caveum condigna auctoritate revincit, ac simul Valesius refutatur.

4. Damnatur ex Epistola ad Cæsarienses.

Tertio vafritiem Eusebii detegit sua ad Cæsarienses Epistola. In qua profitetur se recepisse voces, ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς, *ex substantia Patris*, & ὁμοούσιον τῷ πατρὶ, *Consubstantialis Patri:* quatenus significant Filium ex Patre quidem esse, sed non Patris portionem: quod nullus Arianorum negasset. Addit se pariter admisisse voces γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, *Genitum, non factum:* quoniam *Factum adjectivum est cæterarum creaturarum, quæ per Filium factæ sunt.* Ait probasse se voces alias, *Non erat antequam genitus esset*, quia *omnes fatentur filium Dei fuisse, priusquam secundum carnem gigneretur.* Affirmat fuisse in Patre potentia, priusquam actu fuisset genitus. Concludit denique se idem credere, & docere quidquid præteritis temporibus crediderat, & docuerat. Veterator est ergo, vaferrimus, & vere Aethiops, cui detrahi nequit fuligo: & frustra ex descriptione Nicæna illum conati sunt aliqui dealbare.

5. Damnatur ex testimonio veterum.

Accedit argumentum quartum, ex veterum contra Eusebium testimonio. Nam Athanasius in lib. de Decr. Nic. Syn. tradit, illum prius temere errasse, & frustra pugnasse adversus veritatem, & tanquam canem ad vomitum rediisse. Hieronymus eum appellat hæreticum hominem, apertissimum impietatis Arianæ propugnatorem, Arianorum signiferum, tam in lib. 1. Apolog. cap. 2. quam in Epist. ad Pamachium 65. Epiphanius H. 68. eumdem inter Fautores Arianorum connumerat. In ejus scriptis Arianici dogmatis germina deprehendunt Theodor. lib. 1. Hist. Photius Cod 19. aliique permulti. Eos vide in Præf. Valesii.

6. Damnatur ex ingenio & ratione agendi.

Denique redarguunt Eusebium ipsius ingenium, & ratio agendi. Etenim in Concilio Nicæno propositæ Fidei formulæ initio subscribere recusavit, licet postridie annuerit veritus piissimi Imperatoris minas, & ærumnas exilii. Absoluta autem Synodo Arianorum partibus maxime studuit. Præfuit horum conventiculis Antiocheno, & Tyrio, ac Magnum Athanasium continuo vexavit. Episcopos Arianæ factionis in libris contra Marcellum eximia laudatione prosequitur: & pestilentissimæ cadaver hæreseos, quæ tantas orbis plagas infecit, in Ecclesiastica historia curavit alto sepelire silentio. Quinque sunt ergo contra Eusebium capita accusationis, ab ejus scriptis, à Synodali sententia, à simulata subscriptione, ab Adversariorum dignitate, atque à Personæ adjunctis.

In Eusebii defensionem.

7. Defensio Eusebii.

Quoniam proxima est accusandi ac defendendi ratio, alia quinque pro Eusebio, eodemque ordine argumenta producam. Sit primum ex ejus scriptis. In his adinvenio sex divinitatis Filii characteres. Nam 1. Eusebius, quamvis frequenter solum Patrem appellat Deum, quia solus caret principio, & est totius fons Deitatis, nihilominus lib. 1. de Eccl. Theolog. cap. 20. ait de Filio: *Deus est, ac Dominus similiter atque Pater, & Dominus ac Deus, quomodo per Scripturas universas annunciatur.* Atque exponens illud *Deus erat Verbum*, declarat non θεῖον appellari, sed θεὸν, *quia habet Divinæ dignitatis excellentissimam naturam.* Dei ergo nomen Filio non denegat. II. Libro 1. & 2. contra Marcellum tribuit Filio omnipotentiam, infinitatem, & gloriam miraculorum. Fatetur itaque illi convenire attributa, quæ sunt propria summi Dei. III. In VII. Demonstr. Evang. cap. 2. recitato de Christo insigni loco Micheæ, *Et egressio ejus à diebus æternitatis*, hæc habet: *Quod ab æterno existat, cui est accommodandum nisi soli Deo?* Igitur in Christo etiam coæternam Patri divinitatem agnovit. IV. De Eccl. Theolog. 2. cap. 4. Eusebius Filium docet revera esse αὐτόθεον. Huic vocabulo apud veteres duplex inest significatio ob geminam vim hujus pronominis αὐτὸ in compositis, aut enim significat quod à nullo principio originem habet, & hoc sensu Filius non est αὐτόθεος, *Deus se ipso:* aut significat quod non est tale participatione, sed suamet substantia, & ita Filium esse αὐτόθεον fides tenet, eoque nomine Athanasius in fine Protreptici egregie Arianos refellit. Vide Petavium præcipuum Eusebii hostem, lib. VI. de Trinit. cap. XI. hæc docentem, & acute probantem. At Eusebius non credidit Filium esse αὐτόθεον priori sensu, neque enim Sabellianus erat, aut filium à Patre generatum negabat. Ergo Filium putavit αὐτόθεον in altero sensu, nimirum ipsissimum Deum, non participatione, sed substantia. *Sufficit*, inquit Valesius de voce illa αὐτόθεος, *ad repellendas omnes calumnias eorum, qui Eusebium nostrum Ariani dogmatis labe aspersum*

Defensio ex scriptis propriis.

aspersum crediderunt. V. Filium esse Unigenitum Dei filium naturalem, non adoptatum, ex substantia, non ex Patris potentia genitum, disertissime scribit Eusebius lib. 1. contra Marc. lib. v. Demonst. Evang. cap. 4. & alibi quamsæpissime. VI. In generatione Patris Verbum eamdem recipere Deitatis naturam non poterat Eusebius fateri expressius, quam in in 1. de Eccl. Theologia hisce verbis: *Quod natum est ex carne caro est: & quod natum est ex Spiritu Spiritus est. Deus autem Spiritus. Consequens igitur est, ut intelligamus quod natum est ex Deo Deum esse; &c.* Jam vero si Filio dat Eusebius Dei nomen, Dei attributa, Dei æternitatem, Dei θειότην, Dei naturalem imaginem, Dei veram propriamque substantiam: quomodo Arianica labe contabuit?

8. Defenditur ab authoritate.

Producam modo alterum ab insigni auctoritate argumentum. Cum Occidentales, uno fere excepto Hieronymo, de Eusebio honorificentissime locuti sint, Romani Pontifices Eusebium tanquam Orthodoxum agnoverunt: ex alio autem capite horum judicium Patribus secundæ Nicenæ Synodi videtur præferendum. Hujus argumenti priorem partem demonstro ex libro Gelasii de duabus naturis, ubi Eusebius inter Catholicos Scriptores refertur; atque ex testimonio Pelagii, qui illum nominat inter Historicos honoratissimum. Vide Præfationem Valesii. Partem alteram probo, quia in Epistolis recitatis in VII. Synodo asseritur quidem Patrem esse Filio priorem, secundam causam, aliaque id genus nonnulla. At hæc omnia, si cum iis æquiparentur, quæ nuper recitata sunt, debent exponi de prioritate originis, & de relativo ordine Personarum. Cum tamen in se dubia sint, & aliunde nota esset familiaris Eusebii cum Arianis consuetudo, atque ob Orientalium scissuras Cæsariensis tanquam Arianus audierit; recte PP. Nicæni noluerunt scripta Eusebiana probare: eo vel maxime quod Iconomachi simul, & Ariani, tanti viri freti auctoritate pertinacius fovebant errorem. Alioquin, si hæc pro Eusebio non valent, quomodo viri probi, atque eruditi Honorium ab errore Monothelitarum immunem esse fatentur, quem lecta ad Sergium Epistola Synodus VI. damnavit? Si hæc ob falsum rumorem, & Honorii cum Mnothelitis consuetudinem, aut Oeconomiæ causa, aut siniſtro judicio in Romanum Pontificem nulla hæresi maculatum sententiam dixit: quare non potuit idem evenire Patribus Synodi VII. circa Cæsarienſem Episcopum? Honorii Orthodoxia in IV. horum librorum parte erit vindicanda.

9. Defenditur ex actis Synodi Nicænæ.

Urgebo tertio loco argumentum ex Actis Synodi Nicænæ: Si enim hujus fidei revera Eusebius subscripsit, quomodo inter hæreticos connumeratur? Quoniam, inquiunt, politico spiritu id fecit, non Catholica ductus pietate; & diu subscribere detrectavit. Atqui ex ipsa Eusebii renitentia ingenua ejus fides apparet; multi enim & piissimi, & doctissimi initio respuerant *Omoousion*, propterea quod Sabelliani inde inferebant divinæ naturæ scissionem. Hinc Eusebius in Epist. ad Casarienses: *Non concessimus*, inquit, *sine inquisitione, quod Filius sit ex substantia Patris, & Patri Consubstantialis.* Hæc se probasse ait, statim ac alii PP. confessi sunt, ita Filium esse *Omoousion*, ut non sit pars essentiæ paternæ. Nolebat ergo *Omoousion* admittere, non quod consentiret Arianis, sed quod Sabellianis adversaretur, nec aliud objecit circa præfatam dictionem. Quatenus ergo apposita est in perniciem Arii, probavit eam Eusebius: & pristina repugnantia potuit esse zelus veritatis. Nimis scrupulose in hac Epistola notantur ea verba λοιπῶν κτισμάτων *cæterarum creaturarum*, quasi Eusebius in rerum creatarum serie etiam Filium comprehendat: nam paulo post addit *nullam esse Filio Dei similitudinem cum factis creaturis, & Patri, qui eum genuit per omnia esse similem:* ubi absque pronomine habetur πρὸς τὰ γενητὰ κτίσματα, *cum factis creaturis:* neque istic legitur *similem factum*, ut alii vertere, sed ἀφομοιῶσθαι duntaxat, scilicet, *assimilari.* Addunt Adversarii, affirmasse Eusebium se probasse Filium non esse ex non extantibus, quod præextiterit Incarnationi. At nunquid negat æternam Filii existentiam? Imo in Confessione Fidei suæ in eadem Epistola, ait: *Et in unum Dominum Jesum Christum Dei Verbum, Deum ex Deo, lumen è lumine, vitam e vita, primogenitum omnis creaturæ, ante omnia sæcula ex Deo Patre genitum, per quem etiam cuncta facta sunt.* Regerunt dixisse, quod Filius antequam gigneretur fuit in Patris *potentia*, & hæc Verba Socratem prætermisisse, ne causam Eusebii aperte proderet. At econtra, cum non sint apud Socratem, videntur addita cujusdam Ariani malitia. Præterea, & si duriora hæc videantur, exponi possunt de sola originis prioritate; cum aliis in locis doceatur manifeste Filium semper fuisse, ut-

utpote genitum è ſubſtantia Patris, non è potentia: ita in 2. de Eccl. Theol. & in 1. contra Marcellum. Quod poſtremo objiciunt ex laudata Epiſt. aſſerere Euſebium ſe in priori perſeverare ſententia, referendum eſt ad Confeſſionem Fidei ſuæ; ait enim: *Convenire viſa ſunt, quæ in fide præexpoſita nos ipſi confeſſi ſumus.* Atque in Fide Euſebii deſiderabatur tantummodo vox *Omoouſion;* quam nulla malitia, ut dictum eſt, reſpuebat. Ex quibus conſtat non ſimulato animo, ſed ingenue Euſebium Fidem probaſſe Nicænam.

10. Defenditur ex ejus teſtimonio.

Veniamus ad veterum teſtimonia: Euſebium fuiſſe Arianum negat Socrates in Hiſt. Eccl. lib. 1. cap. VIII. Et lib. II. cap. 21. Manifeſte redarguere furorem Arianorum, & ab his defectionem ipſius inſimulari, ſcribit ipſe Theodoretus lib. 1. cap. XI. Gelaſius Cyzicenus in lib. II. de Synodo Nicæna cap. 1. *Nemo exiſtimet*, inquit, *ex iis, quæ de illo circumferuntur, virum hunc in Arii impietatem unquam conceſſiſſe.* Infinitus ero, ſi omnia proferre voluero. Quod Græcorum plures Euſebium Arianis adnumerent, fecit præfata Arianorum inſimulatio; & maxime illorum contubernium, & lata à Tyrienſi Synodo in Athanaſium ſententia. Propter hæc duo venit in ſuſpicionem erroris. At non contigit fere idem Liberio, quem cap. ſequenti à nota Arianismi vindicabimus? Hominem impenſe Arianis patrocinatum, nemo mirabitur, qui horum noverit calliditatem, & quanta Athanaſio crimina ſuppoſuerunt. Hujus autem argumenti hæc eſt conſecutio: damnant Euſebium permulti, defendunt & plurimi; potuerunt Illi decipi falſis rumoribus, rerumque geſtarum ſpecie. His ergo, non illis ſubſcribendum eſt; præſertim cum in æquali teſtimoniorum diſcrepantia ſint favorabilia oppoſitis præferenda.

11. Defenditur à cultu.

Poſtremo Euſebii probitatem, fidemque Orthodoxam probat cultus, quo multi eum tanquam Sanctum venerati ſunt. Locum habet die XXI. Junii in Martyrologio Uſuardi & Adonis, in Breviario Ms. Lemovici, apud Vetuſtum Auctorem Paſſ. S. Valeriani, In Canone Paſchali Victorii: cohoneſtatur titulo Sancti in antiquo Ms. Hiſt. ſuæ penes Eccleſiam Pariſienſem: Beatus, Doctor, & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ dictator illuſtris dicitur in Veteri Ms. Reginæ Sveciæ apud Cl. Schelſtrate Tom. 2. Antiq. pag. 563. Hæc nequeunt intelligi cum Baronio de Euſebio Samoſateno, neque cum Pagio de S. Euſebio Epiſcopo Cæſareæ in Cappodocia Magni Baſilii deceſſore. Etenim Euſebius ille non erat Paleſtinus, & Cæſarienſis; iſte non erat Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ dictator. Cum hac duplici evidentiſſima nota diſtinguitur Euſebius in Martyrologio Uſuardi, in Ms. Pariſienſi, & in Codice Sveco. Quomodo ergo Pagius putat Euſebii nomine non poſſe intelligi Samoſatenſem, cum is non fuerit Cæſarienſis; ita errare poteſt Pagius ipſe, quoniam Euſebius Cappadox non fuit Hiſtoriographus: & immerito antiquis his monumentis fides detrahitur. Accedit Euſebium fuiſſe integerrimum, pacis amantiſſimum, & non conſtare ipſum molitum fuiſſe D. Athanaſii perniciem, aut eſſe novarum Fidei formularum Auctorem. Potuit ergo cum Arianis verſari, ut Eccleſiæ ſciſſuras componeret; ut contendit Du-Pin. T. n. 2. pag. 18. Quinque ergo capita accuſationis Euſebii poterunt quinque aliis refelli.

12. Cautela.

Si quis hanc ultimam perſuaſionem forſitan induit, illum commonefacio alios nonnullos inculpatæ fidei Patres appellaviſſe Filium ſecundam αἰτίαν, cauſam, ut Baſilius de Sp. S. cap. 16. & in 1. contra Eunomium; quod PP. Græci plerunque cauſam ac principum eadem ſignificatione uſurpaverint. Dixerunt alii Filium *miniſtrum Patris*, ut Irenæus lib. v. cap. 17. plerique etiam γεννητὸν & γενητὸν *factum*, & *natum*, confundunt; quorum uſum aliquando promiſcuum fuiſſe docet lib. v. cap. 1. Petavius: tametſi modo accurate ſint diſtinguenda. His ergo animadverſionibus poterit quisque ſeſe contra Accuſatores Euſebii munire. Quod ſi his mavult adhærere; notet ex adverſo, etiam Semiarianos rationem geniti naturalem patris imaginem, ſubſtantiam quoque divinam Filio concedere, at non eamdem numero cum Patris eſſentia: atque hanc poſtremam non ſatis erui è ſcriptis Euſebianis. Advertat ultro, doctiſſimum, verſutiſſimumque hominem potuiſſe quandoque fateri Filium *Autotheon*, & non factum, quatenus non eſt productus per aliud Verbum miniſtrum Patris, uti ſunt reliquæ creaturæ. Circa Euſebii ſanctitatem rectiſſime poterit reſpondere, non eſſe relatum inter Sanctos à Romano Pontifice, neque talem haberi ab Eccleſia univerſa: privatos autem cujuscumque literaturæ interdum falli. Pios demum Martyrologii Auctores Adonem, & Uſuardum reperto S. Euſebii nomine, non advertiſſe alios eſſe Euſebios ſanctitate conſpicuos præter Cæſarienſem multiplici

tiplici librorum editione clarissimum; atque ita Divo Eusebio additum Cæsarienſis agnomen: ut ex Fortunio infert vir eximius Antonius Pagi ad annum 340. n. 22. Hoc modo utriusque sententiæ patronis aliquantulum satisfecerimus.

CAPUT XII.

Liberium Papam non subscripsisse Arianorum blasphemiæ.

SUMMARIUM.

1. Habetur Notandum historicum circa statum quæstionis.
2. 3. & 4. Proponuntur tres sententiæ.
5. Probatur, Liberium subscripsisse uni ex tribus Sirmiensibus formulis quæ interpretativè saltem appellari debet Ariana.
6. Propugnatur, eum non subscripsisse tertiæ formulæ Sirmiensi.

à num. 7. usque ad 11. ostenditur, eum secundam formulam Sirmiensem formaliter hæreticam neque absolute; neque in una tantùm parte approbasse.

12. 13. & 14 Satisfit objectionibus.

1. Quid de Liberio Papa sentiendum.

INTER Fidei formulas à fautoribus Arii post damnatam eorum hæresim vulgatas, tres Sirmienses commemorandæ mihi sunt; prior contra Photinum edita anno 351. altera ab Hosio, & Potamio conscripta anno 357. postrema autem 359. opera Basilii Ancyrani. Definitum est in prima, Verbum esse Deum de Deo; & dictum anathema iis, qui Filium ex non extantibus, aut ex altera hypostasi profitebantur: suppressum duntaxat vocabulum *Omoousion*, fidei tessera tunc Orthodoxæ. Hæc fidei formula in se quidem Catholica est, ac talis habetur ab Hilario in lib. de Synodis: rejicitur tamen ob latentem Arianorum fraudem ab Athanasio. Alteram memoratus Hilarius jure merito appellat *blasphemiam*: quippe & *usiæ*, & *Omoousion* prohibet fieri mentionem; atque Filium subjectum, & Patre minorem dignitate, honore, ac majestate, nefaria impietate declarat. Decernitur in tertia Filium esse Deum de Deo, & similem Patri; at exploditur *substantiæ* nomen, tanquam ignotum, incaute à Patribus positum, & cujus nullum sit in sacris libris vestigium. Ergo, cum Liberius apud Beræam exul dolo Semiarianorum circumventus, fractus animi, corporisque procellis, nec omnino liber affectu, ex præfatis formulis unam probaverit, quod est ex Ecclesiasticis monumentis, ejusque Epistolis satis compertum: oritur quæstio, num veritatem, pro qua invicte certaverat, pessumdederit; an vero Arianicæ pestis evaserit contagionem. Nam si fidem secundam amplexus est, actum de Liberio: si tertiam; licet possit quoquomodo defendi Orthodoxus, magnum emergit incommodum, id est, Romanum Pontificem aliquando decretum Nicænum, eoque consecratum *Omoousion*, conculcasse: quod vereor, ne sit perjucundum Pontificiæ Auctoritatis Impugnatoribus: quam si fas esset in dubium revocare, non essem ego de lapsu Liberii solicitus: sed cum illam firmissimam Ecclesiæ Petram intimo, veroque sensu profitear; operæ pretium est in patrocinium veritatis nervos omnes intendere.

Tres fidei formulæ Sirmienses notandæ.

Itaque triplex sententia occurrit examinanda. Prima est H. Valesii in Notis ad IV. lib. Sozomeni cap. 15. in quam manibus pedibusque it Pagius ad an. 357. num. XI. qui docent Liberium probasse tertiam formulam editam, ut putant, anno 358. quo Liberius restitutus est. Quod probant hoc argumento: Ut constat ex fragmentis Hilarii n. VI. subscripsit Liberius Fidei Ectheſi, quam idem Hilarius appellat *perfidiam*, & quam conscripserunt Narcissus, Theodorus, Basilius, Eudoxius, Demophilus, &c. At formula, quam hic Hilarius appellat *Perfidiam apud Sirmium descriptam*, non est prima Sirmiensis, hanc enim Hilarius in lib. de Syn. affirmat esse Catholicam: neque est Sirmiensis secunda, quippe hanc, Auctore eodem Hilario, conscripserunt Hosius ac Potamius, qui non recensentur in eorum Catalogo qui receptam à Liberio formulam probaverunt. Oportet ergo, ut Liberius subscripserit tertiæ eodem anno editæ, in quo revocatus est ab exilio.

2. Sententia 1. Lyberius probavit tertiam formulam.

Altera sententia est Blondelli in lib. de Primatu Papæ, cui ex parte accedit Petavius in Observat. ad Epiphanium, & probabiliorem putant Novatores omnes, Liberium scilicet subscripsisse secundæ Sirmiensi: quæ sententia huic nixa est argumento. Formula, quam Hilarius *Perfidiam* appellat, revera est secunda, & expresse hæretica, cui in lib. de Synodis præfigitur titulus: *Exemplum blasphemiæ apud Sirmium per Hosium, & Potamium conscriptæ.* At Liberius adhuc in exilio degens subscripsit huic Formulæ, ut ipsemet scribit in Epist.

3. Sententia 2. Liberius probavit secundam formulam.

Epist. ad Orient. his verbis: *Sane petendam esse credideris Sanctitatem vestram, quia jam pervidetis in omnibus me vobis consentaneum esse, dignemini communi consilio ac studio laborare, quatenus de exilio jam dimittar, & ad sedem, quæ mihi divinitus credita est, revertar.* Constat ex his Liberium subscripsisse formulæ ab Orientalibus ipsi per Demophilum exhibitæ, adhuc exulem. Hanc vero formulam esse illam, quam Hilarius appellat *Blasphemiam* apparet ex parenthesi in Fragmentis; ubi recitata Liberii Epistola, inquit idem Hilarius (*Hæc est perfidia Ariana, hoc ego notavi, non Apostata. Liberius sequentia.*) Quid potest adversus Liberium afferri manifestius? Sed Petavius, ut dixi, ex parte tantum hanc opinionem amplectitur, & immerito ejus sententia ab Honorato Tournely eadem dicitur cum opinatione Blondelli: quandoquidem Cl. Petavius contendit a Demophilo non integram, sed mutilatam Ectheſim illam Liberio exhibitam, & ab eo receptam in ea tantum parte, quæ *Omoousion* supprimit, non in altera, quæ Filium subjicit Patri: unde ex mente Petavii nullum infertur Romano Pontifici præjudicium, & idem prorsus est, ac si probasset duntaxat primam fidem Sirmii, hoc solo titulo Arianicam. Utrum vero recte sentiat Petavius, dicam in hujus asserti refutatione.

4. Sententia 3. Liberius probavit 1mam formulam.

Tertia, eaque communior sententia, pro qua pugnant Romanenses omnes, nec non Gallorum doctissimi Nat. Alex. Dissert. XXXII. sæculi IV. laudatus Tournely, Juenin, aliique permulti in Theologicis de Trinitate disputationibus, nec unquam satis celebrandi Benedictini PP. in notis ad Fragm. VI. Hilarii, docet Liberium primæ formulæ contra Photinum editæ subscripsisse. Pro qua sententia animadverte, non esse quæstionem de Ectheſi, quam probavit Sirmium reversus; hæc enim fuit libellus in quo Basilius, Eustathius, & Eleusius complexi sunt decreta contra Paulum Samosatensem, & Photinum sirmiensem & Fidem quæ Antiochenæ Ecclesiæ fuerat exposita, in qua supprimebatur *Omoousion*, eoquod nonnulli hujus vocis prætextu clanculum hæresim Sabellianam confirmare conabantur; ut colligitur ex Sozomeni lib. IV. cap. XV. Quare dum ibidem Sozomenus ait, quod Imperator coegit Liberium confiteri patri filium non esse *Omoousion*, liquet esse intelligendum, de Confessione in qua *Omoousion* suppressum erat, non de illa, in qua damnabatur; alias non Fidei Antiochenæ, & Sirmiensi contra Samosatenses vulgatæ, sed alteri e diametro oppositæ tribuisset assensum. Aut certe eo sensu *Omoousion* proscripsit, quo abutebantur Photiniani à Synodo Antiochena damnati. Præterquam quod neque Imperator, neque memorati Episcopi, qui secundam Sirmiensem execrabantur, poterant, ut infra apparebit, illam Liberio proponere. Atque his delibatis sit,

PROPOSITIO I. Liberius subscripsit uni ex tribus Sirmiensibus formulis, quæ interpretative saltem appellari debet Ariana.

5. Probatur.

Ingenui Scriptoris est non contradicere veritati. Ipse Liberius in Epist. ad Orient. data, ut vidimus, Berœæ fatetur se lubenti animo suscepisse fidem, quæ Sirmii tractata fuerat, & exposita; & quam appellat Catholicam, & Hilarius tetro notavit commate. Colligitur hoc idem ex altera Liberii Epistola ad Ursacium, Valentem, & Germinium, ex tertia quoque ad Vincentium Episcopum Capuæ. Præter apertissimum testimonium Hilarii, Hieronymus cap. 97. de Viris illustribus ait: *Fortunatianus in hoc habetur detestabilis, quod Liberium Romanæ Urbis Episcopum pro fide ad exilium pergentem primus solicitavit ac fregit, & ad subscriptionem hæreseos compulit.* Tradunt consimilia Athan. in Epist. ad Solitarios, Auxilius lib. I. de Ord. Petrus Damianus Epist. 15. cap. 16. Platina in ejus vita: imo Marcellinus in Chronicis ex albo summorum Pontificum illum expungit. Hæc tamen ad damnandum Liberium non sunt satis; quando enim non probetur Liberium suscepisse secundam fidem Sirmiensem; consequens erit audiisse tanquam Arianum, hæreticum, & Apostatam *interpretative*, non, ut in Scholis loquimur, *formaliter*; hoc est, probasse Ectheſin, quæ supprimit, non quæ condemnat expresse in Ariano sensu *Omoousion*.

PROPOSITIO II. Liberius non subscripsit tertiæ formulæ Sirmiensi, ut opinantur Valesius, & Pagius.

6. Liberius non subscripsit 3tiæformulæ

Hi putant tertiam Sirmii fidem editam anno 358. quo restitutus fuit Liberius; sed hoc invictissimo argumento revincuntur. Patet ex Epist. Liberii ad Orient. & ex fragmentis Hilarii probasse Liberium fidem, *quæ Sirmii tractata, exposita, & suscepta est*, idque Berœæ, priusquam ab exilio revocaretur, quod contigit omnium consensu, ante exactum annum 358. Atqui tertia Sirmiensis Synodus coacta est duntaxat anno 359. die Maji secunda & vigesima, quæ enim celebrata dicitur an. 358. circa Pascha fuit Ancyrana Semiarianorum, uti liquet ex

Epist. Synodica apud Epiphanium Her. 3. §. 2. quare vereor, ne doctissimus Valesius utriusque tempora inverterit. Non est ergo tertia fides Sirmii, quam Liberius anno suæ restitutionis suscepit. Minorem probo: nam Tertiæ Sirmiensi formulæ hæc inserta est epigraphes: *Expositа est Catholica fides in præsentia Domini nostri religiosissimi, & victoris Imperatoris Constantii æterni Augusti, sub Consulatu Flav. Eusebii, & Hypatii clarissimorum virorum apud Sirmium, undecimo Calendas Junias.* Consulatum vero Eusebii & Hypatii incidere in annum vulgaris Ae. 359. constat ex emendatissimis Fastis. Accedit conscriptam esse tertiam Sirmiensem, ut deferretur ad Synodos Arimini, & Seleuciæ, quæ indictæ sunt postquam ad comprimendam Anomæorum perfidiam Basilius Ancyræ Sirmium ad Imperatorem contendit prædicto anno 359. quemadmodum illi in Ancyrana superiori anno coacta fuerat demandatum. Atque his convellitur eorum opinio, qui *Perfidiam*, a Liberio subscriptam arbitrantur esse tertiam Ectheſim Sirmii.

PROPOSITIO III. Liberius non probavit secundam formulam Sirmiensem *formaliter* hæreticam, neque absolute, ut putat Blondellus, neque in una tantum parte, quomodo visum Petavio.

7. Liberius non probavit 2dam formulam.

Nisi præjudicatis opinionibus veritas superatur, hanc thesim validissimæ argumentationes demonstrant. Primo: secunda regula fidei edita Sirmii, quoniam damnabat Filii cum Patre similitudinem, statim ab Homæusianis explosa fuit, sublatum quodcunque ejus exemplar, aut edicto Constantii vetitum. Legendus Socrates lib. 2. Hist. cap. xxx. ubi postquam ait priorem formulam græca lingua fuisse a M. Arethusio dictatam, secundam vero Romano sermone ab Occidentalibus Episcopis Valente, Ursacio, & Germinio, & istam discordare a priori, Filiumque Patri subjicere, addit: *Sciendum autem quod Episcopi Sirmii congregati pœnitentia ducti sunt propter Romanam fidei expositionem. Multa namque post expositionem videbatur ipsis habere contraria. Quapropter satagebant, ut eam ab illis, qui descripserant reciperent. Quoniam vero multi eam occultabant, Imperator eam edictis inquiri jussit, supplicium minatus, si quis eam occultasse deprehenderetur.* Nemo ergo tam insanæ mentis erit; ut existimet Constantium, & Homæusianos Episcopos induxisse Liberium ad subscriptionem Ectheseos ab ipsis quoque damnatæ.

8. Roboratio.

Rursus secunda fidei Expositio a solis Occidentalibus, ut nuper dictum est, fuit latino sermone conscripta, nec verbis, nec compositione, nec dogmate cum priori concordat, hæc enim definit, illa reprobat Filii cum Patre similitudinem. Sed Liberius in Epistola ad Orientales se recepisse testatur, non Romanam Ectheſim, sed illam tantum, quam Orientales ipsi in Synodo Sirmiensi plurium Episcoporum approbatione vulgaverant. *Fidem vestram & Catholicam*, inquit, *quæ Sirmii a pluribus fratribus & Coepiscopis nostris tractata, expositа, & suscepta est, &c.* Igitur formula, cui Liberius subscripsit, non est illa quam Ursacius, Valens, Germinius, Hosius, ac Potamius approbaverunt, Ariana certe, & hæretica: sed prior scripta ab Arethusio, dicta Orientalium, & hoc solo titulo impia, quod non habeat appositum *Homoousion.*

9. Confirmatio.

Ulterius: S. Hilarius in Fragmentis memorata Fide, cui subscripsit Liberius, inquit: *Perfidiam autem apud Sirmium descripta, quam dicit Liberius Catholicam, a Demophilo sibi expositam, hi sunt qui conscripserunt, Narcissus, Theodorus, Basilius, Eudoxius, Demophilus, Cecropius, Silvanus, Ursacius, Valens, Evagrius, Hyrenius, Exuperantius, Terentianus, Bassus, Gaudentius, Macedonius, Marthus, Acticus, Julius, Surinus, Simplicius, & Junior.* Atqui major horum Episcoporum pars non subscripsit secundæ formulæ Sirmiensi. Igitur secunda Sirmiensis formula ea non est, quam Liberius, ac memorati Episcopi probaverunt. Minor facillime suadetur. I. quia horum Episcoporum plures sunt Orientales; at secundam Sirmiensem Occidentales ediderunt, ut scribunt Socrates cit. loco, & Sozom. lib. IV. cap. XII. qui etiam addit, Antiochænam Arianorum Synodum Valenti, Ursacio, & Germinio gratias egisse, & ipsis causam deputasse, quod Occidentales recte sentirent. II. quia in prædicto Episcoporum syllabo non est Hosius, non potamius non Germinius; qui secundæ Sirmiensis Ectheseos, ut hoc loco Sozomenus, & in lib. de Synodis affirmat Hilarius, fuerunt præcipui Auctores. III. quia secundæ Sirmiensi assentiri non poterat Theodorus, qui ante biennium decesserat, nec Eudoxius, & Cecropius, qui anno CCCLVII. Sirmio aberant. Huic argumento fatetur Petavius, & Du-Pin nil aliud reponi posse nisi nomina illorum Episcoporum addita ab Auctore, qui Hilarii excerpta confecit. At aliter sentiunt Monachi S. Mauri inspectores accura-

curatissimi antiquorum MSS. Et quidem si quæras illius additamenti artificem, prorsus ignorant: si quæras, cur quispiam potuerit hæc nomina fingere, & inserere Hilariano Fragmento, causam reddere nequeunt: si appellentur ad Codices vetustissimos, necesse est obmutescant. Quamobrem *Perfidiam* obsignatam a Liberio non compellat Hilarius Blasphemiam Hosii, & Potamii, sed primam Ectheſim Sirmiensem; atque argumentum Blondelli hac ratione dissolvitur. Concidit pariter sententia Petavii: nam Fides horum Episcoporum suffragio signata non est ea, ut jam constat, quam exhibuit Demophilus; neque is Arianorum partium princeps blasphemiam Hosii, in præjudicium Ariani dogmatis mutilasset. Quid? si in Epist. ad Orientales ipse Liberius testatur non partem, sed integram Ectheſim suscepisse, eisque penitus esse in ea fide consentaneum? *Hanc*, ait, *lubenti animo suscepi, in nullo contradicens.* Itaque Liberius alicui Sirmiensi fidei plene subscripsit: non secundæ; ergo primæ. Minimus restat scrupulus, quomodo Demophilus, & quidam alii partium Arianorum potuerint subscribere formulam *Omæusianam*, & Filium Patri similem confiteri. Factum id *Omæusianorum* præpotentia; qui, ut ait Socrates lib. II. cap. 24. Et Sozomenus lib IV. cap. 15. maxima apud Imperatorem gratia & auctoritate valebant, eumque permoverunt, ut Ursacium quoque, & Valentem vi compelleret.

10. Defensio ulterior. Accedit, quod Liberius, ut Sirmium pervenit, subscripsit, opera Basilii, Eustathii, & Eleusii Fidem Sirmiensem contra Photinum, qua non potuit damnari *Omoousion*, nisi in pravo sensu Sabelliano, & quatenus significare videtur abscissionem substantiæ. Et vicissim in ea confessione excommunicati sunt Aetiani, qui per omnia Filium Patri similem non pronunciabant, eoquod falso, ut inquit Sozomenus, Eudoxius, aliique Anomœi spargebant Liberium reprobasse *Omoousion*, & filium Patri affimavisse dissimilem. Atqui nec falso id Anomæi promulgassent, nec Liberius in eos dixisset anathema; si paulo ante Berœæ signasset secundam Ectheſin Sirmiensem, quæ redolet purum putum Anomoeismum. Ergo Liberius secundam illam Sirmiensem Blasphemiam nequaquam probaverat.

11. Confirmatio. Tandem subscriptio secundæ Sirmiensis formulæ non revocasset ab exilio Liberium, tum quia novum sibi apud Constantium, & *Omæusianos* odium conciliasset, nam omnes Anomœorum perfidiam, fidemque istam summopere execrabantur; tum etiam, quia Imperator non exigebat à Pontifice Arianam protestationem, sed tantum, ut damnaret Athanasium, ut colligitur ex Theodoreto lib. II. cap. 16. Si ergo subscriptio secundæ formulæ Sirmii Constantio futura erat ingrata; si *Omæusianis*, quorum major erat apud Imperatorem auctoritas, maxime opponebatur: si demum non poterat Liberio libertatem promereri: profecto non video, cur illam Pontifex approbasset, ut revocaretur ab exilio, quod illius gratia piissimæ Matronæ Romanæ, & Occidentales quidam Episcopi flagitaverant. Vide Theodoretum laudato, ac proximo capite.

12. Objectionibus satisfit. Hæc quum ita sint, non est in solutione argumentorum diutius immorandum. Quod enim objiciunt ex Hilarii fragmentis obsignasse Liberium Sirmiensem *perfidiam*; non esse accipiendum de *Blasphemia* per Osium & Potamium conscripta, id in tertio argumento hujus propositionis fuit demonstratum: Illud vero, quod scribit Sozomenus libro IV. cap. 15. coactum à Constantio Liberium ad confitendum. Patri Filium non esse *Omoousion*, manifestum est in præmissa expositione tertiæ sententiæ, & in penultimo argumento, dictum à Sozomeno de prima formula Sirmiensi contra Photinum, & de Antiochena contra Paulum Samosatensem: quarum prima *Omoousion* palam non efferebat, altera reprobabat in sensu Sabelliano, prout sola lectione Sozomeni liquido apparet. Quod ajunt, receptam Fidem expositam paulo ante, non anno 351. remoto nimis à lapsu Liberii; & istud priori argumentatione revincitur. Sed & quod reponunt, probatam Ectheſim, qua sperabatur Pontificis restitutio; postrema ratione refellitur. Nec, quod præsertim reprehenditur, suppressio scilicet *Omoousiu*, quod palam erat enunciandum, magni ponderis est; si advertas quod in ultima sententia recitavi e Sozomeno, ideſt, tempore Liberianæ subscriptionis, quosdam prætextu *Omoousii* Photinianam hæresim suscitasse. Denique neque illud movet, Liberium subscripsisse damnationi Athanasii; quoniam, etsi ob fidem Catholicam vexabatur, Ariani tamen ficta quædam, horrendaque ejus crimina prætexebant, quibus credulus Pontifex fidem præbuit.

13. Quo sensu Hilarius & Hieronymus contra Liberium intelligendi. Liquet ex his, quo sensu, & Hilarius, & Hieronymus, & alii minus honorifice de Liberio fuerint locuti. Primo enim suscepit is primam fidem Sirmii, in qua Semi-

Semiarianorum fraus latitabat, & in Athanasium quoque sententiam dixit, unde visus est hæreticorum partes fovere: quod est proprietate sermonis mei esse hæreticum *interpretative*, veram tamen fidem profiteri. Deinde, cum Liberius reprobasset, & compressisset repullulantem Photini hæresim, eoque prætextu Eudoxius, cæterique Anomœi spargerent improbo mendacio proscripsisse *Omoousion;* falsus rumor facile potuit ad aures hominum pervenire, undique spirante flatu pestifero Arianorum. Quare nil mirum si Hilarius ter in Liberium pronunciavit *anathema;* si tamen illa indignantis animi nota vere ex Hilarii pectore erupit: sunt enim complures, qui e margine in textum irrepsisse contendunt.

Arduam hanc quæstionem non magni momenti Dupinius appellat. Cæterum, si quis recolat quanta pro fide Catholica Liberius Papa præstiterit, Apostolicas ad Constantium pro Divo Athanasio Epistolas, damnationem Pseudoconcilii Arelatensis, plenissima libertatis, cum ad Eusebium Eunuchum, tum in faciem Imperatoris proloquia, invictam animi fortitudinem, miserrimi exilii calamitatem, Romanæ Urbis, & amantissimæ Christi plebis pro ejus restitutione voces, ac gemitus: si quis, inquam, ista perpendat, lubenti animo me verbosum, molestumque hominem patietur. 14. Dupinius refutatur.

CAPUT XIII.

De miserando lapsu, & pœnitentia Hosii Episcopi Cordubensis.

SUMMARIUM.

1. Notandum Historicum.
2. & 3. Probatur, Hosium tandem Arianorum consensisse impietati.
4 Propugnatur, eum neutiquam in impietate Arianica obiisse.
5. & 6. Solvitur objectio.

1. De lapsu & Pœnitentia Hosii.

HOsius ob ætatem, & confessionem, laborumque tolerantiam omni honore ac reverentia dignissimus, Nicænæ Synodi consors, atque insidiis Arianorum exilio damnatus, studio eorum, qui anno 357. Sirmium convenerant ab Imperatore Constantio revocatus est, ut vel persuasus, vel coactus hæresi consentiret. Cogitabant enim, si hunc tam eximium, & omnium celeberrimum consentientem haberent, fore illum fide dignum, maximumque dogmatis sui testimonium. Sirmium ergo venit necessitate coactus, & invitus, centenarius ætate, septingentium leucarum itinere fessus, industria eorum, qui tantam venerabilis Antistitis senectam male exercitam habuerunt. Hæc ex lib. II. Socratis cap. 31. & Theod. IV. cap. 6. Videtur tamen Socrates priorem, & secundam Sirmiensem Synodum confundere, cum ex inscripto Consulum nomine constet tres esse distinguendas, & Hosium interfuisse Synodo secundæ Arianorum Episcoporum, quorum erant principes Ursacius & Valens. Quæritur modo, an formulæ hujusce Synodi subscripserit, quam ex dictis liquet fuisse blasphemam & Arianicam, &, an post lapsum resipuerit, vel in hæretica impietate decesserit.

PROPOSITIO I. Cessit tandem Hosius Arianis, illorumque impietati consensit.

In libro enim de Syn. Hilarius commemorat *Blasphemiam per Hosium & Potamium conscriptam;* de qua supra. Socrates lib. II. cap. 31. *Quoniam vero consentire renuebat, plagas, & tormenta seni inferebant: unde & necessitate coactus, datis tum expositionibus & consensit, & subscripsit.* Ac Theodoretus in IV. H. E. libro cap. 6. *Hosius*, inquit, *initio quidem illis consentire detrectabat, compulsus tamen, & verbera, ut fama est, cum esset senex perpessus, tandem consensit, & subscripsit.* Athanasius quoque celeberrimi senis cultor singularis, & gratus in sua ad Constant. Apologia ait: *Quamvis ob illatas ipsi multas plagas, immodicas & structas in cognatos ejus insidias cesserit ipsis ad horam, utpote senex, & corpore imbecillis.* Quod habet Latinus interpres legitur in Athanasio εἶξεν αὐτοῖς πρὸς ὥραν, *non repugnavit ad horam.* Cæteros complures affert Baronius ad annum 357. ubi num. XVIII. præclare asserit, Hosii lapsum præteritorum omnium casum superasse. Certis itaque testimoniis humana imbecillitas continuo nobis pensitanda in Hosii defectione proponitur. 2. Hosius Arianis consensit. Probatio 1.

Eminentissimus Aguirre Dissert. 2. in alterum Tom. Conc. Hisp. aperte narratum casum non denegat, dubium tamen multiplici capite probat: idque ob præclara Hosii merita summopere videtur 3. Probatio 2.

tur in Scriptore clarissimo laudandum. Singula tamen, quæ producit brevissime expendam. Ait, quod senis oculi caligaverant, & mentis deliquium subierat: quod contigisse homini tanta ætate gravato probabile est quidem, sed mentis compotem indicant verborum, plagarumque ad tempus tolerantia; unde videtur imbecillitate corporis, non deliquio mentis peccasse. Addit Athanasium in Epist. ad Solitarios meminisse duntaxat Hosii cum Ursacio & Valente communionis: at istorum voluntati *ad horam* non repugnasse fatetur idem Athanasius in sua Apologia. Observat Hilarium, qui procul à Sirmio aberat decipi potuisse rumore famæ: & revera deceptum ego arbitror in eo, quod blasphemiam Sirmiensem ait ab Hosio conscriptam: si enim restitit aliquandiu Ursacio, & Valenti, & probra ac tormenta substinuit, jam Ariani impiam Confessionem paraverant, quam magno Hosii nomine circumferrent. In subscriptione tamen innocentiam Hosii contra Scriptorum omnium auctoritatem perdifficile est demonstrare, & Hilarium plenissimæ convincere falsitatis. Contendit formulam, qualem narrat Hilarius, debuisse displicere Semiarianis; ideoque ab eo referri adulteratam. Verum reapse displicuit, & post expositionem Constantius minis, decretisque illam repressit, Auctore Socrate lib. 2. cap. xxx. ideoque conjectura hæc evanescit. Ait denique Aguirre Hosium comparatione Liberii leve crimen patrasse: quod opus habet distinctione; nam in damnationem Athanasii Hosius nunquam consensit, & Liberius eidem subscripsit; qua in re miramur Hosii constantiam, & Liberii simplicitatem excusamus. In subscriptionem autem Ectheseos, cum Hosius secundæ Sirmiensi Synodo adfuerit, quando *Blasphemia* edita est Ariana, ac Liberius accesserit Semiarianorum postulationibus jam formula illa damnata & vetita, dolemus de lapsu Hosii, & lætamur de recta fide Liberii.

4. Hosius non est mortuus ut Arianus.

Propositio II. Non obiit Hosius in impietate Arianica.

Athanasius in Epist. ad Solitarios Hosii pœnitentiam his verbis contestatur: *Moriturus enim quasi, in testamento suo eorum vim protestatus est, & Arianam hæresim condemnavit, vetuitque à quoquam probari, aut recipi.* Et in Apologia, de qua supra, ait Hosium Arianis consensisse tantummodo πρὸς ὥραν, *ad horam*, nempe, dum Sirmiensi Conventiculo invitus interfuit. Legendus S. P. Aug. lib. 1. in Epistolam Parmeniani, ubi negat quod Donatistæ vulgaverant, Hosium ab Hispanis damnatum, & à Gallis fuisse absolutum, aut saltem credibilius esse, *Hispanos falsis criminationibus circumventos, contra innocentem protulisse sententiam, & postea pacifice in humilitate Christiana ad sententiam Collegarum accessisse.* Addimus posse quidem justissimum Deum deserere semel peccantem; sed cum superexaltet misericordia judicium, miserationibus ejus, quarum non est numerus, videtur magis consentaneum, si dicatur homini, qui fuerat Athleta veritatis, neque malitia, sed infirmitate, neque corde, sed ore peccaverat, pœnitendi victricem gratiam fuisse largitum. Quamquam hæc inscrutabili Dei beneplacito parata est, & ob præcedentia demerita facti sunt plures vasa in interitum, rerumque humanarum singulare ludibrium.

5. Objectio.

Oppones: Isidorus de Viris illustr. cap. 14. narrat Hosium digno Apostatæ exitu fuisse elisum, & ore distorto divinitus è sede dejectum, cum vellet deponere Gregorium Illiberitanum, qui noluit cum Hosio, tanquam perditissimo hæretico communicare. Consentiunt celebriores rerum Hispanicarum Scriptores, Auctor Anonymus, qui XIV. Vitas Isidori libro præposuit, Joannes Vasæus in Chron. ad annum 355. Joan. Mariana lib. IV. cap. 17. aliique permulti.

6. Solutio.

Resp. Natalis Alexander, librum de Viris illustr. censendum esse suppositum, cum illius non memineret Idelphonsus, qui recenset Opera omnia Isidori. Hæc tamen responsio falsa est, cum liber Isidori de Viris illustribus in aliorum syllabo censeatur à S. Braulione Cæsaraugustano Episcopo, hujus Prænotatio extat Tom. 2. Hispan. Illustratæ, & hujus libri antiquissimum Ms. servetur cum Isidori nomine Cantabrigiæ in Bibliotheca Benedictina, & Oxonii in Mertonensi. Quare Isidoro jure adscribitur à nostro Philippo Bergomate in Supplemento ad an. 615. à Sigeberto in Catalogo cap. 55. à Vossio lib. 2. de Hist. Lat. cap. 25. ab aliis quamplurimis. Hæc tamen Hosii teterrimum exitum nequeunt, ut Vulpiani verbo utar, certiorare. Nam, ut recte scribit ipsemet Alexander, Isidorus fabulam hausit è Luciferianorum gurgite deturpato. Luciferiani enim duo, Faustinus & Marcellus, qui noluerunt recipere lapsos in persecutione Constantii, & ab Ecclesia sese nefario schismate alienarunt, in Libello

bello ad Imperatorem Valentinianum adversus Sanctos Episcopos veritatem fabellis tragicis macularunt. Ibi primum Hosii cum Gregorio Boetico dissidium, & illius mors atrocissima conficta sunt, pluraque in Athanasium & Hilarium inverecunde adinventa. Illinc exscripsit Isidorus tragœdiam deplorabilem, inseruitque Historiæ virorum illustrium: aut certe affuit Theodiscus illius in sede Hispalensi successor. Quamobrem æquum est, ut major fides præstetur Athanasio Scriptori Syncrono, atque integerrimo, quam Isidoro ab Hosii ætate valde remoto, & qui scripsit post corruptam à Luciferianis historiam. Id vero cæteris Hispaniarum Scriptoribus potuit facilius contingere, inter quos multi sunt apud citatum Aguirre in Hosium benigniores. Si quis præclara ipsius merita velit cognoscere, legat Epistolam Athanasii ad solitariam vitam agentes.

CAPUT XIV.

Absolvitur Liber apologeticus nonnullis adnotationibus in Eucharisticum hymnum *Te Deum Laudamus.*

SUMMARIUM.

1. & 2. Affertur triplex ratio, cur hæc quæstio pertractetur.

3. Propugnatur SS. Ambrosium, & Augustinum fuisse hujus hymni Authores.

à num. 4. usque ad 8. Removentur contraria.

1. Annotationes super Hymnum Te Deum Laudamus.

PRIUSQUAM de tabula manum tollam, triplex ratio suadet, ut de hymno gratiarum Ambrosio, & Augustino inscripto pertractem; non ita tamen, ut pariam prolixitate fastidium. Ratio prima est, quod Ecclesia perantiquæ traditionis verax & inviolabilis Magistra à pluribus sæculis prædictum hymnum recepit: in quo Deum unum, æternum Patrem, verum & unicum Filium, & Paraclitum Spiritum laudamus, & confitemur. Fidem itaque Catholicam Trinitatis, Scripturis ac Patrum traditione ad nos derivatam Ecclesia Christi frequentissima hujus hymni recitatione confirmat. Illum ergo in dissertatione, qua fidem istam vindicare studui, importunum nequaquam videtur commemorare.

2. Conjecturæ super Hymnum.

Deinde movet me, quod eruditi viri quamplurimi prædictum hymnum SS. Ambrosio & Augustino prorsus abjudicant, quorum non leves sunt conjecturæ. Primo enim ignotum esse Auctorem colligunt ex antiquioribus Mss. in quibus neque Ambrosio, neque Augustino tribuitur. In Vaticano Psalterio inscribitur *hymnus S. Sisebuti.* In Breviario Aniciano *Hymnus S. Abundii*: inscribitur in altero Psalterio Gallico Sancto Nicetio, & apud Edmundum Martene Hilario Pictavienſi. Tanta Auctorum diversitas, ait Pagius ad annum 388. satis ostendit latere adhuc hujus Cantici Auctorem. Ad hæc nemo invenitur, ut verbis utar PP. Bened. Tom. 2. Oper. S. Amb. p. 1217. hac nostra ætate tam plane rudis, qui fabulam esse inficietur eumdem hymnum post baptizatum ab Ambrosio magnum Augustinum fuisse ab utroque alternis vicibus decantatum. Præterea invaluit hæc opinio ex Chronico S. Datii Mediolanensis, quod suppositum opus esse arbitrantur Menardus in notis ad Sacramentarium Gregorii, Gavantus in Rubricis, Mabillonius Tom. 1. Analectorum, & qui accurate Ambrosianæ Bibliothecæ Codices lustravit, Ludovicus Muratori. Rursus ab uno Ambrosio fuisse conscriptum nonnulli probare conantur, ex quo in forma Dialogi non sit editus. Demum animadvertit Lorinus in Ps. 27. versiculum Cantici, *Salvum fac populum tuum, Domine, & benedic hæreditati tuæ*, aliter legi tam in Psalterio Ambrosiano, quam apud Sanctum Patrem Augustinum: unde oritur suspicio, neque ab uno, neque ab altero fuisse compositum. Ita rationes non videntur deesse, quibus vetus opinio rejiciatur.

3. Authores Hymni sunt Ambrosius & Augustinus.

Attamen, omni partium studio deposito, arbitror debiliores esse conjecturas istiusmodi, & hymnum revera edidisse Ambrosium, & Augustinum, ut Bartholomæus Urbinas in Præfat. ad Milleloq. Jacobus de Valentia de hoc Cantico, Lancillotus, aliique nostrates, ut ex Congregatione Discalceatorum Eustachius à S. Ubaldo, necnon citato loco Lorinus, Radulphus Tungrensis Prop. 13. de Can. observat. & innumeri cujusque Ordinis Scriptores tradiderunt. Quod hac ratione ductus ostendo. Recedendum non est à vetusta & communi traditione, nisi hanc valida argumenta revincant. At quidquid eruditi

viri

viri producunt, ut antiquam de Cantico isto traditionem refellant, perleve est, nec ad eam labefactandam est satis. Itaque à communi, & pervetusta traditione, qua hymnus Ambrosio & Augustino tribuitur, nullatenus est recedendum. Communem esse hanc traditionem liquet ex Breviario Romano, Ambrosiano, & Monastico; esse perantiquam fatentur doctissimi viri Antonius Pagius ad annum 388. n. 11. & Mabillonius in dissert. de Azymo & ferm. cap. VI. & probatur ex libro Ms. Psalmorum, quem Carolus Magnus misit ad Hadrianum Papam proculdubio ipso Carolo Magno vetustiorem, & pretio antiquitatis existimandum, aut saltem ex antiquiori exaratum, alias non esset donum vere magnificum & regium. In hoc ergo vetustissimo Ms. cujus Autographum asservatur in Cæsarea Bibliotheca extat Canticum istud cum epigraphe: *Hymnus, quem S. Ambrosius & S. Augustinus invicem condiderunt.* Præfert hunc titulum etiam in libris Alcuini, qui clarissimus Bedæ & Egberti discipulus fuit, & ejusdem Caroli nobilis præceptor. Appellant quoque Mediolanenses viam, quæ à laterali janua Ecclesiæ S. Ambrosii ducit ad alteram, in qua fertur Augustinum fuisse baptizatum, *la via del Tedeóm;* cujus nomenclaturæ originem nullam aliam possumus adinvenire; & est tempus, quo primum invaluit, immemorabile.

4. Conjecturæ refelluntur.

Quantum vero infirmæ sint superiores conjecturæ, quis non facile intelligit? Sisebutus fuit Monachus Cassinensis, floruitque, ut constat ex hujus Ordinis Monologio ad XV. diem Martii, anno 1082. At S. Benedictus in Regula scripta circa annum DVI. præcipit, ut *Post quartum responsorium incipiat Abbas Hymnum Te Deum laudamus.* Hæc in regula Benedicti cap. XI. Quando ergo magnus ille Monachorum Pater instituit venerandissimum Ordinem, notum erat præfatum Canticum, imo & Ecclesiæ usu probatum: non enim Benedictus hymnum novum & inusitatum Officio Dominicæ addidisset; atque viri docti multo ante cantatum fuisse tradunt in Natalitiis Pontificum. Eapropter nullus Monachus Cassinensis, ut fatentur PP. Maurini in Præf. ad Hilarium Auctor est hujus Cantici. Sed neque Hilarius Pictavienſis, aut Abundius, aut Nicetius, pro quibus vix stat unius Ms. nec perantiqui, testimonium: nec quanta in uno volumine veteres Amanuenses diversorum scripta confuderint, neminem fugit. Ita fieri potuit ut inter aliorum opera hymnus iste locum habuerit, aut forsitan fini fuerit appositus ad gratiarum actionem. Prior ergo Recentium Criticorum conjectura non videtur esse firmissima. Id vero, quod asserunt Benedictini in notis ad Hymnos Ambrosii fabulam esse vulgarem opinionem, Canticum *Te Deum* ab Ambrosio & Augustino alternis vocibus decantatum fuisse, me nihil commovet: sæpe enim veritas falsis circumstantiis vestitur; nec refert si Canticum ex tempore Ambrosius & Augustinus alterne cecinerint, aut ab utroque editum & conscriptum Clerici Mediolanenses: unde in iis, quæ ad compositionis modum attinent, sum ego piscis, hoc est, innatans, & mutum animal.

5. Solutio ulterior.

Nonnihil movet, quod scribunt in Præf. ad Hilarium, vulgarem opinionem *solo niti Pseudo-Datii Chronico lib. 1. cap. 10.* At aliter Joannes Mabillon, nomen ipsis, & universæ literariæ reipublicæ splendidissimum. Is citata dissert. de Azymo tria ad rem nostram percommoda docet: primum, non in solo Chronico Datii, sed etiam in pervetusto Psalterio Caroli Magni, de quo supra, Canticum istud referre nomen SS. Ambrosii, & Augustini; atque hæc statim addit: *Quod ut parum certum sit, hinc tamen apparet persuasionem de auctoribus istius Cantici non esse admodum novam & recentem, sed aut ipsius Datii tempore, aut paullo post receptam.* Quare Mabillonius; licet parum certam opinionem nostram concedere videatur, negat niti solo Chronico Datii, & ex ea posse ipsum Chronicon reddi suspectum. Deinde observat idem Chronicon sub nomine Datii citari tum apud Paulum Diaconum lib. XVI. historiæ Miscellæ, tum apud Anastasium in vita Silverii: unde infert, *fatendum est, aut Datium ejus esse auctorem, aut aliquem alium Paulo Diacono, id est, octavo sæculo superiorem.* Deinde ait, quod etiamsi Chronicon istud esset ævi recentioris, non tamen continuo respuendum est, quidquid in illo contineatur, cum Auctor, quisquis tandem ille sit, potuerit id ex veteribus monumentis accipere. Quæ dicuntur quidem à Mabillonio de Azymo, sed possunt etiam Cantico Eucharistico accomodari. Itaque vulgaris opinio neque nititur solo Chronico Datii, neque istud manifeste est suppositum, neque, ut tale sit, respuendum est quidquid in eo continetur. Atque his tertio argumento satisfactum iri confidimus.

Chro-

6. Chronicum Datii apocryphum.

Chronicum autem Datii ex duplici capite habetur apocryphum, primo quia producitur usque ad annum Christi 1067. deinde, quia apud Ladulphum eadem, iisdemque verbis narrantur. Sed his satis est respondere, Datiano Chronico aliqua accessisse additamenta, quod in Scripturis hujus generis ut plurimum solet contingere. In exemplo est Chronicon Eusebii, quod ille produxit ad annum vulgaris Aeræ 326. & Hieronymus ad annum 379. Libri enim Annalium ac Temporum indies crescunt; & in unum corpus quandoque nectuntur. Cumque juniores Chronologi exscribant, aut in epitomen redigant historias antiquiorum, nil mirum si in Ladulpho occurrant permulta, quæ sub nomine Datii alibi inveniuntur.

7. Solutio.

Leviora sunt, quæ ulterius objiciebantur, scilicet, apparere ex MS. annis quadringentis antiquiore, ex eo, quod in Cantico forma dialogi non servetur, editum à solo Ambrosio. Revera enim Ambrosianum possumus appellare, si ex parte Sanctissimum Antistitem habet Auctorem, ab eoque dicitur inchoatum. Neque more Dialogi texendum erat, cum non sit mutuum Ambrosii & Augustini colloquium, sed utriusque oratio Eucharistica: etenim διαλογίζομαι est colloqui, & adinvicem disceptare. Deprehendimus denique non raro, inquit Lorinus, longe aliter Ambrosium & Augustinum legere textum Psalmorum, quam sit in Ambrosiano Psalterio, & consequenter nihil obstare potest quod in Cantico legatur *hæreditati tuæ*, & in Psalmo *hæreditatem tuam*, minima, ut apparet, discrepantia. Receptæ itaque traditioni de Auctoribus hymni Eucharistici non videtur propter istiusmodi conjecturas esse contradicendum.

8. Corollarium.

Habes duplicem causam, propter quam de hymno *Te Deum* in fine libri de Trinitate Apologetici breviter pertractavi. Forte dices, me principio hujus Capitis causas tres indicavisse. Ita est. Tertiam habeto: ut libro finem faciat Canticum Ecclesiasticum, quod inscribitur *De fide Christi*, & *Pro gratiarum actione*.

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER NONUS,

Qui resolvit quædam dubia Scholastica, & modum tradit loquendi de Trinitate.

Dubia & modus loquendi de Trinitate.

AD finem librorum, quos de Uno, Trinoque Deo susceperam exornandos, mihi tandem properanti occurrunt prolixæ, ac perdifficiles veterum Scholasticorum Disputationes; in quibus ne diu versemur prohibet cum ratio instituti, tum rerum aliarum dignitas atque amplitudo: ne autem illas penitus prætereamus, non sinit Majorum nostrorum assiduus labor, & perantiqua literariii certaminis institutio. In hoc ergo libro de Scholarum circa Trinitatem placitis talem placet tenere methodum, quæ proponat breviqué resolvat Scholasticas disceptationes; ut debellatis jam longo certamine Hæreticis, Criticisque devictis, eos etiam, qui aut domestica, aut ludicra bella inferunt, exerceamus; ac tranquilliori posthac animo à Divinitatis arcano ad spiritales, corporeasque creaturas nostra convertatur oratio. Neque vero timemus quin dissentibus nobis adsit lectorum conjuncta cum singulari comitate tolerantia; dum, nisi ratiocinationibus peracutos & excultos eloquio, breviloquentes saltem futuros nos esse paciscimur.

CAPUT I.

Non posse intellectum creatum naturali facultate certam Trinitatis comparare sibi notitiam.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. Probatur, nullum acie naturalis ingenii, Imo nec fide imbutum posse mysterium Trinitatis humanis argumentis evincere.

à num. 3. usque ad 9. Solvuntur quædam objectiones.

1. An in intellectu creato certa notitia de Trinitate.

TRINITATIS mysterium laudabili ausu, miroque ingenio invenisse Platonem scripsit quinto sæculo Claudianus Mamertus; & plura illius arcani vestigia in libris Mercurii Trismegisti, & in Oraculis Sibyllarum deprehenduntur. Ingenii acumine altissima quæque mysteria contingi ajebat sæculo duodecimo Abaelardus: divinarumque personarum pluralitatem evinci arbitrabatur circa finem sæculi XIII. Raymundus Lullus demonstratione petita ab æqualibus, quam vocant æquiparantiæ. Hi, aliique viam huic quæstioni aperuerunt:

runt: pro qua superfluum videtur repetere multiplex esse genus demonstrationis, per causam, ex effectibus, à simili, & ex aliis locis dialecticorum. Tantummodo prænotandum est, duo simul controverti, num ratio naturalis possit sese in hujus mysterii cognitionem assurgere, aut saltem revelatione supposita illud positiva argumentatione reddere manifestum.

2. Mysterium Trinitatis nec naturali ingenio perceptibile, nec humanis argumentis evincibile.

PROPOSITIO: Nullus acie naturalis ingenii valet Trinitatis mysterium percipere, nec fide imbutus illud humanis argumentis evincere.

Probatio.

Ostenditur Scripturis, PP. auctoritate, & ratione. Quod solius gratiæ donum est, nemo sola natura duce consequitur: Notitia Trinitatis solius gratiæ donum est: Ergo nemo hanc notitiam sola natura duce consequitur. Minor probatur ex verbis Matth. xi. 27. *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Et cap. xvi. 17. *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.* II. Hormisdas Papa in Epist. ad Justin. *Secretum*, inquit, *Trinitatis nec ulla visibilium, nec invisibilium creaturarum potuit investigare natura.* Ambrosius lib. de Fide cap. 10. *Impossibile est, generationis Verbi Divini scire secretum: mens deficit: vox silet.* Et S. P. Aug. lib. xv. de Trin. cap. xvi. *Quænam tandem vis intelligendi, quæ vivacitas rationis, quæ acies cogitationis ostendent, quomodo sit Trinitas?* III. Omnis naturalis cognitio duplicem habere potest sui causam, vel prænotionem creaturarum, vel ideam anticipatam & ingenitam: Ex neutro principio hauriri potest Trinitatis notitia: Ergo nullatenus hæc poterit esse naturalis. Prob. min. Non sufficit prænotio rerum creatarum, quoniam hæ trahunt in Dei cognitionem, tanquam effectus à prima causa producti; & virtus illarum creatrix, quæ est toti Trinitati communis, ad unitatem spectat divinitatis, nec proficiscitur ex proprietate personæ; ita ut, si in una tantum hypostasi Dei natura subsisteret, adhuc ratio haberetur Creatoris, & creaturæ. Nec satis est insita idea Dei, quia hæc exhibet rationem summi boni, independentis, infiniti, per se existentis; quæ pariter solam infert unitatem divinitatis. Sive ergo prænotio creaturarum, sive anticipatio idearum nequit perceptionem parere Trinitatis. Hæc vero probant positionem nostram facta quoque revelatione: quæ naturalem vim aut mentis, aut idearum non immutat, efficitque tantummodo, ut assentiamur veritati non apparenti propter revelantis auctoritatem. Præformati autem fide facile demonstramus in Deo Trinitatem non repugnare, ejusque imagines ubique conspicimus, prout liquet ex cap. 6. & 7. libri VII.

ADVERSUS HANC POSITIONEM OBJECTIONES QUÆDAM.

3. Objectio 1.

Opp. 1. Apost. ad Rom. 1. 20. inquit: *Invisibilia enim ejus à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Et Sap. XIII. 1. *A magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterat horum Creator videri.* Utuntur hoc duplici testimonio Theologi, ut evincant ex rebus aspectabilibus unius summi Numinis existentiam. At S. P. Augustinus lib. XV. de Trinit. cap. 2. affert utrumque testimonium, *ne fidelium quispiam frustra, & inaniter existimet, se quæsisse in creatura indicia summæ Trinitatis.* Igitur quomodo Dei existentia, ita & Trinitas ex rerum adspectabilium contemplatione dignoscitur. Et quidem S. Pater præcedentibus libris comprobaverat Dei Trinitatem exemplis creaturarum, quæ lib. VII. additis pluribus aliis fuerunt producta; & quæ videntur hanc assertionem evertere.

4. Solutio.

Resp. Utique deprehendi accedente lumine fidei in rebus conditis Triados vestigia, sed, quoniam quidquid creatum est cum sola omnipotentia necessario connectitur, Deum omnipotentem aperte demonstrant, non Deum Trinum. Nam quæ videntur Trinitatem referre, non eam exhibent æquiparantia naturalis similitudinis, sed cogitatu mentis divinitus illustratæ. Quod Augustinus eodem libro cap. 20. de Imagine sita in mente hominis cogitante & volente, ita monet: *Veruntamen caveat, ne hanc imaginem ita ei comparet, ut omnino existimet similem: sed potius in qualicunque ista similitudine magnam quoque dissimilitudinem cernat.* Affert præterea multiplex inter has imagines Deumque discrimen: unum cap. VIII. ejusdem libri, quod hæc tria, id est, mens, notitia, & amor, *ita sunt in homine, ut non ipsa sint homo;* cum econtra divinitatis natura ita sit in Personis, ut unaquæque sit Deus: alterum cap. 23. *quod ista Imago, quod est homo, habens illa tria una persona est;* & in Deo tres distinctæ personæ sunt una eademque divinitas: tertium cap. 22. quod homo

adeptus

adeptus intelligendo notitiam, aut charitatem amando, non est hæc, *sed hæc habet;* & Verbum Patris, & amborum Amor sunt eadem Patris substantia. Hisce regulis comparationes omnes cap. 7. lib. VII. pensitabis. Dum enim subit naturalis cogitatio, aut Deum esse intelligentem, aut naturam esse boni se diffundere, aut amicitiam versari inter plures, aut perfectionem esse viventium gignere filium: occurret simul prudens animadversio, solam fidem nobis proponere posse dari verbum ejusdem cum intelligente naturæ, communicari bonum alteri substantia indistincto, dari in consortio amicitiæ indivisibilem Deitatem; reperiri genitum substantialiter à genetante individuum: quæ, priusquam accedat donum descendens à Patre luminum, nec firmiter credi possunt, nec salubriter inveniri, nec veraciter cogitari.

5. Objectio 2. Opp. 2. Antiqui Philosophi naturali lumine divinarum Personarum pluralitatem assecuti sunt. Mercurius Trismegistus fertur hæc protulisse: *Monas genuit Monadem, & in se suum reflexit ardorem.* Commendant Aristoteles, & Pythagoras ternarium numerum tanquam symbolum divinitatis. In Platonis Timæo hoc exponi mysterium, notat in 2. de Præparat. Evangelica Eusebius. In Platonicorum libris multiplicibus rationibus suaderi æternam Verbi apud Patrem existentiam testatur S. P. Augustinus lib. 7. Confess. cap. 9. Meminit Patris & Filii etiam Zoroastres in Magicis. Plura de Christi divinitate, eaque illustria proferuntur in Oraculis Sibyllinis. Potest ergo nativa rationalis creaturæ facultas ad hanc notitiam pertingere.

6. Solutio. Resp. nego ant. Qui enim sub Mercurii nomine circumferuntur libri, suppositi sunt, neque ætatem præcedunt Apostolorum, ut dudum eruditi viri observarunt, Petavius lib. 1. de Trin. cap. 2. Du-Pin in sua Bibl. Tom. pag. 35. omnesque naris emunctæ Critici. In his enim passim occurrunt Evangelii Joannis verba, & Græca explanantur vocabula, cum Mercurius floruerit, quisquis tandem ille sit, antequam vel ipsum Græcorum nomen audiretur. Sed dato genuina esse Opera Trismegisti, dicitur in his Monas genuisse Monadem, id est, unus unum, de productione mundi, qui unus est, & conditus ab uno Deo, usurpato verbo *genuit*, pro creavit more usitato Græcorum. Ternarium numerum Pythagoras, & Aristot. commendant, eumque gentes summa in Sacrificiis religione adhibuerunt, quod cæteris præstantior sit, habeatque principii, medii, ac finis rationem, ob triplicem unitatem. Imo Pythagoras Quaternarium præferebat, in quo solitus erat jurare; & in octavo summam esse perfectionis symbola Sacrorum librorum demonstrant. Plura de his Bongus, qui tamen demonstraturus Ternarii excellentissimam naturam ex quo Christus tertia die resurrexit, & Paulus tertia oratione confortatus est, videtur pueriliter ludere, cum plurima sint etiam Ternarii numeri valde infausta, ut percussio Benadab, confossio Absolom, ac trium dierum, regnante Davide, pestilentia. Neque de se numeri bonum, aut malum portendunt, etsi ratione rerum, quæ numerantur, noceant aliquando, vel prosint.

7. Refutantur Platonici. Platonici potuerunt ex Hebræis nonnulla audire mysteria, sive fuerint ante expeditionem Alexandri aliqui Sacri libri in græcum translati, ut docent viri de Ecclesiastica historia benemeriti Huetius, & Alexander; sive Gentiles Philosophi cum Judæis fuerint conversati: quod de Aristotele scribit Clearchus apud Josephum Flavium in 1. contra Apionem, & Eus. in IX. de Præp. Evangelica cap. 5. & 6. idque de Platone credendum est, quem constat discendi cupiditate majorem orbis partem peragrasse. In libris tamen Platonicis plures distinguuntur gradus divinitatis, Tagaton, sive causam, Demiurgum, & ideam universorum, aliosque Deorum ordines, ut lares & dæmones, uti observant Proclus in Comment. ad Timæum, Macrobius lib. 1. in Somnium Scipionis, & S. P. August. lib. XIII. de Civ. Dei cap. 16. Quamobrem Verbum Dei cognovit quidem Plato, ut ait idem Aug. in VII. Confess. sed inferiorem Tagato divinitate: & ipse: ut arbitror, semina projecit Arianismi. Sunt hujus generis quisquiliæ, quas proferunt è Zoroastre, aut suppositiæ, aut Arianicæ, & fortassis utrunque.

8. Quid de Sibyllinis oraculis. Eadem fere est ratio de Sybyllinis Oraculis, quæ spuria censent, non solum Blondellus, Markius, Oudinus, Vossius, Clericus, sed etiam Possevinus, & alii complures, qui Auctorem in tempore Hadriani, aut Commodi, & citius etiam ruminant; & quamvis carmina Sibyllarum à XV. viris Romæ asservata omnes fateantur, quæ tamen nunc extant notis innumeris apparent post ætatem Apostolorum consarcinata. Nil ergo mirum, si Filium Dei Christum prædicant. Quod si cum Hugone Grotio con-

contendas versus Sibyllarum esse à Judæis editos Græco idiomate, etsi falsa est hæc opinio, sequitur Religionis arcana fideles tantummodo prodidisse. Si demum servari adhuc vaticinia Sibyllarum existimas; his mysteria prænoscere divinitus concessum est. Ait enim in 1. adversus Jovinianum beatus Hieronymus: *Sibyllarum insigne virginitas, & virginitatis præmium divinatio.*

Opp. ultimo: Quod non demonstratur impossibile, demonstratur possibile: Mysterium Trinitatis non demonstratur impossibile: Ergo demonstratur possibile. Resp. dist. ma. Si demonstrari possit, habeatque in humana mente notionem aliquam & ideam, conc. si nulla ejus prænotio, aut idea succurrat menti, nego. Porro, revelatione secluſa, nulla occurrit individuæ Trinitatis perceptio, ideoque nullo nisu potest naturalis ratio illius possibilitatem evincere. 9. Objectio cum solutione.

CAPUT II.

Quinam sit divinarum Processionum numerus, & quale principium.

SUMMARIUM.

1. & 2. habentur aliqua notanda circa statum quæstionis.
3. Ostenditur, dari in Deo verum aliquod generationis, & spirationis principium.
4. & 5. diluuntur opposita.
6. Asseritur, solam hypostasin, aut relationem non esse principium D. processionum.
7. Solvitur objectio.
8. Defenditur, nec solam naturam esse Principium D processionum.
9. Propugnatur, non esse in Deo admittendum aliquod principium *quo* à principio *quod* sensu *complexo* distinctum.

à num. 10. usque ad 13. expediuntur aliorum placita.

à num. 14. usque ad 20. satisfit objectionibus.

Processionum D. quis numerus & principium.

Hoc *Processionis* vocabulum, quod specialiter aptatur Spiritui Sancto, ampliori significatione etiam Filii generationem complectitur: unde *Processio* nihil est aliud, quam origo unius divinæ Personæ ab alia. Hanc immanentem esse, substantialem, ac necessariam fides docet, ut naturalem illam & incommutabilem nativitatem & spirationem secernat quisque à libera & contingenti productione creaturarum. Et *processiones* in Deo esse admittendas, satis superque lib. VII. demonstravimus; ibique refutavimus argumenta, quibus Heterodoxi conantur evincere, aut unius substantiæ unam esse personam, aut unius processionem ab alia naturam evertere divinitatis. Hæc cap. 6. & 10. fuerunt exagitata. Non videtur ergo in hac quæstione immorandum: neque recudenda sunt, quæ obstare videntur ob rationem principii, *entis* à se, & essentiæ *irreceptæ*; cum in Filio & Spiritu Sancto non temporis diversitatem, non dependentiæ rationem, non esse productum à causa, sed solam discrepantiam originis profiteamur.

Ex eodem libro septimo constat duas tantum in divinis admittendas esse *Processiones*, hoc est, Generationem Filii à Patre, & Spiritus Sancti originem ab utroque. Cur vero Filius generare non debeat, nec in Deo admitti debeant plures his intrinsecæ emanationes, neque dentur divinorum attributorum termini intrinseci substantiales; cur etiam Spiritus Sanctus neque spiret, neque generet, diximus in resp. ad argumenta Wolzogenii citato cap. 7. & 10.

1. Quodnam principium harum Processionum.

Remanet ergo videndum quodnam sit harum *Processionum* principium, an natura, an hypostasis, an utrumque. Nomine autem principii intelligimus id, in quo sita est ratio potentiæ generandi, aut spirandi. Aureolus dist. VII. q. 1. art. 2. nullam istiusmodi activam potentiam agnoscit præter connexionem & non repugnantiam terminorum, qualis est potentia, qua Deus potest esse Deus, homo homo, brutum brutum. Doctores alii putant distinguendum esse inter principium *quod*, & principium *quo*; & illud quidem esse Personam subsistentem, non est qui vertat in dubium. At de principio *quo* dissentiunt ab invicem. Statuit Durandus principium *quo* in sola natura, quatenus est fœcunda etiam præconcepta ad intellectionem, ac volitionem: quam sententiam appellat Ludovicus Bancel errorem in fide. Quidam cum Dionysio Carthusiano, ac D. Bonaventura reponunt hoc principium in sola relatione, sive personali proprietate. Thomistæ, quibus subscribunt Juenin, Tournely, Habert, Boucat, Florez, præter turbam veterum, recentiumque, constituunt illud in intellectu & voluntate, quatenus connotant relativum, scilicet, rationem constitutivam Personæ. Nonnihil ab his discrepant Scoti asseclæ, qui

cum

cum animadvertant intelligendi & volendi actus esse tribus personis communes, actus alios *formaliter* diversos invenerunt, in quibus Verbi generationem, & spirationem arbitrantur consistere, quorum unum *dictionem* appellant, alterum *spirationem*. Conveniunt autem utriusque partis Theologi, quod præter principium *quod*, ideſt personam, aliud principium *quo*, qualecumque demum sit, contentiose propugnant aliqua ratione à natura distinctum, quam etiam principium *quo* remotum esse non diffitentur.

2. Enunciationes probantur.

Nos, qui distinctionem omnem intrinsecam à simplicissima natura Dei eliminavimus, priusquam nostram proferamus opinionem, prænotamus, probare nos enunciationes hujusmodi: *Essentia est virtus generativa Dei*, quæ sunt verba Cyrilli in 1. Thesaurorum cap. 7. &, *Divina natura est generativum principium, quo Pater filium generat*: ut sess. 18. Florentini Conc. ait Joannes Theologus; necnon, *Verbum gignitur intellectu, vel dictione Patris*, pluresque consimiles. Quis enim hæc esse apud PP. usitatissima ignorat? quis hæc non pronunciat? Sed cum propositiones illæ duplicem sensum admittant, *complexum* nempe, atque *incomplexum*, utrumque dicimus esse exponendum. In exemplo sit: hæc enunciatio, *Filius genitus est è Patris substantia*, aut, *Filius est Verbum ac Sapientia Patris*, hunc sensum habet, quem placet cum nostro Ariminensi appellare *incomplexum*, Filius est genitus à Patre, qui est sua substantia, suamet sapientia; & sensum hunc admittimus, & traditum novimus ab Augustino, qui frequentissime docet Patrem esse quidquid est, substantiam, vitam, intellectum, &c. ut pluribus demonstratum est lib. 11. cap. 3. Sed habet præfata enunciatio alium sensum *complexum*, & formam quamdam Patri generanti superaddit, ideſt, Filius gignitur è substantia, quæ est aliquid à Persona Patris distinctum; sive procedit per intellectum, qui est potentia hypostasi superaddita: & sensum istum respuendum esse censemus, tanquam divinæ oppositum simplicitati. Hæc autem, licet citati cap. 3. libri 11. sint consectaria, variis nunc assertionibus explicabuntur.

3. Principium generationis & spirationis affirmatur. Probatur contra Aureolum.

Propositio I. Datur in Deo verum aliquod, ac proprium generationis, & spirationis principium.

Adversus Aureolum sic breviter probatur. I. Pater non constituitur in ratione Patris hoc solo, quod Filius non repugnet, sed quod illum revera generet; Ergo præter non repugnantiam terminorum, aliquod generationis principium admittendum est. Prob. ant. PP. testimonio, ac ratione. Etenim S. P. August. in v. de Trinit. cap. 14. *Pater*, inquit, *ad Filium principium est, quia genuit eum.* Igitur Filius est à Patre per veram generationem, non per solam non repugnantiam. Tum, generatio est actus principii Filium producentis: In Deo est generatio: Ergo actus principii Filium producentis in Deo est; & quomodo vera negari generatio non potest, ita nec proprium generationis principium. II. Non repugnantia probat in Deo aliquid esse *illative* tantum & argumentatione logica, non per originem, ac naturali generatione: Atqui Filius est à Patre non *illative* tantum, sed substantiali generatione & origine: Ergo non est principium Filii sola non repugnantia. III. Quælibet potentia, quæ refertur ad terminum à se productum, est vera potentia: Principium generationis Verbi refertur ad terminum productum: Ergo principium generationis Verbi est vera potentia.

4. Objectio cum solutione.

Opp. 1. In Patre non est potentia, ut se faciat Patrem; Ergo in Patre non est vera potentia, qua generet Filium. Resp. dist. ant. Non est in Patre potentia ut se faciat Patrem & generet, ea potentia quæ est ad actum, concedo: ea potentia, quæ est ad terminum, nego. Potentia ad actum est, qua potest quispiam sibi dare perfectionem aliquam, ut homo potens intelligere valet prodire in actum, & dare sibi eam, qua carebat, formam intellectionis: quæ potentia, uti supponit rem mutabilem, ita Deo videtur indigna. At potentia ad terminum tantummodo est illa, quæ nullo superveniente actu ex parte principii, dat termino aut existentiam, aut perfectionem, qualis est potentia mundum procreandi, & in Patre sempiternum Filium gignendi: quæ quidem, si est potentia ad terminum extrinsecum, & creatum infert in eo finitatem ac dependentiam, ut in mundo: si ad terminum intrinsecum & procedentem, solam relationis originem, ut in Filio.

5. Objectio cum solutione.

Opp. 2. Potentia productiva Filii est perfectio *simpliciter*: Ergo si in Patre sit vera potentia Filii productiva, erit in Patre perfectio *simpliciter simplex*, quæ non invenitur in Filio.

Resp. dist. ant. Potentia productiva Filii est perfectio *simpliciter*, & *incomplexe* significabilis, ideſt, penitus indistincta à perfectione substantiæ Patris, conc. Est perfectio *simpliciter*, & signifi-

ficabilis *complexe*, scilicet, forma aliqua superaddita Patris substantiæ; nego ant. & quod inde consequitur. Nam cum Filius habeat eamdem cum Patre divinitatem, habet etiam omnem perfectionem illius, & licet Pater non sit, est tamen eadem bonitas, quæ est Pater.

6. Principium non est sola hypostasis aut relatio.

Probatur.

Propositio II. Principium divinarum processionum non est sola hypostasis, aut relatio.

Enimvero, ut Anselmus ait in cap. 54. Monologii, *Non ex eo procedit, in quo plures sunt Pater, & Filius, sed ex eo in quo unum sunt.* Videlicet, principium generationis debet etiam complecti naturam, quæ in ambobus est una, cum Filius ratione generationis procedat ut Deus: Ergo relatio aut personalitas, si naturam sejunxeris, non est completum generationis principium.

7. Objectio cum solutione.

Oppones: Relativa proprietas est Patri principium essendi *personaliter*: Ergo est etiam principium *personaliter* operandi. Resp. dist. ant. Relativa proprietas est principium essendi *incomplexe* significabile, quod est ipsamet natura cum termini connotatione, conc. Significabile *complexe*, & naturæ adventitium, nego.

8. Sola natura non est principium.

Propositio III. Sola natura non est principium processionum divinarum.

Liquet; nam quiquid rribus personis commune est, illarum nequit esse principium: Natura personis communis est; Ergo natura nequit illarum esse principium. Hinc juremerito IV. Lateranense Concilium celebratum anno 1215. definivit contra Abbatem Joachim, quod *Essentia non est generans, neque genita, neque procedens: sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, Spiritus Sanctus qui procedit.*

9. Principium quo non admittitur.

Propositio IV. Non est in Deo admittendum aliquod principium *quo* à principio *quod* sensu *complexo* distinctum.

Demonstratur propositio argumentis quidbusdam communibus, postea particularibus contra aliorum opiniones. Sunt autem communia, & quæ simul Durandi, Thomistarum, & Scoti opinionem impugnant, hæc tria. I. Si forma aliqua aut substantialis, aut accidentalis divinitus separata consistat, & simplex sit, nec per aliam perficiatur, est sola principium & *quod* producit, & *quo* producitur: concreta vero ideo forma, & principio *quo* operantur, quoniam simplicia non sunt, & adveniente potentia & facultate complentur. At Deus Pater, cum majori simplicitate ac perfectione præditus sit, quam forma quæque creata, est ipsa sua potentia, ipse suus actus, neque ulla adventitia qualitate perficitur. Frustra igitur in Patre duplex principium admittitur. II. Principium *quo* aut est Patri intrinsecum, aut extrinsecum: non extrinsecum, cum nullum tale in Deo locum habeat: non intrinsecum, dum nulla forma, *entitas* nulla sit à Paternitate distincta. Igitur nullum est hujusmodi principium *quo*. III. Nisi Pater per se primo, absque principio alio gigneret filium, non esset ipse absque omni principio, quod enim operatur per aliquid aliud, recipit *aliqualiter* esse, ut anima à mente, qua percipit, fit rationalis, ignis à qualitate, qua agit fit calidus; idque præsertim in Adversariorum sistemate, qui distinguunt potentias ab anima, atque proprietates à forma. Ergo si in Patre principium *quo* in sensu *complexo* constituatur, recipiet Pater entitatem aliquam; nec erit, ut firmissime creditur, principium sine principio.

10. Explicatio principii quo.

Breviter nunc aliorum placita expedio. Principium *quo* non est, ut opinabatur Durandus, natura sine intellectione, & voluntate: non est intellectus & voluntas, ut docent Thomistæ, neque ut placet Scotistis, *dictio* & *spiratio*: Ergo nullum. Probat. ant. contra Durandum: Filius est Verbum Patris, Dei ratio, idea rerum universarum, & Theologi ac Patres comparatione verbi mentis nostræ æternam exponunt generationem: Igitur Filius procedit ex mente, & intellectu Patris, aut, à Patre, qui est sua mens, sua potentia, sua cogitatio.

11. Probatur contra Thomistas.

Probatur contra Thomistas. Quodcunque principium generationis debet à Genito distingui: Neque intellectus, neque natura distinguuntur à Genito: Ergo neque intellectus, ueque natura esse possunt generationis principium. Atque hæc ratio confirmatur allata definitione Lateranensis Concilii. Respondent tamen primum, non esse distinguendum à termino principium *quo*, sed duntaxat principium *quod*: deinde, naturam, intellectum, voluntatem esse quidem principium, sed quatenus *modificantur* relatione, & personali proprietate. Verum adversus priorem responsionem arguit Gregorius Ariminensis. I. Nequit excogitari principium, qualecunque illud sit, nisi sit principium alterius: quodlibet enim principium alterius, non sui principium sit, est necesse; Ergo si principium *quo* est principium, alterius non sui debet esse principium, & consequenter & istud à principiato distinguitur. Præterea S. Thomas q. 41. art. 5. demonstraturus potentiam gene-

ran-

randi non esse relationem, sed essentiam, *Illud*, inquit, *proprie dicitur potentia in quocunque agente, quo agens agit*: Ergo fatetur principium, quodcunque illud sit, referri ad alterum: & argumentum, quo utitur, videlicet, *Omne producens producit sibi simile, sed Filius Dei similatur Patri in natura, igitur natura Divina est in Patre potentia generandi*; argumentum, inquam, istud posset hoc modo inverti: Natura Divina non producit sibi simile: potentia generandi est actio producens simile: ergo natura Divina non est potentia generandi. Me non fugit, nobilissimos Thomistas reponere, confundi à me inani verborum involucro principium, potentiam, generationem. At me satis munitum arbitror, si repetam in simplicissima divinitate idem esse generationem ac potentiam & principium, principium & personam, personam & substantiam: & principium generationis esse Patrem, qui est ipsa sua natura, ipsa sua generatio, non quidem absolute, sed comparate ad terminum subsistentem, hoc est, ad Filium.

12. Explicatio ulterior. In altera autem responsione paullulum sistendum est. Nam hoc D. Thomæ assertum, *Natura & intellectus sunt principium generationis, quatenus in obliquo significant relationem*; aliquo sensu verum est, aliquo falsum. In sensu *incomplexo*, quo significatur principium generationis esse Patrem, qui est sua natura, sua mens, sua voluntas, enuntiatur rectissime; quippe neque nos excludimus naturam, & intellectum à ratione principii, si dicimus principium generationis esse Patrem, qui est sua mens & substantia. At in sensu *complexo* superius exposito non potest assertum illud admitti; cum & nulla detur potentia superaddita hypostasi, & omne principium sit alterius, non sui, & distingui debeat à principiato.

13. Contra Scotistas. Adversus Scotistas præter ea, quæ hactenus dicta sunt, militat, quod in Deo *nihil aliud est apud se dicere, & apud se cogitare*, ut ait lib. 3. ad Monimum Fulgentius, & frustra Subtilis Doctor actus *notionales* multiplicat. Quod si velis appellare *dictionem* actum intellellectionis paternæ prout refertur ad Verbum, liceat per me quidem: sed erit revera principium Filii sapiens Pater, cui idem est esse quod sapere; & terminus generationis Verbum, & sapientia Patris, cui idem est esse sapientiam & prolem, cum in Deo sit vere una simplex essentia, quomodo explicat lib. VII. de Trinitate cap. 1. Augustinus.

AD QUÆDAM IN CONTRARIUM OBJECTA.

14. Objectio. Opp. 1. Si principium generationis esset quidquid est Pater, foret generationis principium Divina quoque natura. At hæc nec est generans, nec genita, ut definivit Lateranense Concilium. Ergo principium Divinæ generationis nequit esse quidquid est Pater.

15. Resolutio. Resp. dist. min. Divina natura non est generans nec genita, si accipiatur *incomplexè*, id est, pro Persona, quæ est suamet natura, & prout relative dicitur; nego. Si accipiatur *complexe*, quatenus superadditur personæ, & prout dicitur absolute, conc. minorem, & nego *suppositum*, quoniam natura ista communis non est aliquo modo intrinsece distincta à personis, sed est, ut ait Concilium Lateranense, *Pater qui generat, Filius qui gignitur, Spiritus Sanctus qui procedit*. Itaque animadverte Abbatem Joachim non veram, & propriam unionem admisisse inter naturam & personam, sed collectivam tantum, & similitudinariam, unde quaternitatem adstruebat in Deo, videlicet tres personas, & illam communem essentiam, quasi quartam. Existimabat ergo Essentiam, seu naturam tribus personis communem esse principium generationis in Patre, & terminum generationis in Filio, id est esse generantem & genitam, in sensu *complexo*, & quasi esset in Deo quaternitas, scilicet hæc natura distincta à personis. Quæ doctrina blasphema est, & hæretica, & confoditur à memorata Synodo hac definitione: *in Deo Trinitas est solummodo, non quaternitas, quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura Divina, quæ sola est universorum principium, præter quod aliud inveniri non potest. Et illa res nec est generans, neque genita, nec procedens: sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, Spiritus Sanctus qui procedit, ut distinctiones sint in personis, & unitas in natura.* Neque aliam causam definitionis istiusmodi affert sacra Lateranensis Synodus, nisi, *quod una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres simul personæ, ac singulatim quælibet earumdem.* Quisquis ergo præjudicia Scholæ velit abjicere, fatebitur nullam sententiam magis cohærere præfatæ definitioni, quam nostram. Etenim hæc docet essentiam communem non esse generantem, nec genitam, nec procedentem: docet nullam

lam dari veluti quartam rem, aut formam, quæ sit divinarum processionum sive terminus, sive principium: docet generare Patrem, gigni Filium, procedere Spiritum Sanctum, qui sunt eadem essentia: docet hanc ineffabilem & incomprehensibilem Trinitatem talem esse non propter intrinsecam aliquam distinctionem aut *formalem*, aut *virtualem*, sed ex eo quod in Deo quædam summa res est, videlicet essentia, præter quod aliud principium inveniri non potest; sive ex quo Deus sit summa res, quæ est Pater generans, Filius genitus, Spiritus Sanctus procedens, nullam in illis ac inter illos dari distinctionem, præter Personalem ac relativam, nec rationem *formalem* principii quoquo modo distincti à personis superinducit. Docet denique naturæ & essentiæ vocabula, quæ absolute dicuntur, non significare principium & personam, quæ nomina sunt relativa, tametsi persona, principium, & natura sint una res summa, simplex, incomprehensibilis.

16. Objectio 2. Opp. 2. Divina essentia absque intellectu & voluntate fæcunda est; non ergo hæc attributa *processionum* divinarum debent constituere principium. Ant. prob. tum exemplo naturæ humanæ, quæ fæcunda est se ipsa, cum ratione intellectionis, quæ non est suapte natura ullius termini productiva.

Solutio. Resp. nego ant. & quod à Durando in hac argutatione supponitur: non enim natura Dei, quæ est res summa atque simplicissima, aliud est à voluntate & intellectu, nisi figmento humanæ cogitationis. Ad probationem vero dicendum, in natura humana aliud esse potentiam generandi, aliud facultatem intelligendi ob eamdem rationem, videlicet, quia non est res quædam summe simplex, in qua & natura & intellectio sint idem. Creata pariter intellectio nequit esse substantialis termini productiva, propterea quod non est eadem natura, ut in Deo, sed accidentalis perfectio substantiæ rationali adventitia.

17. Objectio 3. Opp. 3. Si Filius vi suæ processionis est Verbum, & Spiritus Sanctus est amor, quomodo Scripturæ, Patres, & universi Theologi profitentur, oportet ut Filius per intellectum procedat, Spiritus Sanctus per voluntatem, neque voluntas sit per se principium generationis, nec intellectus spirationis. Ergo cum florentissima Thomistarum Schola hæc duo principia *virtualiter* à natura distincta debent propugnari. Probatur ant. primo quia in hac tantum sententia assignatur ratio, cur in Deo sint duæ *processiones* tantummodo, generatio, & spiratio. Cum enim spiritualis substantiæ duæ dentur operationes *ad intra*, hoc est intelligere, & velle, & una opus sit intellectus, altera voluntatis, ex illa verbum, ex ista autem sit amor: quid ad percipiendum Trinitatis arcanum, atque ad explicandum *processionum* divinarum discrimen aptius & commodius proferri potest, quam duplex illud principium *quo*, virorum doctissimorum suffragio probatum? Præterea, si utraque *processio* intellectum & voluntatem pari ratione complectitur; quare *notionalia* Filii nomina sunt Verbum, ratio, sapientia, aliaque hujusmodi quæ ad intellectum comparantur, Spiritus vero appellatur amor, & charitas comparate ad voluntatem, & non vicissim, Filius Amor, Spiritus Verbum communi appellatione dicuntur?

18. Solutio. Resp. nego ant. si τὸ *per* reddat sensum *complexum* supra explicatum: intellectus enim & voluntas eadem summa res est cum natura, & qualibet persona; nec ille est principium Filii, nisi sensu *incomplexo*, prout principium Filii est Pater, qui est suamet intellectio, nec voluntas est principium Spiritus Sancti, nisi hoc sensu, quod Pater & Filius, qui sunt unum Spiritus Sancti principium, sunt summa illa res, quæ est sua voluntas. Ad probationem principio fatendum est, non posse imbecillitatem ingenii mei apertissimam causam reddere, cur in Divinis duæ sint *processiones*, & una sit generatio, altera non, nec satis percipere quomodo sola *virtualis* distinctio realem Verbi, & Spiritus Sancti explicare valeat distinctionem, & quod fides mysterium appellat incomprehensibile, firmissima tamen confessione tenendum, aut tanta facilitate exponatur, aut in Thomistica distinctione, quam negat magna pars Theologorum, sit tanta confidentia locandum. Deinde, cum his non acquiescant homines nimium ingenii viribus indulgentes, dico intellectionem esse opus unius mentis cogitantis; charitatem, ut inquit Homil. 17. Gregorius, *versari inter duos*, Quare sine Thomisticæ distinctionis adminiculo distinguo hanc Propositionem, Dantur duæ operationes *ad intra*, intelligere & velle, unde procedunt Verbum, & Amor, si intelligere & velle accipiantur *complexe*, ita ut sint principium *quo* hypostasibus superadditum, nego; sunt enim Divinæ personæ suum intelligere, & suum velle: si accipiantur *incomplexe*, ita ut intelligere sit generatio Patris, qui est sua mens, & velle spi-

spiratio Patris & Filii, qui sunt suamet voluntas, concedo. Petenti vero cur Filius, qui est à Patre, non sit Amor, si Pater est sua voluntas, pro modulo infirmitatis meæ respondeo, Non est amor, quia minus quam inter duos charitas esse non potest; ideoque Amor debet procedere à voluntate quæ sit voluntas duorum, hoc est, à Patre & Filio qui sunt una voluntas. Atque petenti quare Spiritus Sanctus non est Verbum, si procedit à Patre & Filio, qui sunt eadem intellectio, pariter respondeo, Non est Verbum, quoniam istud unius intelligentis est opus, & consequenter Verbum ab uno intelligente procedit, videlicet ab uno Patre, qui est sua intellectio. Ita ergo sine ulla virtuali distinctione consistit Trinitas ineffabilis.

19. Objectio ultima. Opp. ultimo: Pater & Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, non ratione personæ, sive hypostaseos, sed propter eamdem virtutem spirandi, ut diximus lib. VII. cap. XVIII. ad 5. Ergo necessario ponendum est unum principium, *quo* ambo spirant à personis distinctum.

20. Solutio. Resp. nego consequentiam; nam Pater & Filius sunt eadem substantia, eademque virtus spirandi, & licet distinguantur hypostasi, nulla ratione distinguuntur intrinsece aut virtute, aut natura, unde petitur ratio principii: quod ibidem exemplo creationis explanatum est. Neque enim valet hæc argutatio: Personæ quæ spirant distinguuntur, principium spirandi est unum, ergo principium spirandi aliud est à personis: alias valeret hæc quoque blasphema consecutio: Personæ distinguuntur realiter, principium spirandi unum est, ergo principium spirandi distinguitur à personis, quæ spirant, realiter. At hoc genus argumentorum ea ratione dissolvitur, quod personæ spirantes dicuntur adinvicem *connotative* & oppositè, non propterea quod sunt spirantes, sed quia una est generans, & alia genita: & inter personas quæ spirant & principium spirandi nulla intervenit oppositio. Oportet ergo, ut quemadmodum Pater & Filius sunt una natura, ita sint unum principium spirandi: & in hac enunciatione, Pater & Filius spirant per voluntatem, sensus teneatur *incomplexus*: quod satis monui.

CAPUT III.

Solam *processionem* Verbi esse generationem, sed hujus rei causam apertissimam non proferri.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. 3. 4. & 5. Propugnatur, non posse à nobis evidentem rationem reddi, cur solus filius sit genitus.
6. 7. & 8. Asseritur, laudandos esse Scholasticos, quod illustrarint diversis in aliquo sensu veris sententiis D. processiones.

1. Processio verbi generativa non est aperte. ET *processionem* quidem Verbi generationem esse ostendit caput IX. libri septimi. Spiritum Sanctum vero non esse Filium Catholica fides docet, quam demonstrat. Joan. cap. 1. v. 18. affirmans Filium Dei *unigenitum* esse: Augustinus in v. de Trinitate cap. VI. scribens, *Spiritum Sanctum non esse filium, nec genitum*: Ecclesia demum universa, quæ in Symbolo dicto Athanasii confitetur Spiritum Sanctum esse à Patre, & Filio, *non factum, nec creatum, nec genitum, sed procedentem.* Quare autem sola *processio* Verbi generatio sit, Theologi pluribus conantur exponere. Sunt qui Filium genitum esse docent, quod procedat ab uno; nullus quippe Filius duos Patres habere potest: quam rationem ex Augustino, utpote planiorem, protuli lib. VII. cap. XIV. in respons. ad penult. argumentum. Recurrunt Thomistæ ad suum principium *quo*, affirmantes Verbum esse egnitum, quia procedit per intellectum, cujus operatio est productiva imaginis, & pro hac sententia multa afferuntur à Petavio lib. VIII. de Trinit. testimonia PP. qui Filium appellant genuinum mentis fœtum, explanantque Divinam generationem exemplo verbi humana intellectione producti. Aliqui cum Augustino in v. de Trinit. hanc reddunt causam, Spiritum Sanctum non esse filium, quod exierit à Patre non quomodo natus, sed quomodo datus. Docet Richardus Filium esse genitum, quoniam est secundum naturam, quam accipit à Patre fœcundam, id est cum virtute spirandi tertiam Personam, quæ cum nullius principium sit, non procedit à Patre in similitudinem naturæ. Vasquesius ait Verbum esse genitum, quo-

quoniam Verbum per intellectum procedens perfecte Patrem repræsentat, adeoque est ejusdem imago; quam sententiam videtur etiam probare S. P. Augustinus Tract. 48. in Joannem dicens: *Quia Verbum, ideo Filius.* Suares hoc discrimen assignat, quod intellectio est Divinæ naturæ differentia specifica, & consequenter Verbum ex intellectione procedens habet originem à Patre in similitudinem naturæ. Nonnulli cum Anselmo cap. 55. Monologii arbitrantur Spiritum Sanctum non esse genitum, propterea quod procedit à duobus, & dicitur donum: donum vero potest esse simile, vel dissimile; quæ differentia parum differt ab ea, quam affert. August. lib. v. de Trinit. cap. 14. Gregorius de Arimino probat spirationem, & generationem distingui *formaliter* se ipsis, sed non posse causam in hac mortalitatis caligine investigari: atque hoc postremum ex recentioribus existimat altitudini hujus mysterii magis congruum etiam Tournely, quamvis principium *quo* explicet cum Thomistis. Demum Franciscus Henno, aliique Scotistæ tradunt Spiritum Sanctum non procedere per modum naturæ, quod voluntas non sit agens naturale, sed voluntarium ac liberum libertate essentiali, etiam respectu *processionis* Spiritus Sancti. Aperiemus autem mentem nostram sequentibus positionibus.

2. Non est evidens cur solus filius genitus.

PROPOSITIO I. Cur solus Filius sit genitus, reddi à nobis evidens ratio non potest.

Probatio ex Patribus.

Id Patres, ut cavillationes redarguerent hæreticorum, ac nos commonerent coercendam esse in Fidei mysteriis hymanæ mentis audaciam, luculentissime tradiderunt. *Quomodo genitus est?* ait Orat. 1. de Filio Nazianzenus, *Dei generatio honoretur silentio.* Clamat Ambrosius libro VI. in Lucam, *Non licet discutere quomodo natus sit.* Basilius, *Modus processionis inexplicabilis est*, inquit lib. de Spiritu Sancto cap. 18. *Ecce respondeo sive capias, sive non capias. De Patre est Filius: de Patre est Spiritus Sanctus; sed ille genitus, iste procedens. Quid autem inter nasci, & procedere intersit, de illa excellentissima natura loquens explicare quis potest?* Ac subinde: *Distinguere inter illam generationem, & hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio:* hæc magnus Augustinus in III. contra Maximinum cap. quartodecimo.

3. Probatio ex ratione Theologica.

Accedit Patrum auctoritati Theologica ratio. Non debet exigi Catholica fides ad infirma, dubia, & minus valida momenta. At qualecunque discrimen proferas inter generationem, processionemque Divinam, non liquidum est, sed incertum, dispar, & parum enucleatum. Non ergo huc fides detrahi debet Catholica, ut quis manifestam aliquam discrepantiam afferre præsumat. Minorem probo: ac primo, quoniam magnæ notæ Theologi præfatas omnes opinationes rejiciunt: alii unam amplectuntur, quam cæteri improbant: & qualemcumque præferas, singularis erit, non communis & certa.

4. Opiniones expendun-tur.

Singillatim nunc easdem opiniones expendo. Prima, quæ docet Spiritum Sanctum non esse genitum, quod non procedat ab uno, hanc patitur difficultatem; quod si productum eodem prorsus modo sit à duobus, non evidens assignatur ratio cur ejus productio discrepet à productione alterius, qui est duntaxat ab uno; quippe eodem penitus modo producitur ignis, si ab uno igne generetur, quam si à duobus, non enim productionem immutat plurium causarum concursus: & ideo nequeunt duo homines eumdem gignere filium, quoniam neque eamdem naturam habent, neque eamdem numero actionem. Recte tamen hanc discriminis rationem attuli contra Wolzogenium, quoniam deprimenti generationem divinam comparatione generationis humanæ, humanis quoque exemplis respondendum videbatur: at subinde monui, definire quid intersit inter generationem Verbi, & processionem Spiritus Sancti negotium esse perdifficile, ut simul altitudinem mysterii, & arrogantiam ostenderem hæreticorum. Neque firmior videtur Thomistarum opinio: quamquam enim voluntas, ut abstrahit ab humana & Divina nil producat nisi pondus, & inclinationem, non video quomodo hæc logica præcisio demonstret non esse assimilativam voluntatem Dei infinitam, & quæ idem est realiter cum intellectu & natura. Aliquin si ad hanc præcisionem deveniendum est, nec Verbum procedens per intellectum erit Filius, quandoquidem intellectus, ut abstrahit à creato, & increato, non realem imaginem producit, sed tantum intentionalem. Quo argumento pugnant contra Thomistas quamplurimi, & meo quidem judicio non male. Mihi tamen aliunde ea sententia improbatur, quia scilicet fundatur in duplici illla principiorum ratione, quam arbitror commentum esse Scholasticum. Opinio tertia nec ipsa videtur evidens, quippe si Filius nequaquam generat;

non

non recipit naturam fœcundam ea fœcunditate quam habet Pâter, quæ est ad generandum. Porro Vasquesius recte affirmat Filium esse Verbum, genitum, ac Patri similem, sed quare Spiritus Sanctus, qui est similis, non sit imago, & quomodo consistat vera similitudo absque imagine, contemptor ille aliarum opinionum minime probat; & à Suaresio viro domestico singularis doctrinæ, ac modestiæ viro ejus doctrina rejicitur. Nec tamen Suaresius ipse nobis satisfacit, quin claudicat utroque pede; & dum statuit naturæ Divinæ differentiam specificam in intellectione, & dum constitutivum metaphysicum ac logicum cum physico realique confundit. Verbum esse natum, & Spiritum Sanctum esse donum, quæ altera sententia est, nullus dubitat; sed illud controvertitur, quare tertia persona sit data, non nata: unde qui eo confugiunt, nubi nubem obducunt. Scotistis ideo assentire non possumus, quod *dictionem* ab intellectione distinguant, & *formalitatibus* suis nimis credant. In Henno tandem nec istud placet, quod voluntas sit agens liberum libertate essentiali etiam respectu *processionis* Spiritus Sancti. Si enim liberum appellas quidquid non agit coacte, etiam Filius procedit per voluntatem: si liberum putas, quod agit indifferenter, neque Spiritus Sanctus voluntarie procedit; si Patrum sensa probentur, quæ cap. IX. libri VII. in quarta oppositione sunt explicata. Neque admitto, voluntatem esse *agentem*, cum sit proprietas absoluta, & à Spiritu Sancto indistincta: omne vero agens ad aliud, cujus principium est, referatur.

5. Demonstratio. Ex his vero ita propositio demonstratur. Nequit manifesta ratio proferri de re, quam Patres vocant inexplicabilem, & Scholastici conantur exponere variis, incertisque principiis: Ita Divinæ *processiones* se habent: Ergo nequit divinarum *processionum*, & discriminis earumdem evidens ratio proferri.

6. In aliquo sensu vera est sententia singulorum. PROPOSITIO II. Laudandi tamen sunt Scholastici, qui Divinas *processiones* tanta doctrinarum varietate conati sunt illustrare, & singulorum sententia aliquo sensu vera est.

Prosecutio. Ne quis ex dictis inferat temere in Scholis quæstionem hanc ventilari, aut existimet nefas esse pro humano captu res investigare Divinas, erat hæc thesis subjicienda: quam probo primum, quia Scholastici laudabilem Patrum consuetudinem sequuntur, qui tametsi curiosos terrent, ne divinitatis arcana indagare præsumant, ad illa tamen illustranda plures afferunt comparationes, omniaque fere prædictarum doctrinarum pondera ipsi præbuerunt. Præterea cum hæretici nos sophismatibus, physicisque argumentationibus frequentissime provocent, oportet, ut, quoties-cunque nolunt scripturis, ac traditioni acquiescere, eorum fallaciæ probabilioribus conjecturis refellantur. Ad hæc delectat nos, & ad Dei majestatem contemplandam haud medioeriter trahit creatas illius imagines, licet longe dispares, intueri; & rationem fidei captivando ad lucem inaccessibilem propius accedere.

7. Roboratio. Quod vero inter humani ingenii conatus, qui falsitate subesse possunt, Auctores illi Scholastici veritatem laudabiliter illustraverint, mihi quidem satis est exploratum. Enimvero nihil est in sacris literis manifestius, quam Filium à Patre, & Spiritum Sanctum ab utroque procedere: nec experimento veritas aliqua magis patefit, quam unius Filii unum verum Patrem haberi; quæ prioris sententiæ sunt fundamenta. Quis insuper negare audebit Filium Dei esse Verbum, aut Verbum esse imaginem intelligentis semetipsum, aut Amorem versari inter duo, & proficisci à voluntate? At hæc est doctrinæ Thomisticæ basis. Filium quoque generationem exhaurire paternam, nec aliam personam ab ipso gigni Catholica fides docet; & huic principio nititur Victorinus. Donum esse symbolum duorum se diligentium, & nexum quemdam, & nutrimentum Amoris, quod assumunt alii, communi sensu percipitur. Filium sapientiam & intellectionem Patris, unde proficiscitur Charitas, nemo negabit Vasquesio, vel Suaresio. Concedendum est etiam Scotistis, generationem esse per modum naturæ, & Filium produci à Patre *dictione*, quæ duo vel sola idea generationis & Verbi satis evincit. Ergo Theologi omnes, quos appellant è Schola, quantum ad veritatis substantiam attinet, præclare de hac quæstione disseruerunt.

8. Ultimata resolutio. A pluribus itaque in hoc tantum dissentio, quod rejiciendum puto cum omni intrinseca distinctione famosum illud principium *quo* à personali proprietate distinctum: quod arbitror necti ab his aliquod mentis figmentum cum veritate firmissima: quod mihi datum non est ex verbo mentis nostræ Verbi Dei nativitatem percipere. Cæterum omnes honore maximo prosequor; neque enim me fugit, nemini fuisse concessum solem pingere sine umbris.

CAPUT IV.

Quæritur an Spiritus Sanctus esset alia a Filio persona, si ab eo non procederet.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2 3. & 4. probatur, spiritum S. fore eandem personam cum filio, si ab hoc non procederet.

à num. 5 usque ad 11. respondetur ad Scotistarum fundamenta.

1. An Spiritus S. esset alia Persona, si non procederet à Filio.

NON est prorsus inutilis hæc quæstio, uti quidam opinantur: conducit enim ad magis percipiendam rationem, cur Divinæ personæ realiter inter se distinguantur. Et quidem distingui ob *processionem* unius ab altera docent unanimiter viri Theologi: sed qui foret ablata originis relatione, id inter Scholasticos controvertitur. Propugnant autem affirmativam sententiam Scotistæ, propterea quod, inquiunt, Filiatio, non spiratio activa Filium constituit, adeo, ut seipsa, si per impossibile à ratione spirandi foret divulsa, secundam personam à Patre, & Spiritu Sancto distingueret. Sed opposita sententia communior est futurum in ea hypothesi, ut utraque in unam personam coalesceret.

Quid Gregorius Ariminensis dicat.

Videtur nonnullis, atque etiam Gregorio Ariminensi, non esse hanc hypothesim admittendam, quippe si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, nullatenus esset. Quid autem habere potest inutiliorem logomachiam, quam inquirere, num distingueretur ab alia res, quæ modo est, si forte evaderet nihilum? Probant vero Spiritum Sanctum in prædicta hypothesi non futurum, primo quod sit natura sua donum Filii, ut docet in v. de Trin. Augustinus, nexus ejusdem Filii cum Patre, amborum amor & charitas. At si à Filio non procederet, neque donum ejus esset, neque Amor, & idcirco non esset. Addunt, quod si tollatur causa necessaria & per se, debet tolli etiam effectus: cumque spiratio Filii sit per se principium Spiritus Sancti, nisi hoc detur principium, nec Spiritus Sanctus consisteret. Exemplum quoque afferunt creaturarum, quæ non essent, si ab una tantum persona producerentur, quoniam operationes Trinitatis *ad extra* sunt necessario inseparabiles, eoquod quælibet persona eamdem habeat omnipotentiam: nam constat, uti virtutem creandi, ita spirandi vim Filium à Patre recipere. Hæc autem, ut acuta sint, videntur quæstionem declinare, non solvere, quia Spiritus Sanctus non est tantum donum Filii, nec ab eo tantum procedit, ideoque si non esset à Filio, non esset utique donum & amor duorum, sed esset tamen, reponent Scotistæ, Spiritus Patris, & haberet suum per se principium solum Patrem; quemadmodum si per impossibile à solo Patre produceretur creatura aliqua, non esset quidem opus Trinitatis, produceretur tamen, & esset. Itaque ne videamur difficultatem eludere; admittatur hypothesis, licet sit impossibilis.

Assumptum Scotistarum

Ante quæstionis resolutionem præmittendum est, assumptum Scotistarum, videlicet, Filiatio distinguitur seipsa à spiratione passiva, in nostra sententia verum esse: etenim non datur in Filio, cum sit simplicissima & summa res, proprietas aliqua intrinseca à Filiatione distincta. Sed propter eamdem rationem spiratio est eadem persona Filii, quia in Filio nequit esse proprietas aliqua, quæ non sit Filiatio. Quæ est enim hæc spiratio à Filiatione diversa? Si extrinsecus advenit, Filius inhærentibus qualitatibus subjicitur: si intrinseca est, non est simplex persona Filii, quæ præter Filiationem habet aliam sibi intrinsecam proprietatem. Erit ergo eadem Filii proprietas Filiatio & spiratio: Filiatio quatenus connotat primam personam generantem: Spiratio autem si comparetur ad tertiam. Atque hæc ex nostris principiis, & ex præcedenti capite 11. apertissime consequuntur. Hac itaque cautione assumptum illud Scotisticum & ego approbo.

2. Propositio. Si non procederet, essent una eademque Persona.

PROPOSITIO: Si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, essent una, eademque persona.

Probatur.

Demonstratur 1. Notum est Theologicum axioma: *In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.* Traditum est illud ab Augustino Tract. xxxix. in Joann. his verbis: *Hoc solum numerum insinuant, quod ad invicem sunt:* à Concilio Toletano XI. iisdem omnino verbis: à Florentino sess. xviii. sequentibus: *Est vero secundum Doctores tam Græcos, quam Latinos sola relatio, quæ multiplicat personas*

sonas in divinis productionibus, quæ vocatur originis : & etiam ab Anselmo, quem pro se maxime Adversarii producunt, de processione Spiritus Sancti cap. 11. ubi expresse docet solam oppositionis relationem facere personarum discrimen. *Relationis oppositio,* inquit, *quæ ex eo nascitur, quia supradictis duobus modis Deus de Deo est, prohibet Patrem & Filium & Spiritum Sanctum de invicem dici, & propria singulorum aliis attribui.* Et statim : *Sic ergo hujus unitatis, & hujus relationis consequentiæ se contemperant, ut nec unitas amittat aliquando suam consequentiam, ubi non obviat aliqua relationis oppositio, nec relatio perdat quod suum est, nisi ubi obsistit unitas inseparabilis.* Quæ sunt tam aperta, ut merito Cl. Petavius lib. VII. de Trinit. cap. IX. num. VII. rem miram appellet, à Theologo, qui attente Anselmi legisset verba, affirmari hoc potuisse, beatum Anselmum aliunde repetere divinarum personarum discrimen, quam à relatione oppositionis. Ex dictis vero ita argumentari fas est. Si Spiritus Sanctus non procedat à Filio, non est inter utrumque oppositionis relatio : Si non est inter utrumque oppositionis relatio, nulla est inter eos personalis distinctio : Ergo, &c.

3. Objectio Scotistica. Respondere solent Scotistæ cum Mastrio, utique Divinas personas distingui per relationem, sed in hypothesi satis esset relatio *disparata.* Addit Cardinalis Branchatus, Concilia & Patres loqui de facto, quoniam de facto Spiritus Sanctus originem habet à Filio. At debiliora videntur hæc subterfugia. Primo quoniam non qualemcumque relationem Concilia & Patres commemorant, sed relationem oppositionis, sive originis, & hac sola docent in Deo numerum insinuari. Deinde quia relationes *disparatæ,* si à *processione* segregentur, non sunt ad invicem. Rursus quia *disparatæ* relationes nunc in eadem persona consistunt, in Patre in quo est *paternitas* & *spiratio,* & in Filio in quo est *spiratio* & *filietas.* Ut ergo sunt modo duæ relationes *disparatæ* in eodem principio, propterea quod non opponuntur ad invicem : Ita in hypothesi starent simul in uno termino : eademque persona esset genita & spirata, quomodo persona eadem est spirans & generans. Quæ profecto valent quacunque hypothesi facta. Adde Florentinum Concilium perstringere Græcos, qui negabant procedere Spiritum Sanctum à Filio : at inepte probaret dari hanc *processionem* ex distinctione personarum; si haberi posset absque processione distinctio.

Solvitur.

Præterea demonstratur thesis ratione : Realis distinctio oritur vel à limitatione, vel ab origine unius ab alio : In Deo non potest exoriri a limitatione : Ergo à *processione* unius ab alio tantummodo. Quid vero ad hac Adversarii ? Desumitur, inquiunt, distinctio etiam ab incompossibilitate terminorum. At personæ infinitæ nihil est incompossibile, nisi quod illi opponitur relative. Omnia Pater dedit Filio, excepta *paternitate* : dedit naturam, omnipotentiam, æternitatem, sapientiam ; omnia, inquam. Hæc omnia in una persona sunt, & idem sunt, & unum sunt, quia non referuntur ad invicem. Incompossibile, & non oppositum relative invenio quidem in creatura finita, sed non in Deo. 4 Probatio ulterior.

Ad objecta Scotistarum responsio.

Opp. 1. Si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, adhuc is natus esset, ille datus : Sed hæc est sufficiens ratio distinctionis unius ab alio ; ait enim Anselmus de Spiritu Sancto cap. IV. *Si per aliud non essent plures Filius & Spiritus Sanctus, per hoc solum essent dive si, scilicet, quia alter nascendo, alter existit procedendo.* Et S. P. Augustinus lib. V. de Trinit. cap. XIV. docet Spiritum Sanctum non esse Filium, quia *exit non quomodo natus, sed quomodo datus.* Esset itaque discrimen inter Spiritum Sanctum, & Filium, etiamsi non procederet unus ab alio. 5. Objectio Scotistarum.

Resp. transs. ma. & dist. minorem : Hæc est sufficiens ratio distinctionis Spiritus Sancti à Filio, si datus sit, ac procedat à Filio & a Patre, concedo : si datus & procedens esset à Patre tantum, nego. Beatus Anselmus docet quidem Filium, & Spiritum Sanctum fore diversos per hoc tantum, quod ille existeret nascendo, iste autem procedendo : at nasci & procedere inter se non differrent, si procederet à solo Patre : atque hoc respondet etiam S. Thomas q. 36. art. 2. Quæ & vera esse, & quare illa verborum phrasi dicta sint ab Anselmo, etsi ex dictis possit comprehendi, magis iterum explicabo. Anselmi verba, quæ nobis objiciuntur, sunt in cap. 2. & repetuntur in quarto. In 2. hæc præmittuntur : *Ipsa diversitate nativitatis & processionis referuntur ad invicem, ut diversi & alii ab invicem : & quando substantia habet esse de substantia fiunt ibi relationes insociabiles :* id explicat Anselmus 6. Solutio.

Anselmus exemplo hominis hominem generantis. Tum duos illos modos recenset. Addit paullo post: *Relationis oppositio ex eo nascitur, quia supradictis duobus modis Deus de Deo est.* Est ergo nativitatis, & processionis diversitas ea tantum, qua Filius & Spiritus Sanctus referuntur ad invicem, & ex qua relationis nascitur oppositio. Itaque nisi sit hæc relatio, non erit nativitatis, & processionis diversitas. Cur vero ea phrasi utatur cap. 4. *Si per aliud non essent plures, &c.* evidens ratio succurrit. Agit enim contra Græcos, qui negant Spiritum Sanctum à Filio procedere; & Filium nasci, Spiritum Sanctum procedere confitentur. Illos ex hac eadem confessione revincit, & ita Latinorum dogma propugnat. Sunt, inquit, Filius & Spiritus Sanctus, ut fatemini, plures, quoniam unus est à Patre nascendo, & alter procedendo: Sed non esset hæc diversitas nativitatis & *processionis*, nisi Spiritus Sanctus esset à Filio: Ergo Spiritus Sanctus à Filio est, si unus nascitur, & alter procedit. Audias eodem cap. 4. Anselmi illationem: *Omnimoda igitur, & inexpugnabili necessitate concluditur, quia si vera sunt, quæ supradixi nos pariter cum Græcis credere, aut Filius est de Spiritu Sancto, aut Spiritus Sanctus de Filio.* Nihil ergo manifestius, quam Anselmum diversitatem illam nativitatis, & *processionis* à sola relationis oppositione repetere, atque ex illa diversitate, quam & Latini & Græci fatentur, tanquam ex communi principio Græcorum dogma refellere. Quæ cum ita sint, nemo tam aperte rejicit opinionem Scoti, quam Anselmus. Quid vero Augustinus? In v. de Trinit. cap. 14. Ex quo Filius sit natus, & Spiritus Sanctus datus, infert Filium esse cum Patre unum Spiritus Sancti principium: quomodo ergo Filius tantum natus erit, si Spiritus ab eo non procedat? Addit *quod natum est ad solum Patrem referri:* cur itaque Spiritus non erit Filius, si referatur ad solum Patrem? Sed de priori argumento nimis multa.

7. Objectio 2. Opp. 2. Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, Filius haberet proprium constitutivum, id est, *Filiationem*: Ergo duæ personæ essent distinctæ realiter. Probatur consequentia tum quia idem est constitutivum, & distinctivum; tum etiam quia *Filiatio* distinguitur etiam in nostra sententia à *spiratione* per semetipsam.

8. Solutio. Resp. dist. ant. In hypothesi Filius haberet proprium constitutivum relative oppositum Patri, concedo: relative oppositum Spiritui Sancto, nego ant. & dist. cons. Ergo essent duæ personæ distinctæ, Filius & Pater, conc. Filius & Spiritus Sanctus, nego. Neque persistas dicendo, sola *Filiatio* est constitutivum Filii. Nam loquerisne de *Filiatione*, ut est in mente tua, an de ea, quæ est in Deo? Si de *Filiatione*, ut est in mente tua, ea quidem non est *spiratio*: Sed nullam hinc inferre poteris diversitatem, nisi perceptionum tuarum. Quod si loqueris de *Filiatione*, ut est in Deo, nego quod hæc Filium constituat, sed si castigate velis differere, Filius, cum summa res sit, est quidquid est, sua & natura, & *Filiatio*, & *Spiratio*, atque omnia, sola excepta *personalitate*, quæ ad ipsum refertur. Igitur *Filiatio* à spiratione distincta neque est in Filio, neque Filium constituit, neque cum simplicissima Filii natura potest misceri. *Filiatio* ergo, quæ constituit Filium Dei non est sola *Filiatio*, sed *filiatio* Dei: *filiatio*, inquam, quæ est quidquid est, & illud tantum non est, quod cum ea opponitur relative. Et hæc *filiatio* distinguitur à Spiritu Sancto seipsa, non quod foret distincta etiamsi non esset spiratio; sed quia, cum sit quædam res summa, nequit distingui per formam aliquam superadditam sive extrinsecam, sive intrinsecam.

9. Objectio 3. cum solutione. Opp. 3 Si Spiritus Sanctus non procederet à Patre, distingueretur à Patre. Ergo etiamsi non procederet à filio, distingueretur à Filio. Resp. nego antec. Ait enim in lib. de Process. Sp. Sancti cap. 5. S. Anselmus: *Non potest intelligi Spiritus Sanctus à Patre alius, si de illo non habet esse: sicut Filius per hoc est alius à Patre, per quod est filius ejus, quod non est aliud, nisi quod de ipso existit nascendo.* Quæ mirifice superiorem doctrinam non modo confirmant, sed etiam persuadent.

10. Argumentatio cum solutione. Si vero ita argumentaris: Si Spiritus Sanctus procederet à solo Filio, distingueretur à Patre: Ergo si procederet à solo Patre, distingueretur à Filio: tunc adeo converteris, ut vix impressam orbitam tenere videaris. Num percipere vales, aquam decurrere à fluvio, non à fonte? florem à ramis, & non à radicum fibris emitti? Spiritus ergo procedens à Filio, exiret remote saltem à Patre. Verumtamen dialecticorum more nego consequentiam, & paritatem. Disparitas est, quia Filius non potest esse principium Patris, & consequenter tenet ratiocinium istud: A Filio nequit procedere Pater; ergo non est Pater qui procedit à Filio. Ex alia parte esset in hypo-

hypothesi solus Pater principium Filii & Spiritus Sancti, & per consequens, non recte concluderetur: A Patre nequit procedere Filius; igitur non est Filius, qui procedit à Patre. Sed non videtur etiam atque etiam hoc premendum esse argumentum.

11 Objectio ultima. Opp. ultimo: *Spiratio* activa & *paternitas* sunt productiones duæ, ambæ in suo genere perfectissimæ: debent ergo duplicem habere terminum distinctum reipsa. Nec respondendum est duas illas productiones realiter non distingui, cum unum principium alios, aliosque terminos habere possit.

Solutio. Resp. dist. ant. Sunt productiones duæ cogitatione nostra, conc. sunt duæ reapse, nego: & argumentum retorqueo; hæ duæ productiones *Paternitas* & *spiratio*, cum non opponantur relative sunt una res indistincta; ergo hi duo termini Verbum & Amor essent reapse unus, si non opponerentur relative. Neque hoc argumentamur, quia ab uno principio plures termini prodire nequeant; sed quoniam in summa ac simplicissima re sunt insociabiles plures termini, nisi relatio oppositionis interfit

CAPUT V.

Agitur de relationum Divinarum existentia, numero, ac perfectione.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. & 4. Ostenditur, relationes concretè sumptas esse in Deo realiter, sumptas verò pro aliqua forma non esse res complexè significabiles, benè tamen incomplexè extra animam significabiles.
5. Probatur, relationes concretè spectatas in Deo tantùm esse tres, acceptas autem pro ipso respectu esse quatuor, ita tamen, ut tertia solùm cum duabus præcedentibus sit incomplexè significabilis.
6. & 7. Propugnatur, easdem quomodocunque consideratas dicere infinitam quamdam perfectionem, incomplexè tamen cum D. Essentia significabilem.

De Existentia numero, & perfectione D. relationum. REDEUNDUM est aliquantulum ad primum aditum, & vestibulum Philosophiæ. Didicimus illic relationem esse ordinem unius ad alterum; ut Patris ad Filium, similis ad simile: & hujus ordinis aliquando poni fundamentum in sola natura rerum, quæ dicuntur ad invicem; aliquando in accidente quantitate, vel qualitate. In ipso limine logices illud insuper edocti sumus, nomina quædam esse concreta & significare rem aliquam cum forma, a qua denominationem aliquam adipiscitur: quædam verò abstracta potius hanc formam, quam illius substratum significantia. Ex his ea, quæ sunt quæsita, facillime poterunt enodari.

1. Propositio de Relationibus D. PROPOSITIO I. Si relationes accipiantur *concretè*, id est, pro relativis quæ dicuntur ad invicem, sunt in Deo realiter; si pro forma aliqua, per quam constituuntur relativa, non sunt res aliqua *complexe* significabilis, sunt tamen res extra animam significabilis *incomplexe*, modo explicato 11. Capite præcedenti.

2. Probatur 1. pars. Tres habet partes theorema: & probatur pars prima. Nullo intellectu cogitante est Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, & Pater generat Filium, Filius gignitur à Patre, Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio: Ergo si Divinæ relationes accipiantur concretè, videlicet pro personis, quæ ad invicem referuntur, sunt in Deo nullo humano cogitante intellectu. Præterea, ut dictum supra, Divinæ personæ realiter distinguuntur & distinguuntur se ipsis, quatenus referuntur ad invicem: Igitur si relatio accipiatur pro personis, quæ ad invicem referuntur, realiter est in Deo, & extra mentem, & animam cogitantium. Rursus datur reapse in Deo, non dissentientibus Aureolo, & Ochamo, divinitas & substantia, quæ enunciatur per nomen istud absolutum *Deus*: Ergo datur realiter in Deo relatio, E. G. *Paternitatis*, quæ exprimitur per nomen hoc relativum *Pater*: quippe utrumque nomen significat rem, quæ proculdubio vera est, & qualis per hæc nomina significatur.

3. Probatur 2. pars. Probatur pars altera. S. P. Augustinus in VII. de Trinit. cap. 1. n. 2. explanans relationem Patris ad Filium, docet Patrem esse aliquid ad seipsum, non enim potest relative dici ad aliquid, quod non est ad se, quomodo si non esset homo, id est, aliqua substantia, non esset qui relative Dominus diceretur: hanc autem relationem non esset comparandam illi, qua color refertur ad coloratum, cum color sit corporis, & quod corpus dicitur, dicatur ad se: at Pater,

ter, in quo idem est esse, quod sapere, referatur substantia sua. Si ergo relatio esset forma quædam *complexe* significabilis, Pater non diceretur ad Filium substantia sua, sed per aliquid substantiæ suæ superadditum: At hoc dici nequit: Ergo relatio Patris ad Filium non est aliqua forma *complexe* significabilis. Rursus nulla omnino res sive relatio, sive proprietas adest Deo, quæ non sit Deus, ut contra Gilbertum Porretanum definivit Concilium Remense, & Lateranense IV. adversus Abbatem Joachim. Est ergo hæc forma relationis ficta & commentitia.

4. Probatur 3. Pars. Pars tertia sic probatur. Relatio est quædam res extra animam *incomplexe* significabilis, si id, quo una Persona refertur ad aliam, sit cum ipsa una res summa, impartibilis, & quæ est quidquid est: Id, quo una Divina Persona refertur ad aliam, est cum eadem Persona una res suma, simplex, indistincta, & quæ est quidquid est: Ergo relatio, qua Divinæ personæ referuntur ad invicem, est quædam res extra animam *incomplexe* significabilis. Non militant adversus hanc propositionem aliorum contorta & aculeata sophismata.

5. Propositio 2. de relationibus. Propositio II. Si relationes accipiantur concrete & pro relativis sunt in Deo tantum tres, si vero pro respectu & ordine, possunt admitti quatuor, sed tertia est solum cum duabus præcedentibus significabilis *incomplexe*.

Probatur tripliciter. Evidens est quantum ad singulas partes hæc propositio. Quantum ad primam; quoniam tres sunt in Deo personæ, quæ referuntur ad invicem: Igitur si relatio pro ipsis personis accipiatur, triplex in Deo est. Quantum ad alteram partem; quia est in Patre ordo generantis ad genitum: in Filio ordo geniti ad generantem; in Patre & Filio ordo spirantis ad Spiritum: in Spiritu Sancto ordo spirati ad spirans: utor singulari numero, quod Pater & Filius unum sint Spiritus Sancti principium. Quantum ad partem tertiam; quia relatio spirantis non opponitur relative neque cum relatione generantis, neque cum relatione geniti; & consequenter à neutra distinguitur, nec est cum his simul significabilis *complexe*, quomodo nulla relatio *complexe* significabilis est cum natura; ut constat ex præcedenti propositione. Ex quibus constat relationes oppositas, quibus constituuntur personæ, tres tantum esse, non quatuor. Atque distincta hoc pacto propositione comprimuntur Scholasticorum conflictus.

6. Propositio 3. de relationibus. Propositio III. Quomodocunque accipiantur in Deo relationes, sunt infinita quædam perfectio, *incomplexe* tamen cum Divina essentia significabilis.

Probatio. Vel enim accipis relationem pro relativis, ut sunt, vel ut referuntur ad invicem: si ut sunt, est summa perfectio esse Deum; si ut referuntur ad invicem, est pariter perfectio summa esse Patrem, esse Filium, esse Spiritum Sanctum: At Divinæ relationes nihil omnino sunt, quam Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, prout dicuntur ad invicem. Ergo Divinæ relationes, quomodolibet accipiantur, sunt summa quædam & infinita perfectio. Quod vero non sint perfectio aliqua *complexe* cum essentia significabilis; sequitur ex dictis: Nam si *complexe* significabilis esset, perfectio relationis alia esset à perfectione substantiæ, nec Trinitas foret res una summa & incomprehensibilis, nec inter Divinas personas salvaretur æqualitas. Quoniam vero est in Deo una tantum perfectio, uti una substantia, una essentia, una res summa: propterea dixi Divinas relationes esse perfectionem, non, ut alii complures Theologi, perfectiones.

7. Corollarium. Consequitur ex dictis 1. unam rem summam in Deo esse essentiam & personam, ut demonstravimus cum Augustino lib. II. cap. 3. Prop. 2. ad 2. opp. hæc autem nomina, substantia E. G. & Pater, exprimere eamdem rem incommutabilem, sed illud hanc designare quatenus absolute subsistit; hoc vero, prout dicitur relative: & nullo vocabulo perfecte demonstrari ineffabilem Dei naturam, quemadmodum commentus est nefarius hæreticus Eunomius refutatus eodem libro capite primo. Sequitur secundo, esse inter Divinas personas pefectissimam æqualitatem, etiamsi in qualibet non habeatur eadem relatio; quoniam hæc est quidem perfectio, sed eadem penitus cum natura: unde nulla caret perfectione relationis persona aliqua, cum nulla sit persona, quæ non sit essentia eadem inseparabilis, ut diximus lib. VII. cap. 6. ad 7. Tertio sequitur posse facile conciliari veterum dicta, quorum aliqui docent Personas constitui se ipsis, alii autem tradunt constitui proprietatibus personalibus. Nam constituuntur se ipsis, quatenus non efficiuntur personæ per aliquam formam intrinsecus inhærentem, aut advenientem extrinsecus, quæ summæ Dei opponitur simplicitati: & constituuntur quoque proprietatibus personalibus significabilibus *incomplexe*,

id

id est, relationibus, quæ nullatenus, nisi cogitatione nostra, & respectu connotatorum ab illa summa re distinguuntur, quæ est Pater generans, Filius genitus, & Spiritus Sanctus procedens. Tandem sequitur, uti inter principia divinarum *processionum*, ita inter terminos nullum interesse discrimen: sed omnem terminum distingui realiter à suo principio propter relationem oppositionis, & in unoquoque principio ac termino servari perfectissimæ naturæ unitatem. Quamobrem tradita à nobis doctrina inter frequentes pelagi scopulos poterit, quasi levis cymba, secundissime cursum tenere: in altum tamen duci, neque navigio datum est, quantumvis ornato velis, malis, antennis, gubernatore, remigibus.

CAPUT VI.

Quot sint in Uno, Trinoque Deo subsistentiæ.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. Asseritur, tres esse in Deo subsistentias, si τὸ subsistentia accipiatur pro modo peculiari existendi, quo constituitur persona plenarie individua.
3. Unam verò tantum, si τὸ subsistentia accipiatur pro ratione existendi per se.

1. Quot subsistentiæ in Deo uno & trino.

FUIT quondam de significatione subsistentiæ & hypostaseos controversia, ut dixi cap. ultimo libri VII. nunc nulla est; atque his vocabulis non Dei naturam, sed proprietatem personalem concordibus animis declaramus. Est autem subsistentia proprius existendi modus, quo redditur persona plenarie individua, ut eam describunt accurati Philosophi: neque addit aliquid naturæ, præsertim infinite perfectæ, præterquam ordinem relationis, quomodo declaravi lib. VII. cap. 6. ad 8. Et quidem si hæc personalis proprietas foret realiter à natura distincta, sequeretur veram esse opinationem Abbatis Florensis, quam supra cap. 2. à Lateranensi Synodo damnatam esse affirmavimus, videlicet reperiri in Deo *quaternitatem*, id est tres personas, & distinctam à singulis naturam communem, quasi quartam. Hoc præterea blasphemum hæreticumque fieret consequens, nullam ex Tribus personis fore Deum verum ac summum; quoniam essent singulæ personæ à natura divinitatis distinctæ, aut saltem, quod simplicissimam naturam evertit, esset unaquæque persona ex duabus rebus congesta. Sed neque intercedere naturam inter ac subsistentiam distinctionem aliam intrinsecam minorem reali, adversus Scotum libri secundi capite tertio probatum est. Petenti vero, qui fieri possit ut multiplicentur personæ in eadem natura, & hæc communis sit, non autem personales proprietates, cum citato loco, tum lib. VII. cap. 6. ad ultimam Oppos. reddita est responsio, eamdem summam rem communem esse, ut dicitur ad se; individuam, peculiarem, & distinctam, ut refertur ad terminum oppositum relative, absque ulla intrinseca distinctione.

Quæsitum ergo hoc capite propositum sola explicatione nominis subsistentiæ dissolvitur, & non est, ni fallor, Theologorum dissensio, nisi de voce. Cum enim duo quasi munera præstet subsistentia, unum reddere naturam per se & complete existentem, aliud vero illam in aliquo existendi modo individuam: & hoc postremum subsistentiam jam omnes appellent; qui subsistentiam absolutam propugnant præter tres relativas, primum subsistentiæ munus & nominis grammaticalem sensum spectare videntur; & qui tres subsistentias relativas tantum asserunt, hi subsistentiæ munus alterum, & significationem nominis Theologicam contemplantur. Quæ, ut melius percipiantur, sit

Explicatio nominis subsistentiæ.

PROPOSITIO I. Accepto *subsistentiæ* vocabulo pro modo peculiari existendi, quo constituitur persona plenarie individua, tres sunt in Deo subsistentiæ. 2. Propositio I.

Hæc propositio probatur 1. auctoritate Conciliorum; inter quæ Nicænum I. Constantinopolitanum I. & Lateranense II. definiunt, fide tenendam esse *Trinitatem in tribus subsistentiis.* II. testimoniis PP. ait enim Cyrillus de Trinit. lib. 3. *Deitatis natura in tribus subsistentiis proprie subsistit.* Et Athanasius Serm. de Deipara: *Unum Deum in tribus subsistentiis prædicamus.* III. Probatur ratione: Sunt in Deo tres personæ: ergo tres subsistentiæ; nam quælibet persona ut incommunicabilis sit, habere debet peculiarem modum existendi, quem placuit Fidei Conditoribus dicere *subsistentiam.* Probatio.

3. Propositio 2. PROPOSITIO II. Accepto termino *subsistentiæ*, ut significat rationem existendi per se, & in sensu grammaticali, una tantum est in Deo subsistentia.

Probatio. Probatur. Una est in Deo substantia, quæ existit per se: Ergo una est in Deo subsistentia, quatenus denotat modum existendi per se, id est, independenter à quocunque subjecto, & ad differentiam accidentium. Hinc Augustinus in VII. de Trinit. cap. IV. *Omnis res*, inquit, *ad seipsam subsistit; quanto magis Deus*? Hanc tantum propositionem demonstrant Argumenta Scotistarum, qui subsistentiam absolutam defendunt: in quorum argumentorum solutione cunctandum esse non probo; nam & vera sunt, & hac nostra propositionum distinctione possunt ab eo, cui opponerentur, elidi. Utrumque subsistentiæ munus complexus est Agatho Papa definiens dari *trium subsistentiarum unam subsistentiam*. Vide Act. 4. Synodi Sextæ. Uno verbo: In Deo quidquid servat unitatem pertinet ad substantiam: & quidquid numerum insinuat, ad oppositam relationem. Una ergo *subsistentia* dicitur ad se, quomodo una divinitatis natura: & tres pariter *subsistentiæ* dicuntur ad aliud, quemadmodum tres Personæ. Quoniam vero Theologicus sensus grammaticali præferendus est, & Theologi *subsistentiæ* nomen adhibent ad significandam personalem proprietatem: melius sentire censemus Theologos, qui de hoc quæsito interrogati respondent dari in Deo tres tantum relativas *subsistentias*.

CAPUT ULTIMUM.

Præscriptiones quædam ad scite differendum de Trinitate, vitandamque fallaciloquentiam.

SUMMARIUM.

à num. 1. usque ad 19. Ceu ultimum traduntur regulæ in discursu de Deo uno, & trino observandæ.

Regulæ ad bene differendum de Trinitate.

RELIQUUM est, ut nonnullos Canones legesque tradamus, quibus de Trinitatis mysterio Candidati nostri haud inquinate loquantur. Ac

Regula 1. principio caveant, ne vocabula postremo capite libri septimi exposita præter communem significationem usurpent: jam enim unanimiter confitendum est, & tres in unitate divinitatis dari *hypostases*, & *substantiam* inseparabilem, & retinendum esse *Omoousion*, & nomina alia, quæ Patrum traditio atque usus probat Ecclesiæ.

1. Regula 2. II. Dum nomina *Unitatis* & *Trinitatis* proferuntur, primum semper pro Divina Essentia accipiendum est, alterum pro personis. Cum vero nulla inter essentiam & personas interveniat distinctio intrinseca, neque istæ sint modi, aut formæ aliquæ superadditæ; dum confitemur Unitatem in Trinitate, aut Trinitatem in Unitate: propositio *In* sensum reddere debet *incomplexum*: sensum enim *complexum* proscripsit anno 675. XI. Toletana Synodus his verbis: *Nec recte dici potest, ut in Deo sit Trinitas, sed unus Deus Trinitas.* At Symbolum Athanasianum in sensu *incomplexo* recte ait: *Unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate veneranda sit.* Ita ergo sententia nostra, de qua præcedenti cap. 2, hujusmodi definitiones egregie conciliat.

2. Regula 3. III. Qui distinctionem *formalem* propugnant, negant recte dici, *Paternitas* aut *Filiatio* est *Spiratio activa*, quomodo, inquit celebris quidam Scotista, non valet, *intellectus vult*, *Voluntas intelligit:* sed nos non adeo erimus scrupulosi, qui legimus in Augustino XIII. de civit. Dei cap. 13. *Scientia tua est, & vult incommutabiliter: & voluntas tua scit, & vult incommutabiliter.* Nihilominus, si hæc nomina ad sua *connotata* comparentur, cum *Paternitas* ad Filium, *Filiatio* ad Patrem, *Spiratio* ad Spiritum Sanctum dicantur relative, aliquod discrimen his subesse fatebimur, sed sola ratione *Connotatorum;* idque de intellectu, & voluntate dictum est cap. III. lib. 2. Prop. 2. ad 1. objectionem.

3. Regula 4. IV. Cum nullum dari possit nomen voce ac syllabis finitum, quod plenarie indicet incomprehensibilem Dei naturam: vocabulum autem *Essentiæ* exprimat divinitatis substantiam, non relationem, abstinendum est ab hac enunciatione, *Essentia generat, Essentia gignitur, Essentia procedit:* hic enim latet hæresis, ac blasphemia. Cæterum

si

si accipiatur *Essentia*, quatenus est una summa res cum personis, & prout relative dicitur, vera est præfata enunciatio, & apud veteres recepta, qui Filium οὐσίαν γενητὴν, *substantiam genitam*, appellaverunt. Quam antiquiorum consuetudinem non esse servandam ideo arbitramur; quia, ut diximus, *Essentiæ* nomen significat divinitatem spectatam in se, non peculiari proprietate devinctam.

4. Regula 5. V. Et hoc idem, quod nos loquimur, dum *Essentiam* dicimus personali proprietate affectam, & modo existendi terminatam, aliaque id genus plura, provenit ab inopia sermonis nostri; cum una res simplicissima sint Pater qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritus Sanctus, qui procedit: neque ab essentia proprietas personalis intrinsece distinguatur.

5. Regula 6. VI. In isto quoque pronomine, *Alius*, cautionem tenere debemus, ut nunquam dicamus unam personam esse *aliud* ab altera, sed *aliam* duntaxat: quippe in neutro genere pronomina significare solent rem, non personam, ut docent regulæ Grammaticorum. Hinc Augustinus Tractatu in Joannem sexto, ac tricesimo *Alius est*, inquit, *recte dicis: aliud non recte. Alius enim est Filius, quia non est ipse qui Pater, & alius Pater, quia non est ipse qui Filius: non tamen aliud, sed hoc ipsum est & Pater & Filius.* Ob eamdem rationem æquum est, ut dicamus: non, *ipse* est Pater qui Filius, sed *ipsum*: non, *hic*, sed *hoc*: non, *unus*, sed *unum*.

6. Regula 7. VII. Adjectiva nomina *Æternus, omnipotens, immensus, &c.* cum significent, qui habet æternitatem, omnipotentiam, immensitatem, &c. possunt enunciari utroque numero, singulari, & plurali. Etenim qui habet omnipotentiam est Deus: adeoque si adversus Arianos aut Macedonianos loquimur, qui negant in tribus Personis unam divinitatis Essentiam, postulat Catholica fides, ut dicamus, *Æternus est Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus: non tamen tres æterni, sed unus æternus, &c.* id est unus Deus habens æternitatem. Verum si personarum pluralitatem adversus Samosatenses designare velimus, utimur plurali numero, & tres personas confitemur *coæternas & coæquales*: & habetur utraque enunciatio in Symbolo Athanasiano. Neque enim in priori versu *Æternus* est nomen substantivum, in hoc postremo adjectivum, ut plures Theologi docent, reclamantibus etiam Grammaticis: sed utrobique adjectivum est, & adjective sumitur; adjectivum nominis *Deus* priori loco, ubi confoditur hæresis Ariana: & adjectivum nominis *Personæ*, ubi pluraliter enunciatur ad refellendam simul hæresim Sabellianam.

7. Regula 8. VIII. Quod modo *adjectivorum* nominum meminerimus, cum multi sint ætate nostra Grammatici, qui ab antiquiorum præceptis desciscunt; & istud explicandum est quo sensu de Deo pronuncientur hæc nomina *adjectiva*. Si enim *adjectiva* placet appellare quæ significant aut rem, aut qualitatem alteri applicatam & adjectam, ut in homine *miles, pater, sapiens*, quæ dicuntur *adjectiva*, propterea quod potest esse homo, quin sit aut *miles*, aut *pater*, aut *sapiens*, aut ex his nihil: nullum nomen, quocunque modo inflectatur, dum Deo tribuitur, erit *adjectivum*, quia est substantialiter bonus, æternus, sapiens, &c. At si *adjectiva* usitato more accipiantur, quatenus aut significant aliquid substantiæ adjectum, aut substantiam ipsam prout connotat quædam effecta, & flectuntur propria grammaticali declinatione; his duobus postremis modis de summo Deo placet *adjectiva* enunciare.

8. Regula 9. IX. Vitare præterea debemus voces nonnullas, quæ personarum pluralitatem videntur excludere, ut *unicus, singularis, solitarius*; & nonnullas pariter, quæ earum in substantia distinctionem possunt innuere, ut *insociabiles, discrepantes, separatæ*: quorum aliquæ si Sanctorum exemplo à nobis positæ sint, erunt hoc temperamento accipiendæ, ut solam realem distinctionem personarum in unitate summæ divinitatis affirmate asseveremus. Attamen si certa verborum cautione liquet nomen Dei supponere pro substantia, fas erit appellare Deum *unicum*, quia non sunt plures Dii; quemadmodum profitemur *unicum* Dei Filium, quia non sunt plures Filii: unde disputantibus contra Atheos de naturæ divinæ unitate fas erit promiscue Deum *unum* & *unicum* affirmare.

9. Regula 10. X. Sed & summa Dei simplicitas postulat, ut potius *unum* Deum dicamus, quam *unitum*; & *unitatem* magis quam *unionem*: quæ nomina, si aliquando ad varietatem orationis à nobis permixta

sunt, debet prudens lector sensum tenere, qui omnem excludat compositionem : in qua à summo Deo removenda fuimus multis aliis rigidiores, fidei, non humanis inventis perpusillum ingeniolum captivantes.

10. Regula 11. XI. Quando Dei nomen *essentialiter* accipiendum sit, quando autem *personaliter;* explicavimus lib. VII. cap. VI. neque temporis jacturam faciemus eadem repetendo. Juxta regulas ibidem traditas in hac propositione *Deus est conditor mundi*, Dei nomen sumitur *essentialiter*, quia creare convenit tribus personis ratione naturæ & communis omnipotentiæ : In hac vero *Deus generat Verbum* ponitur nomen Dei *personaliter*, quoniam generare pertinet ad personam, convenitque Deo ratione peculiaris proprietatis.

11 Regula 12. XII. Inter *Trinum*, & *Triplex* perpoliti in scribendo Latini non videntur distinguere : nam Cicero ad Atticum modo *trinas literas* scripsit, modo *triplices :* & in Tusculanis *triplicem* animam ait finxisse Platonem, id est, *tres animas :* nec desunt exempla consimilia bene multa, quibus probetur significari utroque nomine quæ sint numero tria. Hinc Petavius lib. VIII. de Trinit. can. IX. docet de Deo *Triplicis* vocabulum nihilosecius assumi potuisse, quam *Trini;* nunc autem istud teneri, non illud propter sermonis consuetudinem. Etsi vero *Trinum* & *triplex* usurpatur quandoque sine discrimine; intercedit tamen hæc differentia, quod omne *triplex* est *trinum*, at non omne *trinum* est *triplex;* sicut omne *simplex* est *unum*, non autem omne *unum* est *simplex*. Etenim *Trinum* significat solum numerum trium, *Triplex* vero multiplicatam in tribus rationem; uti *unum* demonstrat solam amotionem multitudinis, & *simplex* spoliationem cujusque compositionis. Ergo, cum in Divinitate sint tres numero hypostases, dicitur juremerito *Deus trinus :* & è contra, cum inter Divinitatem & Personas nulla sit compositio, nefas est dicere *Deus triplex*. Quare S. P. Augustinus in VI. de Trinit. cap. I. *Nec quoniam Trinitas est*, inquit, *ideo triplex putandus est : alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quam simul Pater & Filius.* Et S. Thomas q. 31. art. 1. ad 3. *Trinitas absolute dicitur : significat enim numerum ternarium personarum. Sed triplicitas significat proportionem inæqualitatis. Est enim species proportionis inæqualis, sicut patet per Boetium in Arithmetica lib. 1. cap. 24.* Dicet Petavius hæc non magni esse momenti : nam personæ tres plures sunt quam una, quod ad numerum attinet, etsi non plus aliquid sint, si perfectionem spectes. Sed ex adverso repono, pluralitatem numeri satis superque innui per numerale nomen *Trinum* : per *Triplex* autem significari etiam rem, cui numerus tribuitur, esse *triplicatam*, adeo ut tres personæ videantur plus aliquid esse & in numero, & in perfectione, quam una tantum, si Deus dicatur *triplex* : & consequenter non solum loquendi norma, sed explorata etiam ratione Deum *Trinum* dici, non *Triplicem.*

12. Regula 13. XIII. Alia est significatio nominis, quam exhibet nudum etymon, & alia, quam præfert idea mentis per nomen expressa : Homo enim E. G. significat secundum etymologiam figmentum *ex humo*, sed iuxta mentis perceptionem, Animal ratione præditum. Porro idem est Latinis *Triplex*, quod Græcis τριπλᾶς, aut τριπλάσιος, quæ græca vocabula sunt à τρεῖς, *tres*, & πέλω, *sum*. Quotiescunque ergo apud nonnullos antiquiores Græcos inveneris de Deo *Triplicis* vocabulum assumi, dicendum erit ab his magis nominis etymologiam, quam ideam fuisse spectatam.

13. Regula 14. XIV. *Trinitatis* quidem vocabulum usurpatum II. Ecclesiæ sæculo à Theophilo Antiocheno libro II. ad Autolycum, quamquam nudas personarum relationes, aut substantiam sua prolatione non indicat, Catholice retinendum est, cum significet numerum personarum, quæ relationibus constituuntur : unde perperam adversus hoc *Trinitatis* nomen cavillatores quidam hæretici debacchantur.

14. Regula 15. XV. Neque abjiciendam credimus perantiquam locutionem *Trina Deitas*, de qua olim Hincmarus adversus Gotheschalcum nimis excanduit, vetuitque ne ulterius in hymno Martyrum cantaretur, *Te Trina Deitas unaque poscimus.* Hanc enim locutionem probat Nazianzenus in Poemate de Vita sua, ubi quærit πῶς ἡ μονὰς τριάζεται, *quomodo Unitas sit Trina :* S. P. Augustinus lib. 12. Confess. cap. 7. sic Deum alloquens : *Et aliud præter te non erat unde faceres ea, Deus una Trinitas, & Trina Unitas :* Anselmus cap. Monologii 78. *Expedit ut credat omnis homo*

in

in quamdam ineffabilem Trinam Unitatem, & unam Trinitatem: Ecclesia demum universa in hymno Corporis Christi, *Te Trina Deitas unaque poscimus, &c.* Qui Hincmarum defendere student ajunt ea locutione *Trina Deitas* proferri Tritheitarum execrandam blasphemiam: præponendam esse Gotheschalchi & Ratramni malitiæ sinceritatem Hincmari: falsatum ab illis Augustini librum de quinque hostium generibus, in quo maxime locutio ista probatur: Hincmari emendationem in hymno Martyrum ab universali Ecclesia fuisse hucusque retentam. At respondendum est Deitatem non dici *Trinam* ratione substantiæ, sed ratione personarum, quæ sunt simul una Deitas, ita ut si propter naturæ communionem recte dicitur *Una Trinitas;* propter pluralitatem personarum recte quoque dicatur *Trina Deitas.* Hincmarum autem se parum sincera fide gessisse ex eo constat, quod cum Augustinus *Trinam Deitatem* fateatur in lib. de Duabus Animabus, in XII. Confess. cap. 7. Sermone 52. de Verbis Domini, & hanc loquendi formam recognoscat confirmetque in 1. Retract. num. VIII. ipse Hincmarus subdole ait, id imperite à S. Patre scriptum, cum adhuc presbyter esset, & retractatum, & ex quo temere verba sua Athanasiano Symbolo inseruerit, insertaque pro fide Catholica venditaverit. Nam in diplomate suo pag. 464. ad locum illum Symboli *neque substantiam separantes*, addidit, *quasi Trina sit.* Sed num malitia, num ignorantia peccaverit Hincmarus, nostra non interest. Liber vero contra quinque hostium genera constat non esse Augustini, nec ejus meminisse Possidium, aut eumdem Augustinum in libris Retractationum: sed etiamsi genuinus esset, non discrepat hoc loco à sensu Augustiniano, ut constat ex dictis. Ecclesia denique utramque locutionem jure retinet, &, *Summa Deitas*, in hymno Martyrum, &, *Trina Deitas*, in Officio Corporis Christi, ut nos doceat neutram Catholicæ fidei adversari. Sed qui plura de hoc argumento desiderat, legat Vindicias veterum Codicum Petri Coustant Monachi S. Mauri, cujus summæ eruditioni ac diligentiæ debet literaria respublica castigatissimam, nitidissimamque Operum Augustini editionem Parisiensem.

15. Regula 16. XVI. Perinde ac *Trina Deitas*, recte profertur à Mario Victorino *Virtus Trina*, ab Anselmo *Trina Unitas*, ab Ecclesia in Consecratione Episcopi *Trina Majestas:* in quibus, aliisque consimilibus declaratur nomine numerali Trinitas Personarum, & substantivo Unitas inseparabilis divinitatis: id est, significatur una virtus, una substantia, una majestas, una res summa, quæ est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

16. Regula 17. XVII. Quælibet nomina substantiva absoluta enunciantur de unaquaque Persona, & de omnibus simul singulari tantum numero, & ea invicem etiam prædicantur: V. G. *Pater est sua æternitas, sua immensitas, sua omnipotentia;* aut, *æternitas est omnipotentia, &c.* Verum nefas est dicere *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres æternitates, tres omnipotentiæ;* quoniam his vocabulis exprimitur aliqua perfectio spectans ad unitatem substantiæ. Quod si occurrat aliquod contrarium exemplum, in quo E. G. affirmetur Patrem non esse æternitatem, hanc non esse omnipotentiam, &c. hujusmodi exponendum erit de ordine connotatorum, ut diximus præcedenti Canone III.

17. Regula 18. XVIII. At relativa, quæ invicem opponuntur, pati nequeunt mutuam enunciationem ob distinctionem, quæ inter eadem versatur: ideoque supinus est error hæc pronunciare: *Pater est Filius*, aut, *Paternitas est Filiatio:*

18. Regula 19. XIX. Ex alia autem parte, quia inter relativa & essentialia nulla est intrinseca differentia, hæ propositiones, *Essentia est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: Essentia est Paternitas*, pluresque consimiles enunciabiles sunt, verissimæ & Orthodoxæ.

19. Regula ultima. XX. In his cæterisque omnibus servandæ sunt Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ definitiones: dedecet enim proferre quæ Magistra veritatis non comprobat, sive ea reticere quæ laudat. Ad hujus itaque Matris sinum humilis, & supplex confugio, & Theologicas defero lucubrationes, retractaturus si quæ protuli minus caute; & pro ejus fide ac doctrina, lingua, calamo, sanguine pugnaturus. Votorum autem meorum, hic unus, & sane præstantissimus finis est, videlicet, *Deus Trinus:* cui sit

Laus, & perennis gloria
Et nunc, & in perpetuum,

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER DECIMUS,

In quo de ANGELORUM *natura, dotibus, meritis, officiisque pertractatur.*

Natura, dotes, merita, officiaque Angelorum.

EST inter humanarum, divinarumque rerum scientiam illud fere discrimen, quod inter corporeos, ac spiritales animi motus versatur. Ut enim ad linguæ exercendum officium articulari primo syllabas, deinde dictiones, posthac constantem sensu periodum, ac tandem elaboratam circumfluere orationem naturæ artisque magisterio, videmus; ita sæcularibus literis, humanisque facultatibus imbuendi à vocabulis ad argumenta plectenda, à punctis lineisque ad corporum dimensionem, ab atomis atque elementis ad universi molem spectandam non sine magna Præceptorum industria deducimur. At quemadmodum interior mentis vigor, soluto præsertim corporis nexu, nequit retardari locorum intercapedine, temporisque decursu, quin pervadat sublimiora & cælestia: sic operam navantes Theologicis studiis ingenii acumen libere in arcana divinitatis intendunt, nullis præpediti obviis occursibus creaturarum. Jure itaque ac merito ad Physiologiam accedentibus proponuntur nominum & idearum rudimenta, lineæ & anguli transeuntibus ad Geometriam, atque ad Medicam artem musculi ac fibræ: Theologis autem principio exponitur summa, recondita & incomprehensibilis Veritas. Hujus modo aliqua illustratione percepta, haud operosum nobis erit inquirere de rebus à Deo productis; inter quas eminent spiritus mortalis concretionis expertes, quos ANGELOS nominamus. Quare de his erunt proximæ libri decimi Disquisitiones: in quibus ne ab incommutabili, quam paullulum attigimus, Veritate deflectant rationis nostræ conatus, mirabimur effectricem Dei omnipotentiam, beneficia gratiarum, ordinem providentiæ, atque justitiæ æquitatem; omniaque referemus ad gloriam ejusdem Dei, qui cum esset in se beatissimus, dignatus est Angelos, & homines condere, ut ipse nobis benefaceret, nos ipso una cum Angelicis Spiritibus frueremur.

CAPUT I.

An existant Angeli, idque manifesta possit demonstrari ratione?

SUMMARIUM.

1. Præmittuntur notanda circa statum quæstionis.
2. 3. & 4. defenditur contra sadducæos Angelorum existentia.
5. & 6. Solvuntur quædam objectiones.
7. Propugnatur, Angelorum existentiam non posse certa ratione naturali demonstrari.
à num. 8 usque ad 14. diluuntur fundamenta Adversariorum.

1. An existentia Angelorum perfectè demonstrari possit,

SPIRITALEM substantiam, quæ erit hujus libri unum ac singulare argumentum, proprio vocabulo significante naturam nondum appellare didicimus. Nam Angeli nomen, sive latinum, sive græcum, officii est, non naturæ, derivatum ab ἀγγέλλω, *nuncio*, aut ἀνὰ, *a*, &, κέλλω, *mando*; quod interdum

dum Angeli nobis ad enuntianda mandata Dei, vel mysteria mittuntur. Atque hinc est, quod etiam Divini verbi præcones, & ipsemet Unigenitus Dei, quandoque Angelorum nomine significantur. Neque Hebræis propria Angelorum nomina sunt, vel communia spectentur, ut אֱלֹהִים *Elohim*, מַלְאָכִים *Malachim* חַשְׁמַל *Chasmal*, sive particularia, ut *Cherubim*, כְּרוּבִים, *Seraphim* שְׂרָפִים. Quippe אֱלֹהִים, *Elohim*, id ed *Dii*, appellantur ob potentiam eximiam; eodemque nomine in sacris Bibliis principes, ac judices sæpenumero designantur. Nomen vero מַלְאָךְ, *Nuncius*, derivatum à מְלָאכָה, *opere*, omnibus tribuitur, qui mittentis exequuntur mandata. חַשְׁמַל, *Chasmal*, legitur perraro, & electrum, ignemque significat, quibus ob motus celeritatem, atque splendorem Angeli comparantur. Ita *Seraphim* dicti sunt ab שָׂרַף, quod est *incendere*, atque *comburere*, quo nomine appellatur, etiam Serpens ignitus capite primo ac vicesimo Numerorum. *Cherubim* denique incertæ significationis nomen est, quam alii repetunt ab כָּרַב exprimente *figuram*, alii à Chaldaico כַּרְבְּיָא *sicut puer*, quoniam juvenili specie apparuerint, alii demum כְּרוֹב *Cherub* nihil aliud significare contendunt, quam volucrem. Quare Angeli dicuntur *Cherubim*, vel quod figurati sint in propitiatorio & in Arca, vel quod ad instar pulcherrimorum adolescentium se conspiciendos exhibeant, vel quod ob celeritatem, sublimemque elevationem fingantur *alati*.

2. Elucidatio. Sed licet incompertum sit vocabulum aut latinum, aut græcum, aut hebraicum, quo Angelorum demonstretur natura; horum nomine pronuntiato occurrit menti nostræ spiritalis quædam substantia, per se complete subsistens, vi intelligendi ac volendi pollens, præstantior homine, ac summo Numine inferior: Quam, an sit alicubi, hoc priori capite inquirimus, nedum adversus quosdam philosophos, qui nihil præter corpora carnalibus oculis obvia dari putarunt; verum & contra Sadducæos, qui dicunt *non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum*; ut legimus Act. XXIII. 8. Erant autem Sadducæi celebris quædam inter Judæos Secta, quæ circa Machabæorum tempora habuit originem, accepitque, ut creditur, nomen à צָדוֹק *Tsaddok* discipulo cujusdam Antigoni Sochæi, ut scribit Maimonides in Capitibus Patrum. Horum dogmata recenset Josephus lib. II. de Bello Judaico cap. 12. & lib. XIII. Antiq. cap. 9. Hi ergo, cum Divinas Scripturas admitterent, Angelos tamen esse negabant, exponentes quæ in sacris libris de Angelis prædicantur aut de spectris à Deo excitatis, aut de potentia, quam Deus prosilire faciens, aut retrahens, uti Sol radios, ad homines interdum emitteret.

3. Propositio de Existentia Angelorum. PROPOSITIO I. Dantur Angeli, & Sadducæi sacris literis, omniumque plane hominum sensu refutantur.

Probatio. Enimvero cap. XIX. Genes. legimus veniisse duos Angelos Sodomam, eduxisse inde Lot cum uxore & filiabus ipsius, universamque regionem igne vastasse. Cap. XVI. 7. Angelus Domini apparuit Agar ancillæ Sarai, eique persuasit, ut reverteretur ad Dominam suam, & humiliaretur sub manu illius. Cap. XXIV. 7. ait Abraham seniori familiæ suæ: *Mittet Dominus Angelum suum coram te.* Sanctorum Angelorum millia cum Deo apparuisse de Sinai habetur Deuteronomii tertio ac tricesimo. Atque ut ex novo testamento proferam aliqua, Matthæi XVIII. 10. habetur: *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Lucæ 1. 26. *Missus est Angelus Gabriel à Deo.* Petri cap. 1. 12. *In quem desiderant Angeli prospicere.* Et Epist. II. cap. II. 4. *Deus Angelis peccantibus non pepercit.* Quæ, aliaque plurima intelligi nequeunt de sola potentia Dei, aut de spectris, quemadmodum Sadducæi commenti sunt; cum manifestum sit Scripturam divinam Angelis tribuere multitudinem, ac servitutis officia, quæ summo Deo non conveniunt, nec non propria personarum munera, cujusmodi sunt Deo ministrare, ipsius enuntiare mandata, & in assumptis corporibus, sive alia incomperta nobis ratione, sese hominibus comites exhibere.

Antiqui testes pro Existentia Angelorum. Atque Sadducæorum inscitiam omnium fere hominum censensio redarguit. Nam Plato Philosophorum disertissimus haud semel in Timæo meminit Angelorum, quos promiscue dæmones, Deosque compellat. Hostanem Magorum antiquissimum de Angelis præclare fuisse locutum, scribit in libro de Idolorum vani-

vanitate Tertullianus. De Socratis dæmone pertractant veterum Scriptorum quamplures. Thaletem Milesium dividere superiores substantias in Deum ac dæmones, in Oratione pro Christianis auctor est Athenagoras. Hieroclis Commentaria ad aurea Pythagoræ Carmina laudat tertio Theologicorum dogm. Tomo Petavius. Sententias Aristotelis memorat lib. 2. Rab. Maimonides. Ac ne singulos persequar, antiquiores etiam hæretici Simon, Menander, Saturninus, Cerinthus, Carpocrates, aliique Angelos esse agnoverunt: imo & his tantum cum superstitiosa Gentilitate detulerunt honorem, ut eos crederent cælestia numina, rerumque omnium, quæ sub aspectu cadunt, opifices.

4. Authoritas P.P. & Concilii Lat.

Consentiunt PP. omnes: & hos inter magnus Augustinus in Ps. 102. *Angelos*, inquit, *novimus ex fide*: & *multis apparuisse scriptum legimus & tenemus; nec inde dubitare fas nobis est.* Concilium denique Lateranense sub Innoc. III. capite *Firmiter* creaturam spiritualem & Angelicam ab universorum Conditore productam apertissime definivit. Dabo cap. sequenti Concilii verba. Nunc dicta hanc nobis argumentationem suppeditant: Extremæ dementiæ est negare quod Divina oracula docent, quod tradunt Patres, quod probat communis hominum sensus: Dari Angelos divinorum oraculorum testatur auctoritas, comprobat traditio Patrum, confirmatque Scriptorum omnium consensio: Ergo negare quod dentur Angeli, summa & extrema dementia est.

5. Objectio Sadducæorum.

Opponunt Sadducæi. I. Creationem Angelorum reticeri in libro Geneseos, in quo genera omnium creaturarum narrantur. Præterea inquiunt hoc nomen *Angelus* non ad significandam rem subsistentem, sed officium duntaxat fuisse institutum: ideoque minime inde probari, quod extent reapse spirituales substantiæ corporis expertes. Tandem constare ex cap. VI. Gen. v. 2. *Videntes Angeli Dei filias hominum, &c.* Angelorum nomen etiam hominibus convenire.

6. Solutio.

Resp. Consilium Moysis fuisse rerum corporearum productionem ac seriem narrare; unde expresse Angelos initio noluit commemorare; præsertim cum populo redeunti ex Aegypto, & valde ad idolorum cultum proclivi periculosum esset tam nobiles creaturas proponere. Insinuanda quippe erat principio unius Conditoris divinitas, ut paullatim rudis Judæorum gens aliarum rerum formaretur notitia. Ergo posteaquam Creatorem universorum prædicavit, etiam Angelos in historica narratione tanquam Dei nuncios, ac ministros descripsit, ac talibus distinctos characteribus, quibus eorum à summo Deo apparet diversitas ac dependentia. Comprehendit autem illos in primordio Geneseos, ut Augustinus docet nomine lucis; quo recte spiritalis natura concreti corporis nulla circumfusa caligine declaratur. Per quæ satisfit priori argumento. Nam ad secundum fateor, nomen Angeli ex se non significare naturam illam subsistentem ac spiritalem, sed esse nomen officii: at officia, quæ tribuuntur Angelis, à rebus subsistentibus exercentur; & nomina istiusmodi officiorum illos, qui eadem implent, consignificant, ut, quando de hominibus dicitur, *Rex, miles, orator.* Ad hæc non est in nominibus attendenda sola grammaticalis etymologia, sed institutio eorum, qui nomina imposuerunt: alioqui fas erit dicere vas fictile esse *Adam*, quod sit è terra compactus, aut atramentarium, quo scribo, esse *Cain*, quoniam à me possidetur. Sunt omnia fere vocabula secundum etymon pluribus communia; & tamen ad certam rem significandam bene sapienterque applicantur, præsertim cui ratio illa communis convenit jure quodam particulari, ut Angelis Divina mortalibus enunciare. Atque hæc de secundo argumento: cui haud recte quidam respondent nomen Angelorum apud Hebræos naturam significare; quod falsum esse constat ex dictis, maxime si sermo sit de natura rationali à Deo, & homine diversa. Quod ultimo opponebatur, nihil prorsus evincit: siquidem nomen Angelorum tribui etiam hominibus nullus negat: tametsi laudato capite 2. Geneseos neque in Hebræorum, neque in Vulgatæ lectionis Codice Angelorum nomen occurrat. Sed de hoc Geneseos loco cap. proximo, & ubi disputabitur de primo Angelorum peccato.

7. Propositio de Angelorum Existentia.

Probatio.

Propositio II. Hæc Angelorum existentia nequit certa naturali demonstratione probari.

Angelorum existentia non potest demonstrari ut loquuntur Scholastici, *à priori*, argumento nempe per causam; quandoquidem Angeli nullam necessariam causam habent, sed liberam, id est Divinam voluntatem, quæ pro suo lubitu creaturas omnes produxit. Neque enim ullus sanæ mentis potest ex hac propositione, *Datur Deus*, istam legitime inferre, *Ergo datur Angelus:* sicut

sicut ex necessaria existentia causæ effectus contingens nequit deduci. Ob eamdem rationem evinci nequit, quod extent Angeli ex idea aliqua sive Dei sit, sive creatarum rerum; quoniam nec Deus necessario percipitur tanquam conditor creaturarum, sed tanquam principium, quod pro sua libertate eas producit, aut in nihilum redigit: nec res creata actualis existentiæ certam excitat perceptionem. Similiter demonstratione *à posteriori*, id est per effectum nequit Angelorum existentia invictissime comprobari. Quidquid enim corporearum substantiarum nativam vim supergreditur, & Angelis attribuitur, in aliam causam referri potest, sive illa Deus sit, sive anima rationalis à corpore separata, sive natura & facultas quædam præstantior, quam singulis rebus hujus universi rector potens est impertiri. Hinc talis elicitur ratiocinatio: Nihil nobis naturaliter innotescit nisi per causam, aut per effectum, aut per inditas rerum ideas; Existentia Angelorum neque per causam, neque per effectum, neque per ideam aliquam deprehendi potest: Ergo existentia Angelorum nequaquam nobis naturaliter innotescit.

8. Objectio 1. Opp. 1. Socrates, Plato, aliique Philosophi de Angelis haud obscure pertractant, eosque appellant *Motrices Intelligentias*. Sed hi lumine fidei destituti non Sanctorum traditione, non sacris literis Hebraico tantum populo manifestis, spiritales substantias nullo corpore circumscriptas comprehendere valuerunt. Illas ergo dari perceperunt ratione sua, atque naturali mentis acumine.

Solutio. Resp. 1. Falsam esse minorem; nam Gentiles plura à Judæis acceperunt, inter quos cupiditate discendi aliquandiu versati sunt. Præterquam quod nonnulli hebraicam linguam callere poterant, & sacros libros furtim perlegere: quos etiam ante expeditionem Alexandri græce redditos viri plurimi tenent, ut diximus libro præcedenti cap. 1. Respondetur præterea, probabilia Gentiles Philosophos habuisse argumenta, quibus dari Spiritus omni re corporea, & ipso homine perfectiores quodammodo suadetur, V. G. perpetuus cælorum motus, Simulacrorum oracula, ostenta magorum; de quibus agemus infra.

10. Objectio 2. Opp. 2. Naturaliter constat moveri cælos, qui non aguntur propria forma; carent enim quacunque anima; Ergo moventur ab *Intelligentia*, quæ est Angelus.

Resp. Posse falsam esse illationem; Solutio. nam motus cælorum, qui ab Angelis efficitur principium, habuit à Deo rerum omnium causa: & consequenter Mundi Artifex, qui ab initio motum cælo indidit, potest illum absque ulla *Intelligentia* perpetuo servare: præsertim quod experimento compertum est, motum impressum corporibus ab agente vi prioris impulsus perdurare, donec alia corpora obsistant.

11. Objectio 3. Opp. 3. Deus condidit hoc universum perfectum; quippe à summo Bono nulla res proficisci potest, quæ non sit valde bona: Igitur debuit in Mundo creaturam producere intellectualem, & incorpoream, quæ mundi hujus præcipuum est ornamentum.

12. Solutio. Resp. Duplicem in rebus creatis inveniri perfectionem: *relativam*, quæ est ordo ad primam ac supremam causam, ejusque directionem ac nutum: & *absolutam*, quæ est ipsarum creaturarum naturalis conditio. Et priorem quidem perfectionem necessario Deus mundo tribuit, quoniam omnia quæcunque fecit, ad Auctoris sui bonitatem, tanquam ad finem ultimum referri debent, præscriptamque sibi motus & operationis legem tenere. At perfectionem absolutam, prout ei collibet, rebus singulis elargitur, creatque pro suo beneplacito aut corpus, aut animam, aut spiritum, quorum natura hoc unum postulat, ut produci possint, non ut producantur reipsa. Quapropter dist. antecedens. Deus condidit mundum perfectum, & naturalis ratio demonstrat mundo communicatam esse perfectionem *ordinis*, concedo: perfectionem quamcunque *absolutam*, nego.

13. Objectio 4. Opp. ultimo: Plura quandoque ab hominibus perpetrantur, quæ naturalem ipsorum superexcedunt virtutem, cujusmodi sunt exercitatio peregrini idiomatis, corporum elevatio, prodidigiosi eventus, divinationes, aliaque bene multa: quorum omnia referri nequeunt in Deum, ea maxime, quæ ad malum ac perniciem protendunt, ut præstigia, maleficiorum collyria, & præsagia geomantica, in quibus operam fidemque irreligiosi homines deperdere non verentur. Hæc, ut cujusque sensui obvium est, in malam, incorporeamque substantiam reducenda sunt.

14. Solutio. Resp. Nihil superstitiosos, energumenos, malosque, ut vocant, genios agere, quæ si bona sint, se sola præstare non possit suprema Causa: quæ interdum interpretationem sermonum, sapientiam, raptus, ac gratiam curationum piis largitur

gitur hominibus mirabilia nullo Angelorum interventu operantibus. Maleficia autem ignotam habere possent causam, ut animam humanam separatam à corpore: aut quod in præstigiis mirum est, fieri potest auctore Deo: quod malum, perversa hominum voluntate, & *corruptione*, ut inquiunt, *naturæ*. Verum tamen est, Deum perrarò in his, qui sanctitate non pollent, operari mirabilia, quæ stante hac providentia invictum sunt Christianæ fidei argumentum, neque suapte natura ordinari possunt in malum: sed hæc summi Dei veracitatem justitiamque demonstrant; non existentiam spirituum, quam religione quidem didicimus, & probabili animadversione, sed non solius humanæ rationis perspicuo lumine, atque evidentia.

CAPUT II.

Angelos non esse ex spiritu & corpore simul conflatos.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. 3. 4 & 5. Probatur, Angelos nulla extensione corporea suapte natura præditos esse.
6. usque ad 13. Respondetur ad argumenta contraria.
14. Habetur Prosthesis.

1. An Angeli ex Spiritu & corpore simul constent.

PLATONICI, quorum philosophiam plerique veterum Patrum sectati sunt, Angelos æthereis & elementaribus corporibus, longe, quam nostra sint, subtilioribus præditos esse tradiderunt, ut ex Apulejo demonstrat S. P. Augustinus lib. VIII. de Civ. Dei cap. 16. Pro qua sententia laudari solent Origenes, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Methodius Martyr, Cassianus, Gennadius; necnon idem Augustinus, qui tamen, ut ostendam, ob Antiquiorum auctoritatem dubium sese demonstrat nihil definiens. Et Vellosillus quidem Lucensis Episcopus Advert. in VII. Tom. Hieronymi Q. 2. censet veteres illos Patres Angelos asseruisse corporeos, quoniam comparate ad Deum, qui neque loco circumscribitur, neque terminis clauditur, creaturæ omnes, quantumlibet spirituales, corporeæ dicuntur; cum certis applicentur corporibus, quibus aut vitam tribuunt, ut anima; aut præsunt, ut Angeli. Sed hæc explicatio profecto ad omnes veteres nequit extendi; propterea quod plurimi nedum corpora Angelorum commemorant, sed etiam definiunt esse aut elementaria, aut aerea, aut iis similia, in quibus resurgent animæ beatorum. Cæterum quidquid Antiqui nomine rerum corporalium significare maluerint: jam communiter corpus illud esse fatemur, quod partibus, atque triplici extensione constat, vel saltem istiusmodi exigit extensionem. Juxta hanc Corporis perceptionem quæstio est resolvenda.

2. Propositio.

PROPOSITIO. Angeli nulla extensione corporea suapte natura præditi sunt.

Probatur ex S. Scriptura.

Id insinuant primo loco Scripturæ, quæ Angelos appellant Spiritus, ac Virtutes, ut Psalm. 103. *Qui facit Angelos suos Spiritus;* & 102. *Benedicite Domino omnes virtutes ejus.* Ad Hebræos I. 14. *Omnes sunt administratorii spiritus.* In quibus advertendum est nomen *Spiritus* in sacris literis significare incorpoream substantiam, præsertim ubi absolute de rebus subsistentibus enunciatur, ut Joannis IV. 24. *Spiritus est Deus:* quamquam illius nominis plures significationes occurrant, ut diximus lib. VII. cap. 14. Ergo cum de Angelis bonis aperte loquatur Apostolus in Epist. ad Hebræos, quemadmodum de malis Math. XII. 43. *Cum immundus spiritus exierit ab homine*, & 45. *Vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se;* oportet in his locis per *Spiritum* intelligamus incorpoream substantiam. Nam quæ corporalis est, licet spiritum habeat sive inhabitantem, ut est in hominibus dæmon, aut bonus Angelus, sive informantem, qualis est anima; non *Spiritus* appellatur, sed habens spiritum. Quippe dicitur quidem *Spiritus hominis*, non autem *Spiritus homo.* Atque valent hæc de *Virtutum ac potestatum* appellatione, quæ bonis Angelis tribuitur citato Psalmo 102. 21. *Benedicite Domino omnes virtutes ejus, ministri ejus, &c.* malis autem in Epist. ad Ephes. VI. 12. *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem: sed adversus principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Quod enim corporeum est, non *virtus* ac *potestas* absolute dicendum erit, sed *virtute*, aut *potestate* donatum: nec proprietas sermonis hanc patitur phrasim, *potestas aut virtus homo*, sed, *hominis.*

Quæ

Quæ modo dicta sunt, ita syllogistice proponuntur: Substantia corpore ac spiritu compacta non *Spiritus*, non *virtus*, non *potestas* vocatur, sed habens *spiritum*, *potestatem*, *virtutemque*: Angeli appellantur simpliciter *Spiritus*, *Virtutes*, ac *Potestates*; Ergo Angeli non sunt corpore ac spiritu coagmentati.

3. Probatur ex Concilio Lateranensi.

Accedunt verba Concilii Lateranensis IV. cap. 1. *Creator omnium, qui sua omnipotente virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam, quasi communem, ex spiritu & corpore constitutam.* Quo in loco aperte à spirituali creatura sejungitur corporea & mundana, & inter utramque collocatur homo, qui naturæ particeps est utriusque: ideoque si nomine creaturæ mundanæ intelliguntur res corporeæ carentes quocunque spiritu; necesse est, ut per creaturas spirituales designentur substantiæ nobiliores expertes cujusque corporis.

4. Probatur ex Patribus tum Græcis tum Latinis.

Produci præterea possunt Patrum cum Græcorum, tum Latinorum testimonia, quorum proferam perpauca. Itaque Gregorius Nyssenus Orat. 4. in Dominicam, *Omnis*, inquit, *rationalis natura dividitur in incorpoream & corpoream. Incorporea est Angelica, altera nos sumus homines.* Oratione pariter XXXIV. & lib. contra Eunomium XII. Angelorum substantiam appellat νοήτην, καὶ ἀσωμάτην, *rationalem incorporeamque.* Ita dæmonem vocat hæresi 26. Epiphanius. Et Joannes Chrysostomus lib. 1. ad Stagirium, *Fecit Angelos, Archangelos, & reliquas incorporeorum substantias.* Etiam Origenem in hanc tandem venisse sententiam probat ex lib. VI. contra Celsum Du-Hamel tom. 2. p. 497. Mitto Titum Bostrensem, Didymum, Eusebium, Theodoretum, Maximum, alios. Ut ad Latinos convertar, Magnus Gregorius lib. IV. Moralium cap. 9. ait: *Angelus namque solummodo spiritus, homo vero spiritus est & caro.* Et Leo Papa Epist. ad Thuribium cap. 6. scribit *veram fidem omnium creaturarum sive spiritualium, sive corporearum bonam confiteri substantiam.* Citari solet Hieronymus, qui in Epist. ad Avitum damnat Origenem asserentem dæmones in pœnam peccati aereis corporibus fuisse vestitos; sed verba Hieronymi non videntur invictissima cum ipse Angelis corpora videatur tribuere Comment. in Job cap. 25, & ex quo dæmones circumscripti non sint in pœnam peccati corporibus ex crassiori aere conflatis, minime consequatur non habere corpora puriora, atque ætherea. Ab his ergo, & consimilibus testimoniis consulto abstinemus.

5. Probatur ex Theologicis rationibus.

Confero me tandem ad Theologicas rationes, quarum prima est, Deum quantum ad genera rerum mundum condidisse perfectum: cumque in eo produxerit res corporales, & hominem compositum corpore, & spiritu, videtur etiam condidisse substantias omnino incorporeas ac spiritales. Deinde Angelus non potest habere corpus inanime, nam esset deterior anima, & gratiæ ac meriti, imo intellectionis penitus incapax. Quod si habeat animam conjunctam corpori, erit saltem natura sua dissolubilis ac mortalis. Postremo qui affirmant Angelos esse corporeos, debent in eorum gratiam plura miracula adstruere. Nam quantumvis angelica corpora fingantur tenuissima ac minima, vix perceptibile est quomodo integra legio dæmoniorum, id est spiritus nequam 6000. esse possit in uno corpore obsessi, ut fuisse narrat Lucas cap. VIII. 30. Arduum quoque est, Angelos corporibus suis celerrime aeris secare partes, quotiescunque in terras mittuntur, idque fieri absque ullo strepitu ac sonitu. Sed hæc probabilia sunt tantum; non enim Patres, qui arbitrati sunt Angelos proprio corpore circumscribi, rudes philosophi, ignarique fuerunt, quin hæc tam vulgaria ac manifesta adverterint.

Argumenta in contrarium refutantur.

6. Objectio 1.

Opp. 1. Angeli non semel mulieres compresserunt filiosque ex his procrearunt. Liquet id primum ex Scripturis; nam Genes. VI. 2. juxta Græcorum Translationem legimus; *Videntes Angeli Dei filias hominum quod essent pulchræ, &c.* Deinde probatur ex profanis historicis; qui tradunt Merlinum Britannum vatem fuisse filium Dæmonis natum è virginis stupro. Platonem quoque ex *phantasmate* progenitum scripsere nonnulli. Item tradunt Hunnos originem ducere à Gothorum fœminis in Asiatica solitudine à Faunis Satyrisque illato stupro gravidatis. Etiam Antichristum à dæmone generandum plures sentiunt. Jaciunt insuper spiritus malefici nonnunquam semina, quibus animalia oboriuntur: quæ omnia efficere non possent, si essent penitus incorporei. Demum homines ab Angelis procreati cæteros corporum structura, ingenioque

genioque antecellunt, unde ex concubitu Angelorm cum filiabus hominum generatos fuisse Gigantes Scriptura testatur. Hi ergo non videntur humano semine concreti.

7. Solutio. Resp. Neque in Hebraico textu, neque in vulgata lectione Genes. VI. 2. legi *Angelos Dei*, sed בְּנֵי־הָאֱלֹהִים *Filios Dei. Elohim* autem appellantur etiam Principes, Patriarchæ, Judices, & cæteri homines, singulari præsertim charactere decorati. Vide Exodi VII. 1. hoc nomine אֱלֹהִים vocari Moysen, XII. 8. 9. Judices, Psalm. LXXXI. 1. 6. Magistratus ac Principes. Itaque filii Dei, qui acceperunt sibi in uxores filias hominum, sunt filii Patriarcharum, penes quos summa erat auctoritas, & qui doctrina atque exemplis cæteris præesse debebant: & filiæ hominum sunt adolescentulæ ex familiis Cainitarum, aut quævis ex vulgo puellæ: quod tam impar conjugium, ex quo ortum habuit neglectus parentum, polygamia, & temeritas divortiorum, ad Principum disciplinam merito Scriptura proponit. Eximit vero omnem scrupulum Cchaldaica lectio, quæ habet בְּנֵי רַבְרְבַיָּא, *Filii Magnatum.* Neque quicquam officit Græcus textus, in quo haud semel filii principum Angeli appellantur; ut Deuteron. XXXII. 8. ubi legimus: *Constituit terminos populorum juxta numerum Angelorum.* Legerunt enim LXX. tribus omissis literis pro יִשְׂרָאֵל *Israel* אֵל, *Dei*: & alii deinde interpretes existimantes Filios Dei esse Angelos, hoc nomen substituerunt: quod proinde accipiendum est pro Filiis Israel, ut Græcus textus cum Latino, Hebræoque consentiat. Sed de loco Geneseos satis: nunc reliqua diluamus. Si vera sunt, quæ ex historiis profanis objiciuntur, quæ mihi quidem persuasum est esse commentitia; dicendum est dæmones assumptis terrenis corporibus, & exciso aliunde τῷ σπορῷ homines procreasse. Nam etiam illi, qui Angelos putant esse corporeos, fatentur angelicum corpus non esse ad generationem ideoneum, neque angelos aut dæmones distingui sexu: unde Matth. XXII. 30. habetur: *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei.* Quod spectat ad Gigantes, respondetur cum S. P. Augustino lib. XV. de civit. Dei cap. 23. posse parentes communis staturæ gignere gigantes ipsos: nam paucis annis ante excidium Romanum peractum à Gothis Romæ nata fuit fæmina gigantea ex Patre & Matre exigui tenuisque corporis, quod mirum non est, cum parvam materiam per augmentationem concrescere pluribus modis contingat. Verum quid in his valeant dæmones, dicam alibi.

8. Objectio 2. Opp. 2. In VII. generali Synodo Act. 5. definitum est Angelos pingendos esse, quoniam corporei sunt: recitato enim Dialogo Joannis Thessalonicensis, ait Patriarcha Tarasius, *Ostendit Pater etiam Angelos oportere pingi, quoniam circumscripti sunt, & hominum specie multis apparuerunt.* Cui universa Synodus respondit, *Etiam Domine.*

9. Solutio. Resp. Quidquid sit de Joannis Thessalon. sententia, Tarasium id solum ex ejus Epistola arripuisse, quod fas est Angelos pingere, quandoquidem circumscribi possunt, & in humana specie non semel apparuerunt. Num vero Angeli circumscripti sint proprio, an assumpto aliquo corpore, ad scopum Concilii definire minime pertinebat. Imo Tarasius, aliique Patres aperte demonstrant se Angelos incorporeos fateri & Joannis sententiam probare in ea tantum parte, quæ spectat ad pingendas Angelorum imagines. Affirmarunt enim citatis verbis Angelos circumscribi, & apparere in humana specie, non autem in propria: & in Professione fidei, *Veneramur*, inquiunt, *imagines Sanctorum, & incorporeorum Angelorum, qui tanquam homines figura humana justis apparuerunt.* Itaque distinguo & explico verba Concilii, *Oportet Angelos pingi quoniam circumscripti sunt* corpore proprio ac naturali, nego: corpore extraneo, assumptoque, concedo.

10. Instantia. Si persistas: Joannes Thessalonicensis docuit proculdubio Angelos esse corporeos, atque propter hanc causam posse depingi: Concilium probavit hanc illationem: Ergo probavit quoque Angelos corporeos esse;

Solutio. Resp. dist. ma. Joannes Thessalonicensis docuit Angelos esse corporeos, & humana specie multis apparuisse, ideoque pingendos esse, concedo: docuit duntaxat Angelos esse corporeos, nego. Ut Concilium probaret hanc illationem, *Angeli pingi possunt*, sufficit veram esse aut unam, aut alteram partem hypotheticæ propositionis, nempe quod aut Angeli circumscripti sint, aut in humana specie apparuerint. Hæc postrema vera est, & prior etiam, quatenus Angeli assumptis corporibus circumscribuntur. Optima est ergo ea consecutio,

Pin-

Pingendi sunt Angeli, quam Synodus approbavit. Sed Angelos constare proprio corpore, & in proprii corporis specie apparuisse, quod scribit in suo Dialogo Joannes; id quidem nec Synodus Septima probavit, nec ad propositam quæstionem de pingendis Sanctorum Angelorum iconibus pertinebat.

11. Objectio 3. Opp. 2. Justinus in Dialogo cum Tryphone, Clemens Alexandrinus lib. VIII. Strom. Tertullianus de cultu fœminarum, Cyrillus Alexandrinus lib. in Joan. IX. Cassianus Collat. VII. cap. 13. & Hilarius cap. 5. in Mathæum Angelis aliquod corpus attribuunt. His consentit Augustinus lib. II. de Trinit. cap. 7. in Psal. 85. Epist. 115. ad Nebridium, lib. XXI. de Civ. Dei cap. 10. & in I. quoque Retract. cap. 26. Non sunt ergo Angeli cujusque corporis prorsus expertes.

12. Solutio. Resp. Justinum, Clementem, & Cyrillum, etsi à pluribus benigna interpretatione explicantur vel de corporibus assumptis, vel de corpore accepto pro finita substantia, vere Platonem secutos illius de Angelorum corpore tenuisse sententiam; sed oppositam tradi ab aliis Patribus, & hanc definitioni Lateranensis Concilii magis conformari. Hilarius, & Cassianus videntur incorpoream naturam illam appellare, quæ summe incommutabilis est, & ubique existit ratione suæ immensitatis, & vicissim *corpus* substantiam, quæ non est suus actus, atque, ut loquuntur Theologi, aliquam habet *potentialitatem*: Quo sensu etiam rationalis anima corpus est, ut scribit Epist. XXVIII. Augustinus; ubi tamen animam non esse corpoream, si corpus accipiatur pro re extensa, diserte tradit. At Tertullianus nedum Angelos, sed etiam Deum credidit esse corpus, & habere quædam membra *generis sui*, ut diximus II. libro. Quod si putas nomen corporis Tertullianum pro substantia accepisse; de Angelis tamen nemo hanc interpretationem admiserit, quos ille *carnem* habere aliquam scripsit in libro de Carne Christi cap. 6. Augustinus vero, ut scribit Norisius, cap. IV. Vindiciarum §. 1. dubium se de Angelorum corpore fuisse significat. Etenim postea quam in XXI. de Civ. Dei scripserat, *Sunt etiam quædam dæmonibus corpora, sicut doctis hominibus visum est*, paucis interjectis, ait: *Si autem quisquam nulla habere corpora dæmones asseverat, non est de hac re operosa inquisitione laborandum, aut contentiosa disputatione certandum.* Explanatque ibidem quomodo spiritus dæmones cruciari possint corporeo igne, etiamsi nulla eis insint corpora, comparatione rationalis animæ, quæ cum sit spititualis, membris corporalibus colligatur. Hæc Norisius satis, ut arbitror, ad repellendum Annatum. Sed Augustini dubitationem comprobat ulterius insigne testimonium Epistolæ XCV. 8. *Sive habeant Angeli corpora, sive quisquam possit ostendere, quemadmodum corpora non habentes gerere illa omnia potuerint, &c.* Quamquam vero in affirmantem sententiam pluribus in locis inclinat, ibique non solum opinionem aliorum, ut ait Magister Sententiarum in II. dist. 8. sed propriam videatur exponere; nihilosecius Enar. in Psalm. 103. ait Angelos esse *natura spiritus*, & in I. Retract. cap. XI. Angelorum Sanctorum nomine omnem sanctam creaturam spiritalem intelligi in secreto & occulto ministerio constitutam. Negat ibidem Angelos habere animam, atque hoc nomen eis convenire, retractans quod alibi vocabulum istud Angelis attribuerit, quo secundum Divinam Scripturam humanamque rationem intelligitur spiritalis quædam forma materiam vivificans corporalem. Quamobrem videtur Augustinus priorem de Angelorum corpore sententiam tandem deposuisse; nam si carent anima, seu forma aliqua spirituali, oportet ut sint vel corpora in solidum, vel spiritus undequaque. At Augustinum credidisse Angelos esse corpora sine spiritu, nemo sanæ mentis poterit opinari. Erunt ergo Angeli juxta Augustinum spirituales omnino: ac primo S. Pater Platonicorum tenuerit opinationem, postea revocaverit in dubium, ac tandem eam quoque abiecerit. Quod nisi probare velis: fateberis tamen summam Augustini cum ingenio prudentiam, qui de tam perplexa quæstione in alterutram partem disputaverit. Ex quibus liquet responsio ad argumentum, scilicet non unam esse Antiquiorum hac in re mentem, multos autem ambigue, multos opinative duntaxat fuisse loquutos: quibus præferendi sunt, qui certam tenuere sententiam, posteriorum consensu, & communi nunc probatam suffragio.

13. Objectio 4. Opp. ultimo. Cruciantur dæmones igne corporeo, fugantur sensibili sonitu, fumigationibus, carminibus, ut constat de felle piscis, de cithara Davidis, & de carmine Magico φεύγετε πανδαιδες, &c. de quo in Convivio Poetico Erasmus. Alliciuntur quoque mali spiritus cibis, nidore, suffimentis, &c.

Solutio. Resp. Torqueri utique dæmones corporeo igne, sed non per corporalem *qualitatem*, ac nativam vim ignis: id vero qua ratione fiat, differendum est infra. Fugantur autem rebus sensibilibus, uti felle piscis assato, & sono citharæ, sed vel Divina virtute, vel quoniam istuismodi res immutant corporalem dispositionem, ratione cujus dæmones vexant homines. Carmen magicum Plinianum redolet superstitionem; de qua in disquisitione Magica huic libro inserenda. Aliiciuntur denique dæmones per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, carminum, rituum, non ut *animalia cibis*, sed ut *spiritus signis*; in quantum hæc eis exhibentur in signum Divini honoris, quem cupide affectant, ut docet lib. XXI. de Civit. Dei cap. VI. Augustinus.

PROSTHESIS.

14. Corollarium. Quæstio de Corpore Angelorum ad hunc modum se habet: eaque sententia, quam defendimus, vera est; & ob allatam definitionem Concilii Lateranensis IV. eamdem oppugnare videtur præceps & inconsiderata temeritas. Attamen, etsi appareat illius Concilii Patres creaturam Angelicam appellare spiritualem, & secernere à corporali; nostrum judicium est, minime spectare ad fidem, imo neque irrefragabili ratione demonstrari, hanc spiritualem creaturam cujusvis tenuissimi corporis expertem esse. Nam ad petitum è Scriptura argumentum respondet Sanctus Pater Augustinus Epist. 95. *Facilius videri potest Angelos esse spiritus dictos, ut homines animas, sicut scriptum est, cum Jacob in Aegyptum tot Animas descendisse, neque enim corpora non habebant.* Id est figura, quam vocant Rhetores *partis Sinecdochen.* Nec proinde animarum nomen Angelis est tribuendum; ne quis putet eorum spiritum adesse & abesse, quomodo mortalibus accidit animabus. Lateranense Concilium definit creaturas omnes tam visibiles, quam invisibiles, tam corporeas, quam spirituales à Deo fuisse productas, adversus Albigenses, qui Deum non esse omnium creaturarum auctorem, & quasdam à principio malo conditas cum Manichæis delirabant. Sed num invisibilia & spiritualia corpore tenuissimo sint circumscripta, & corporalia ea dicantur, quæ crassiori materia concreta sunt, minime Concilii Patres definiisse tradunt docti complures, inter quos S. Thomas de Malo Q. de dæmonibus art. 1. Sixtus Senensis lib. v. Bibl. S. Annot. VIII. & Estius in II. Sentent. dist. VIII. §. IV. Patrum non unam fuisse sententiam liquet ex dictis: unde Bernardus, cujus modestiam se amplecti testatur citato loco Sixtus Senensis, Sermone v. in Cantica inquit; *Videntur Patres de hujusmodi diversa sensisse, & nescire me fateor.* Sanctorum ergo traditio non præbet hac in parte momentum prorsus irrefragabile. Denique nulla ex præmissis ratiocinationibus plane nos cogit. Nam præcedenti capite dictum est Deum rebus singulis perfectionem, quam voluit, fuisse impertitum; ejusque voluntatis non esse à nobis causam quærendam. Quod *etsi dæmones aeria sunt animalia, morte non dissolventur, quia prævalet in eis elementum, quod ad faciendum, quam ad patiendum est aptius,* inquit S. Pater lib. III. de Gen. ad lit. cap. X. id est prævalet ignis sidereus, non aqua, vel terra. Legio etiam, de qua Lucas cap. VIII. non tantum dæmoniorum numerum, sed multitudinem quamdam indefinite significat; siquidem legitur: *At ille dixit, Legio; quia intraverant dæmonia multa in eum.* Quamquam id, quod scribunt Calmet in Diction. Bibl. aliique Interpretes, omnem legionem 6000. comprehendere, falsum est; nam prima Legio militum sub Romulo trium millium peditum fuit, & trecentorum equitum, qui numerus sæpe variatus, major, aut minor esse consuevit, ut erudite Dempsterus in IX. Antiq. Roman. cap. IV. Ac de Angelorum σωματίῳ satis quidem diximus; nunc de immortalitate differamus.

CAPUT III.

Quo sensu Angeli mortales, & immortales dicantur.

SUMMARIUM.

1. Asseritur, Angelos multimodis posse apellari mortales.
2. Propugnatur, Angelos dicendos esse ex natura sua immortales, si immortalitas sumatur pro permanentia substantiæ excludentis intrinsecam potentiam inclinantem ad non esse.

3. 4. & 5. Refelluntur objectiones.

Occur-

Quomodo Angeli mortales & immortales.

OCCURRUNT frequentissime apud PP. discrepantes verbo tenus sententiæ, aliis Angelos mortales esse affirmantibus, aliis vero immortales; quas duabus thesibus ad concordiam revocantes simul πρόβλημα de incorruptibili Angelorum natura extricabimus.

I. propositio

PROPOSITIO I. Appellari possunt Angeli mortales multimodis.

Angeli sunt mortales.

Dicitur enim *mortale* quicquid alicui subest mutationi; unde Augustinus in 11. de Trinit. cap. 9. ait: *Ipsa mutabilitas non inconvenienter mortalis dicitur, secundum quam & anima dicitur mori.* Et in 111. contra Maxim. cap. 12. *Omnis mutatio est quædam mors.* Prosper etiam Epigram. 111.

Sed quodcunque potest sese amplius,
& minus esse
Quodam fine ipsi, quod fuerat, moritur.

Probatio.

Etenim quod mutationi obnoxium est, desinit quodammodo esse. Ad hunc ergo modum immortales Angeli non sunt, quoniam de loco in locum, de operatione in operationem, & de accepta justitia in culpam, præcisa ipsorum beatitudinis plenitudine, transire possunt. Præterea dicitur *mortale*, quod virtute Divina potest in nihilum redigi: quo sensu idem S. P. Epist. 56. inquit: *Non ob aliud res deficere possunt, nisi quod ex nihilo factæ sunt.* Et Damascenus lib. 2. de Fide: *Immortalis est Angelus non natura, sed gratia: nam quidquid initium habuit, & desinere suapte natura potest.* Quo in loco perspicuum est, *gratiam* appellari solam voluntatem Creatoris potentis omnia reducere in nihilum, si ei lubeat. Hanc mortalitatem, quam dicunt Scholastici *ab extrinseco*, habet in se quælibet creatura: & male Juenin Dissert. 1. de Angelis cap. 2. hanc conclusionem ponit: *Angeli sunt immortales ab extrinseco.* Nam quod ait illos esse ab intrinseco immortales, quorum corruptio semper impedietur ab extrinseca causa, falsum est: quippe aliud est esse immortale, aliud esse non moriturum, quemadmodum aliud est non esse moriturum, aliud esse mortale. Illi ergo, quorum mors à Deo impeditur, utique non moriuntur, ab extrinseco tamen mortales sunt, quod vidit etiam Plato, docens, ut scribit in Theologicis Proclus, minores Deos μήτε ἀθανάτους εἶναι, μήτε τεύξεσθαι θανάτου μοίρας *nec mortales esse, nec tamen morituros.* Ulterius dicitur *mortale*, quod ab alio immortalitatem accepit, non ex necessitate originis, (hoc enim sensu etiam Filius Dei appellaretur mortalis, quod impium est,) sed loco doni ac beneficii, sive, ut supra diximus, voluntate Creatoris; ideoque non male Auctor Responsorum ad Orthodoxos, ait: *Solus Deus immortalitatem dicitur habere, eo quod non ex alterius voluntate eam habet, sicut cæteri omnes immortales,* ἀλλ' ἐκ τῆς ἰδικῆς οὐσίας, *sed ex suapte essentia.* Horum omnium hæc sit epitome: *Mortale* est quodammodo quidquid alicui subjicitur mutationi, ex nihilo productum est, & Dei voluntate non deficit; Angeli aliqua ex parte immutantur, sunt ex nihilo, atque à Dei voluntate habent ne deficiant: Ergo Angeli sunt quodammodo *Mortales.*

2. Propositio 2, Angeli sunt immortales.

PROPOSITIO II. Quatenus immortalitas idem est ac permanentia substantiæ, quæ nullam habet intrinsecam potentiam inclinantem se ad non esse, Angeli dicendi sunt ex natura sua immortales.

Probatur.

Hæc thesis auctoritate ac ratione probatur. Scriptor enim librorum de Divinis Nominibus lib. 11. cap. 4. *Intellectuales substantiæ*, inquit, *indeficientem & imminorabilem vitam habent.* Athan. de Consid. cap. 6. & Hilarius in Psal. 118. Angelos vocant *immortales, & in æternum manentes.* Et Maximus Martyr in Epistolam 11. ad Corinth. ait: *Quæ videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna.* Patrum itaque auctoritate liquet Angelos esse immortales. Quod tribus à ratione argumentis confirmatur: ac primum sit; Omne, quod suapte natura corrumpitur, dissolubile est: quod est dissolubile partes habet: quod habet partes, extensum est, & corporeum; At Angeli corporis expertes sunt: Ergo neque partes habere, neque dissolvi, neque interire naturaliter possunt. Alterum promitur ex comparatione formæ per se subsistentis: hæc enim neque corruptibilis est *per accidens*, id est per dissolutionem alterius, quoniam forma *per se* subsistens non generatur: neque est corruptibilis *per se*, quia separari nequit ab existentia, quæ illi *per se* competit. Hæc autem manifestum est convenire etiam substantiæ Angelicæ, quæ nec gignitur, neque ex materia conflatur. Tertium vero argumentum est hujusmodi: Nequit Angelus deficere ad instar rerum corporearum per *corruptionem*, & consequenter si moriatur, desinet esse per *annihilationem* sui: At in nihilum nulla res redigi potest naturaliter, sed tantum per hoc quod causa extrinseca suam subtrahat conservationem, quemadmodum ex nihilo nulla res producitur, nisi per Creatoris omnipotentiam.

tiam. Quare *annihilatio* nunquam naturalis esse potest, sed opus Divinum, ac solius Dei; neque importat aliquod intrinsecum principium *corruptionis*, quale est in rebus in se contrarietatem habentibus, aut saltem potentiam materiæ, sed solam à prima causa dependentiam, ut docet Quæst. 1. art. 5. Doctor Angelicus.

OBJECTIONES REFELLUNTUR.

3. Oppositio 1. cum responsione.

Argues 1. In priori ad Timoth. cap. VI. 16. legitur: *Deus solus habet immortalitatem.* Resp. veram esse Apostolicam sententiam, quatenus Deus incommutabilis est, à nullo productus, atque immortalis essentia sua, non voluntate alterius; prout thesi prima fuit explicatum. Atque hoc sensu ponitur identidem vox μόνος *solus*, ut ad Romanos XVI. 27. Μόνῳ σοφῷ Θεῷ, *soli Sapienti Deo.* Igitur, ut *solus Sapiens*, ita dicitur μόνος ἔχων ἀθανασίαν, *Solus habens immortalitatem*, quoniam est sua sapientia, sua immortalitas, & quidquid habet, habet incommutabiliter, & à se. *Nisi fallor*, inquit Hieronymus Comment. in hunc locum, *quomodo solus habere dicitur immortalitatem, cum & Angelos, & multas rationabiles fecerit creaturas, quibus dederit immortalitatem; ita & solus dicitur verax, non quod & cæteri & immortales, & veritatis non sint amatores; sed quod ille solus naturaliter sit, & immortalis & verus: cæteri vero immortalitatem & veritatem ex largitionis illius dono consequantur: Et aliud sit verum esse per semet, aliud in potestate donantis esse quod habeas.*

4. Oppositio 2.

Argues 2. Hieronymus hoc loco affirmat Angelos immortalitatem habere *Dono largitionis.* Damscenus lib. 2. de Fide cap. 3. Sophronius Act. XI. Synodi Sextæ, & Cyrillus lib. Thesaurorum vicesimo, docent Angelos immortales esse, *non natura, sed gratia.*

Responsio.

Resp. nomine *gratiæ* intelligi à PP. donum creationis, & conservationis, non supernaturale auxilium, quod per subministrationem Spiritus Sancti pertinet ad concupiscentias, tentationesque vincendas; ut observant Patres Africani in Epistola inter Augustinianas CLXXVII. alias XCV. Quod vero hanc gratiam creationis & conservationis Patres intelligant, satis liquet; nam Hieronymus ait immortalitatem Angelorum esse donum largitionis, quoniam illam non habent *per semet*: Et Damascenus apud Petavium lib. 1. de Angelis cap. V. n. 3. immortalitatem Angelorum explicat esse donum gratiæ exemplo rotæ, quæ circumagitur, & identidem à movente accipit impressionem; Cyrillus quoque affert exemplum consimile ignis, qui ab agente movetur. Et recte; Sapiens enim cap. XI. 26. ita Deum alloquitur: *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?*

5. Oppositio 3. cum solutione.

Argues 3. Angeli sunt ex nihilo: Ergo in nihilum tendunt. Resp. dist. consequens: In nihilum tendunt, id est, nisi eos conservet manus Omnipotentis, necesse est ut redigantur in nihilum, concedo: id est, habent intrinsecum mortalitatis principium, quod est qualitatum pugna, aut partium compositio, nego consequentiam. Quod Angeli ex nihilo producti à prima causa dependeant, & jugi conservatione sint quodammodo instaurandi, probat illos mortales esse *ab extrinseco*, & immortales voluntate Creatoris. At nullum inde consequitur in eis physicæ corruptionis principium, quod est contrarietas, aut *potentia* materiæ. Dixi autem *physicæ*; nam ex quo spiritualis substantia sit ex nihilo, oritur in ea potentia peccandi, quæ est quædam species mortalitatis: cujus variatio cogitationum, affectuumque mutabilitas intrinsecum principium est; quomodo pugna corporearum qualitatum principium est corruptionis. Atque hinc est, quod ubi datur unius cogitationis, sive delectationis necessitas, quemadmodum contingit in patria, tollitur largitionis dono etiam hæc species mortalitatis, sive potentia peccandi.

CAPUT IV.

Quænam differentia sit inter Angelos statuenda?

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. 3. & 4. Probatur, non repugnare multiplicationem Angelorum in eadem specie.
5. & 6. Defenditur ut probabilius, Angelos omnes esse ejusdem speciei, & solùm intercedere differentiam accidentalem videlicet ordinis, muneris, ac dignitatis.
à 7. Usque ad 10. Solvuntur objectiones.

CONSI-

1. Quomodo differant Angeli.

CONSILIUM mihi erat in hac quæstione magnam sequi Augustini modestiam, qui de Angelorum discriminibus in lib. contra Priscillian. cap. x. ait: *Quo me contemnas, quem magnum putas esse Doctorem, quænam ista sint, & quid inter se differant, nescio.* Verum Scholastici quæstionem hanc nolunt prætermitti, & ad eam ventilandam me compellunt. Id vero, ut faciam moderatione, quam scientiam oppurtunitatis appellat Cicero, & quæ in rebus obscurioribus maxime tenenda est; prætermitto diversas Theologorum sententias, quorum plerique putant Angelos differre invicem *specie*, plerique numero, plerique vero cum numero, tum *specie*. Quid sit autem differre *specie*, neminem puto latere: nam quemadmodum *speciei* nomine essentiam rerum naturamque intelligimus; ita differentiam *specificam* eam, quæ essentiæ importat discrepantiam, consuevimus nominare. Hanc dari inter Angelos minime affirmo, quos inter, probabiliori sententia, sola accidentalis discrepantia statuitur: idque exponam, hæsitans tamen, & plerumque mihi ipsi diffidens.

2. Propositio. Angeli multiplicantur in eadem specie,

PROPOSITIO I. Non repugnat plures Angelos in eadem specie multiplicari.

Probatur.

Videtur hæc Conclusio Patrum auctoritati, & Theologicæ ratiocinationi consentanea. Nam 1. S. P. Augustinus lib. III. de Lib. arb. cap. 12. docet, quod *etiamsi peccassent omnes Angeli, nullam inopiam facerent ad regendum imperium suum Auctori Angelorum; non enim bonitas ejus, quasi aliquo tædio, & omnipotentia deficeret difficultate ad creandos alios, quos in iisdem sedibus collocaret, quas peccando alii deseruissent.* Quare ergo non poterit Deus similiter condere Angelos ejusdem essentialis perfectionis cum iis, qui fuerunt producti? Nunquid Divina providentia largiri potest aliis Angelis eamdem gratiam, eamdemque gloriam, & Divina omnipotentia nequit illis eamdem naturam, essentiamque impertiri? Deinde Patres diffidenter, dubitanterque de Angelorum differentia loquuti sunt, quæ dubitatio nulla accedente Ecclesiæ definitione facit, ne præsens controversia ad fidem pertineat. Et quidem Augustini verba ex libro contra Priscillianistas ad Orosium supra produximus; quibus similia repetit capite quinquagesimo octavo Enchiridii. Damascenus quoque lib. II. cap. 2. *Sive æquales sint Angeli secundum speciem*, (inquit) *sive differentes, nescimus.* Illud vero, de quo Patres tam vehementer dubitant, non debet credi impossibile: non enim adeo insignite rudes censendi sunt, ut aperte pugnantia in dubium revocaverint. Igitur existimaverunt saltem virtute Divina fieri posse, ut plures Angeli eamdem specie naturam nanciscerentur.

3. Confirmatur ratione humana.

In hujus thesis confirmationem obviam fit humana ratio. Nam substantia Angelorum est reipsa finita ac limitata: Alias ergo *specie* consimiles omnino substantias compatitur. Quippe ideo Essentia Dei omnem aliam, quæ sit ejusdem *speciei* excludit, quoniam infinita est, incommutabilis ac perfectissima. Igitur si Angelorum essentia illimitata non est, neque undequaque perfecta, plures in eadem *specie* poterit comprehendere. Atque argumentatio ista duabus aliis corroboratur. Primo enim per Thomistas substantia Angelorum ratione limitationis suæ defacto in plures *species* dividitur. Ergo nihil impedit, quin unaquæque Angelica *species* propter finem, ac mensuram, qua concluditur, in plura individua sit distributa. Præterea animæ rationales, quoniam terminationem ac modum habent, in eadem *specie* multiplicantur. Itaque multiplicari quoque poterunt Angeli, cum terminum ac finem forte, & conditione creaturarum habere debeant.

4. Oppositio Thomistarum cum solutione.

De Anima rationali respondent Thomistæ multiplicabilem esse numero ratione subjecti, sive ordinis ad corpus; quum impossibile sit haberi differentiam numericam sine materia. At nos hæc refellimus I. Quia potest Deus rationalem animam condere, quæ nullum habeat ordinem ad corpus: nam si facit animas separatas sine corpore existere; potest etiam animas producere, quæ non sint natura sua formæ corporum, & tamen eamdem habeant spiritalem substantiam, eademque polleant virtute. II. Ordo ille, quem animæ dicunt ad corpus, non efficit, sed supponit ipsarum animarum *individuationem:* quum prius sit aliquam rem esse in se, quam dici ad aliud, saltem aut natura, aut ratione. III. Rationalis anima, & quælibet forma in materia, seu corpore recepta, multiplicabilis est, eoquod subjectum dat ei particulare ac distinctum existendi modum; Sed etiam agens confert rei creatæ esse aliquod particulare & distinctum: Quælibet ergo creatura erit numero multiplicabilis. IV. Non video, quomodo materia res corporales

les individuas constituat, nisi quod certis figuræ, extensionis, aut loci adjunctis illas afficit, ac determinat. Plura ergo individua in una *specie* Angelica erunt, si natura Angeli sint circumscripti, variisque characteribus, ac proprietatibus exornati.

5. Propositio 2. Angeli differunt in ordine, munere, & dignitate.

PROPOSITIO II. Videtur probabilior, ac Patribus magis consentanea sententia eorum, qui affirmant Angelos omnes esse unius *speciei*, neque inter illos aliquam discrepantiam intercedere, nisi accidentalem, qualis est inter stellam, & stellam, aut animam, & animam, differentiam videlicet ordinis, muneris ac dignitatis.

Probatur ex Patribus.

Sequitur hæc propositio ex præcedenti, & probatur ex Patribus. Maximus Martyr cap. 5. de Hierarch. Eccl. ait: *Angeli omnes, ut appellationis unius, sic & naturæ omnino sunt ejusdem:* ac subinde: *In Angelis alius est princeps, alius subjectus, & tamen natura Angeli sunt omnes: & in dignitate quidem est differentia, in natura vero communio. Nam & stella à stella differt in gloria, natura vero stellarum omnium est una.* Gregorius Nyssenus sub finem lib. VI. docet intelligibiles substantias enumeratas à Paulo ejusdem esse naturæ, quemadmodum sunt invicem plures animæ: *Quamobrem*, inquit, *qui dicit naturarum differentias in numeratis à Paulo nominibus indicari, seipsum seducit.* Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joan. *Angelus ab altero Angelo nulla re differt, secundum id quod sunt Angeli: nempe cum omnes sint ejusdem speciei, in unam naturam colligantur.* Et in Dialogo 1. de Trinit. *Annon similis est natura Angelus Angelo, & homo cuivis alteri homini?* Habent similia Paschasius lib. 2. de Spiritu Sancto, Gelasius in lib. adversus hæresim Pelagianam, aliique complures. Patres ergo in eam sententiam propendent, quæ affirmat Angelos discrepare ab invicem tantummodo accidentaliter, sive gradu, ordine, ac dignitate.

6. Probatur Theologicè.

Ex his SS. PP. testimoniis etiam Theologica ratio deducitur. Etenim diversitas dignitatis aut muneris non est essentialis & *specifica*, sed accidentalis tantum, & qualis inter individua ejusdem naturæ intercedit: Angeli, ut Patres tradunt, non differunt nisi dignitate, vel ordine: Ergo diversi sunt tantum accidentaliter, non *specifice*. Præterea, ut scite animadvertit in hac eadem quæstione Petavius, in rebus, quæ à sensibus remotæ sunt, magis auctoritate duci ac moveri debemus, quam ratione, quæ nulla satis firma potest suppetere. Demum Tom. XXV. Bibl. PP. pag. 331. dicitur damnata à Stephano Parisiensi de consilio Magistrorum Theologiæ anno 1277. hæc propositio numero sexta decima: *Quia intelligentiæ non habent materiam, Deus non potest plures ejusdem speciei facere.* Quæ damnatio, qualiscunque sit, saltem evincit non esse solam materiam physicam principium *individuationis:* qua tutela, præsidioque tegitur imbecillis plurimorum opinio.

OBJECTA REFELLUNTUR.

7. Objectio 1.

Primo objiciunt: Quæ differunt forma, differunt *specie*, forma enim est ipsa essentia, sive, ut loquuntur Scholastici *constitutivum rei:* sed Angeli differunt sola forma, quoniam materiei sunt expertes: ergo Angeli differunt *specie*.

Solutio.

Resp. dist. majorem propositionem. Quæ differunt forma &c. videlicet per rationes *formales*, seu per ea, quæ scholæ appellare solent *prædicata essentialia*, concedo: quæ differunt forma, id est, aliqua existendi limitatione ac mensura, nego. Ergo duplici modo una forma discrepare potest ab alia. Primo per essentiale sui constitutivum, ut forma hominis differt à forma equi; & hæc differentia essentialis est, atque *specifica:* secundo per modum ac finem existentiæ suæ, quomodo anima unius hominis differens est ab anima alterius: & differentia istiusmodi non *specifica* est, sed *numerica*. Talis est Angeli ab Angelo discrepantia.

8. Objectio 2.

Apponunt alteram objectionem: Forma, quæ recepta non est, existit indivisibiliter: substantia Angelorum est forma, quæ recepta non est: Igitur substantia Angelorum indivisibiliter existit.

Solutio.

Resp. dist. majorem: Si hujusmodi forma, ut non recepta, ita sit infinita, quemadmodum est Deus, aut indeterminata, quales sunt *species* Dialecticorum, & universalia Porphyrii; concedo: Si forma in nullo recepta corpore sit ab agente in aliquo existentiæ modo coarctata, uti est substantia quælibet physica à Deo producta, nego. *Formæ abstractæ*, E. G. albedo, rationalitas, plura individua non habent, quoniam non sunt aliquæ formæ physice existentes ac limitatæ: sed ratio quædam intelligibilis, aut idea rerum, aut mentis perceptio, cujus ope de omni albedine, de omni rationali substantia judicium fertur. At forma quæcunque physica, licet à corpore divulsa sit, non est omne esse phy-

physicum, nisi forte sit infinita; & per consequens in plura individua scindi potest, ac dividi.

9. Objectio 3. Tertiam adhuc rationem addunt: Conveniens aptumque fuit plurium rerum spiritualium *species* condi, quemadmodum consentanea ac decens fuit productio plurium rerum corporearum.

10. Solutio. Resp. dari quidem plures spirituales substantias, quæ *specie* differunt: datur enim Deus, id est substantia intelligens, & simpliciter infinita: datur Angelus, sive substantia intelligens & completa; & datur anima rationalis, quæ est substantia intelligens, & forma corporis. In Angelis autem plures *species* minime convenire videntur, quandoquidem curnam fuerunt creati? Ad laudem Conditoris sui, ad præsidium orbis terrarum, ad ministeria obeunda: quæ omnia solam postulant differentiam ordinis, ac dignitatis. Econtra plures rerum corporearum *species* homini, cujus gratia conditæ sunt, necessariæ esse videbantur. Sed in his, quæ à Dei pendent arbitrio, id consentaneum, & decorum est existimandum, quod ei placuit, non quod in animo versatur humano. Denique si rerum spiritualium, & corporearum idonea sit comparatio; erit in Angelis non solum differentia essentialis, verum etiam *numerica*, quum utraque inter corporales naturas intersit.

CAPUT V.

De Angelorum numero ac multitudine.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. 3. & 4. Probatur, numerum Angelorum non esse hominum multitudine ampliorem, sed reponendum inter res incertas.

1. Quis numerus & multitudo Angelorum. PRINCIPIO tanquam certum tenendum est Angelos esse in aliquo magno numero, quamquam Rab. Moyses tot esse credidit, quot sunt cœlestia corpora, quæ ab ipsis moventur. Verum refellitur hæc sententia ex Danielis VII. 10. & Apocalyp. v. 11. ubi legitur: *Et erat numerus eorum millia millium;* id est, maxima, & propedum infinita multitudo; ut affirmant Cyrillus Orat. XII. Dionys. de Cælesti Hierarch. cap. XIV. & Hom. 2. de Incomprehensibili Jo. Chrysostomus. Neque contrarium evincit, quod Raphael Angelus ait Tobiæ XII. 15. *Ego enim sum Raphael Angelus, unus ex septem, qui adstant ante Deum:* unde consequi videtur Angelos non esse nisi numero septem. Nam septem sunt veluti Principes cæterorum, & sublimiori gradu throno proximi divinitatis, cum ii dicantur thronis regum adstare, qui intimæ sunt admissionis. Quare primores Angelos septem commemorat etiam Joannes in Apocalypsi cit. cap. v. n. 6. *Qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram:* at ne quis credat hoc parvo numero spiritales substantias finiri, additur infra num. 11. *Et vidi, & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu Throni.* Cum itaque magna sit multitudo Angelorum; inquirendum est, an eorum numerus hominum universorum summam excedat. Atque non tantum homines, sed etiam singulas res corporeas ab Angelorum multitudine superari docet q. L. art. 3. beatus Thomas: *Quia*, inquit, *quanto aliqua sunt magis perfecta, tanto in majori excessu sunt creata à Deo.* Verum hæc ratio admodum lubrica est, & incerta; tum quia rerum creatarum numerus à sola Dei voluntate dependet; tum etiam, quia hoc posito fundamento propagandi forent homines supra numerum lapidum, & arenarum. Aptius ergo inter Angelos, hominesque instituemus comparationem.

2. Propositio incerta est multitudo Angelorum. PROPOSITIO: Videtur numerum Angelorum non esse hominum multitudine ampliorem, sed incerta res est, neque debet temere definiri.

Probatur non plures esse Angelos quam homines. Habet theorema partes duas: quarum prima ostenditur ex cap. XX. Lucæ v. 36. ubi de Filiis resurrectionis, id est prædestinatis ad gloriam legitur: *Æquales enim angelis sunt.* Quæ verba de immortalitatis quidem dono, & cælesti beatitudine accipienda sunt, sed etiam parem Angelorum Sanctorum, beatorumque hominum numerum insinuare videntur. Nam S. P. Augustinus capite Enchiridii XXIX. ita hunc locum interpretatur: *Hoc enim promissum est resurgentibus Sanctis, quando erunt æquales Angelis Dei. Ita superna Jerusalem mater nostra, civitas Dei nullo civium suorum numerositate fraudabitur, aut uberiore etiam copia fortasse regnabit.* Tradit consimilia lib. XXII. de Civit. Dei

Dei cap. 1. scribens. *Tantum populum per gratiam suam collegit, ut inde suppleat & instauret partem, quæ lapsa est Angelorum.* Futurum autem in gloria æqualem numerum hominum Angelorumque tradunt alii Patres, præsertim Gregorius Hom. XXXIV. in Evangelia: nec repugnat ratio, cum prædestinatio post Adæ lapsum sit Dei beneplacitum eligens homines ad instaurandum numerum supernorum civium, unde Angeli apostatæ ceciderunt; quod etiam Anselmus docet in lib. Cur Deus homo cap. 18. & Isidorus de summo bono cap. 52. Quot vero Angeli lapsi sint, incertum quidem est, sed tamen minores fuisse stantibus videtur sequi ex versu 4. capitis XII. Apocalypseos: *Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum.* Hæc enim verba licet de eximiis viris proferantur, qui in extrema persecutione ad ambitum terrenæ gloriæ inhiabunt, alludunt tamen, ut cum Victorino docent Interpretes, ad superborum Angelorum ruinam: qui non arithmetice, sed proportione quadam pars stellarum tertia appellantur. Ergo si Angeli comparentur cum hominibus, qui ab Adam ad finem usque mundi futuri sunt, erunt numero pauciores: Nam homines prædestinati aut æquant, aut excedunt numerum Angelorum Sanctorum, aut saltem neque tertia, neque magna pars omnium plane hominum dici possunt: & homines reprobi qui supergrediuntur multitudinem electorum, superare debent multitudinem dæmonum, quoniam hi pauciores sunnt Angelis sanctis, sunt tamen tertia, sive magna pars Angelorum.

3. Argumentum Vasquesii cum solutione.

Huic argumento respondet Vasquesius, etiamsi certum sit sedes Angelorum supplendas esse ex hominibus, incertum tamen esse, an tot homines in eas sint ascisendi, quot Angeli ceciderunt. At hæc responsio refellitur, quoniam nisi tot saltem homines salvi fierent, superna Hierusalem civium suorum numero defraudaretur: quare nisi homines salvandi sint plures, æquabunt proculdubio Angelos perditionis. Reponit Cornelius à Lapide in cap. XII. Apocalypsis, tertiam partem dici pro magno numero. Ita est; sed magnus numerus, qui sit plusquam dimidia totius summæ pars, nequit per auxesin appellari pars tertia; alioqui non accretionis figura erit, sed diminutionis: unde fateor tertiam stellarum partem designare numerum indefinitæ multitudinis; sed nego hanc indefinitam multitudinem, quæ dicitur pars tertia, cæterarum stellarum, id est, beatorum Angelorum numerum superare. Estius denique ait Angelos in Scripturis numerari quadam *emphasi*, quæ nullibi tribuitur hominibus, ut quando apud LXX. censentur Danielis VII. 10. Angelorum μυριας μυριαδες, *decies millies centena millium.* Verum fallitur, nam Genes. XXIII. 17. soli filii Abraham æquiparantur arenæ, quæ est in littore maris, & homines prædestinati cap. VII. Apoc. 9. dicuntur *turba magna, quam dinumerare nemo potest.* Pauci autem homines appellantur aliquando, propterea quod non omnes simul vivunt, sed procreantur quotidie permulti, permultique in pulverem suum revertuntur. Hactenus probabiles conjecturæ.

4. Probatur incertitudo.

Altera enim pars propositionis, videlicet, quod non possit de hac re certum proferri judicium, probatur ex Dionysio, sive Auctore librorum de Divin. Nom. & Cæl. Hierarch. cap. 14. & Dionysio Carthusiano Coment. in hunc locum, Aenea quoque Gazæo in Theophrasto, & Thoma Aquinate citata quæst. L. qui omnes defendunt exercitum supernarum mentium excedere omnium rerum corporearum multitudinem. Quamquam S. Thomas explicatur à Cajetano de numero *specierum*, non individuorum materialium; quem numerum forte singuli homines superabunt. At quidquid dixeris, neque certa ratione probari potest, neque apertissime refutari.

CAPUT VI.

Quo tempore, & loco à Deo Angeli producti sint?

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. 3. & 4. Probatur, probabilius Angelos una cum rebus corporeis fuisse creatos.
5. Ostenditur, hanc sententiam minimè pertinere ad fidem.
6. 7. 8. Propugnatur, neque ad fidem spectare sententiam, quæ asserit Angelos fuisse in Empyreo creatos.

à num. 9. usque ad 15. Eliduntur contraria argumenta.

SPIRI-

1. Tempus & locus productionis Angelorum.

SPIRITALEM, corporeamque creaturam à Deo conditam liquet ex definitione Lateranensis Concilii allata secundo capite, & ex idea ac notione creaturarum, quæ demonstrat nullam rem, præter summam divinamque substantiam, existere à semetipsa. Tantummodo de loco, ac tempore creationis Angelorum potest in ambiguo Theologica disputatio versari. Græcorum enim plures Angelos ante aspectabilem mundum conditos pronuntiarunt; & Augustinus aliquando ac Rupertus productos in superiore parte aeris tradiderunt: at communior videtur opinio in cælo Empyreo, & una cum rebus visibilibus fuisse productos. Hæc duo proximæ inquisitioni segetem ac materiam suppeditabunt.

2. Propositio Angeli cum rebus corporeis creati.

PROPOSITIO I. Est probabilior sententia eorum, qui existimant Angelos una cum rebus corporeis fuisse creatos.

Probatur ex S. Scriptura.

Sacris literis, testimonio Patrum, & ratione probatur. Genes. 7. legitur: *In principio creavit Deus cælum, & terram*: quod ita communiter accipitur, ut nihil antea Deum creavisse intelligatur, ut docet Augustinus XI. de Civit. Dei cap. 6. & Exodi XX. 11. *Sex diebus fecit Dominus cælum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt*: id est quæcunque cæli, aut terræ ambitu continentur. Angeli ergo, qui & creaturæ sunt, & aliqua hujusce molis parte clauduntur, creati ante cælum & terram nequaquam fuerunt.

3. Probatur è testimonio Patrum.

Ex Patribus autem, cum non omnes idem sentiant, hos proferam. Augustinus, qui tamen aliquando perplexe loquitur, Angelos lucem prima die à Deo conditam appellat lib. v. de Gen. ad lit. cap. 19. & in lib. imperfecto de Genes. cap. v. n. 20. exponens verba Geneseos, *Fiat lux*, ait: *Alia est lux de Deo nata, & alia lux quam fecit Deus: nata de Deo lux est ipsa Dei Sapientia; facta vero lux, est quælibet mutabilis sive corporea, sive incorporea.* Et lib. XI. de Civ. Dei cap. 33. *In principio creavit Deus cælum & terram: quibus nominibus universalis est significata creatura, vel spiritualis & corporalis, quod est credibilius; vel magnæ duæ mundi partes, quibus omnia, quæ creata sunt continentur.* Epiphanius quoque hæres. 65. *Illud* (inquit) *evidenter divinus sermo declarat, neque post sydera productos Angelos, neque ante cælum terramque constitutos.* Nonnullos alios laudabimus paullo infra.

4. Probatur ratione.

Suffragatur & ratio. Vel enim Angeli creati sunt multis ante mundum sæculis, ut Græci plures affirmant, vel exiguo intervallo: Si creati fuerunt pluribus antea sæculis, aut initio peccaverunt, aut in accepta justitia aliquandiu perseverarunt. Porro non illico peccaverunt, quippe post peccatum rudentibus inferni detractos esse, sive in caliginosum aerem, sive subtus terram, certa argumenta, & invicta testimonia declarant. At neque aer tum erat, nec terra, quo possent relegari. Perseveraverunt igitur perdiu, & ceciderunt postea mundo jam condito. Verum si hoc esset, in gratia confirmati fuissent simul cum Angelis sanctis, qui stantes per liberum arbitrium majorem Divinorum beneficiorum amplitudinem acceperunt. Quod si factos dixeris paullo ante corpoream creaturam, ruet tunc præsidium vetustæ auctoritatis, & qualecunque argumentum Græcorum. Nam hi infinita propemodum spatia ponunt inter creationem Angelorum, & mundi, ut illi fierent Creatoris munificentiæ participes, divinasque laudes longe ante tempora sæcularia præcinerent. Ergo nugatorie, tenuiterque putatur conditionem Spirituum aut maximo, aut brevi intervallo productionem rerum visibilium antevertisse.

5.

PROPOSITIO II. Ad fidem superior sententia nequaquam spectat.

Propositio 2. sententia prior non pertinet ad fidem.

Contrariam opinionem proscriptam anno 1215. à Synodo Lateranensi cap. 1. censent Vellosillus in Advert. ad IX. Tomum Hieronymi Quæst. 33. & nonnulli post Ferrariensem Scholastici: quos erudite refellit Gabriel Vasquez Disput. CCXXIV. & Juenin dissert. 1. de Angelis q. 3. Et juremerito: nam primo S. Thomas, qui post Lateranense Concilium floruit quæst. LXI. art. 3. ait: *Non est igitur probabile, ut Deus, cujus perfecta sunt opera, ut dicitur Deut. XXXII. creaturam angelicam seorsum ante alias creaturas creaverit; quamvis contrarium non sit reputandum erroneum, præcipue propter sententiam Gregorii Nazianzeni, cujus tanta est in Doctrina Christiana auctoritas, ut nullus unquam ejus dictis calumniam inferre præsumpserit, sicut nec Athanasii documentis, ut Hieronymus dicit.* Hoc vero Thomæ judicium probant Genebrardus Parisiensis Theologus, Estius, Petavius, aliique celebriores, quorum plerique accurate Concilii verba librarunt. Deinde si quæstio hæc esset Lateranensi decreto definita, id esset, quoniam ab eo damnantur errores Origenis, & eorum, qui autumarunt spirituales substantias primum productas à Deo, ut spirituali duntaxat

Probatur.

taxat fruerentur dignitate, ab his vero conditas res corporeas, illasque post culpam in aerea corpora, tanquam in carcerem fuisse detrusas. At Nanzianzeni, Cassiani, aliorumque sententia de Angelorum ante mundum adspectabilem productione nihil cum perversis Origenianis erroribus habet commune. Quamobrem, dummodo quis profiteatur solum Deum universæ creaturæ auctorem esse, nullamque ab Angelo, vel dæmone procreatam, neque dogma aliud in Origenistis, Manetisque gregalibus fulguritum ab Orco revocet; non est, cur ob assertam præexistentiam Angelorum Lateranensis Concilii damnationi subjiciatur. Præterea duo tantum sunt in ea Concilii definitione, quæ hominem Theologum possent aliquantulum commovere: unum, quod affirmetur, utramque creaturam, spiritualem, & mundanam fuisse conditam *initio temporis*: alterum quod pronuncietur utramque productam esse *simul*. Verum τὸ *initio temporis* facere nequit certum de fide argumentum, cum positum sit ad demonstrandum Angelos non esse æternos, neque semper extitisse, sed productos ex non extantibus, atque durationis suæ habuisse principium. Neque cogimur *tempus* accipere sensu Arabum philosophorum, & pro sola mensura motus rerum corporearum, cum alii, etiam è sectis Philosophicis, tempus describant, quod sit subsistiva quædam duratio rerum, quæ habuerunt initium, nec perpetuo extiterunt. Particula vero *simul* significare potest, Deum utramque creaturam *pariter* condidisse, quomodo viri docti, qui nolunt amplecti Augustini de simultanea rerum creatione doctrinam, explicant illud Ecclesiastici cap. XVIII. *Qui vivit in æternum creavit omnia simul.* Quam utique interpretationem patitur definitio Lateranensis, & hæresis ibi damnata eorum, qui Deum singularum creaturarum negabant esse Conditorem. Græcorum ergo sententia post Lateranensem Synodum ab hæreseos nota tecta, sartaque perseverat. Postremo Synodorum Sanctarum Patres in definitionibus pertinentibus ad fidem, duas exploratissimas regulas tenere solent, Traditionem, divinamque Scripturam. At ex Traditione Angelos ante mundum minime fuisse, nemo potest evincere. Contrarium namque sentiunt Gregorius Nazianz. Orat. XXXVIII. & XL. Damascenus lib. II. cap. 3. Auctor de Divinis Nominibus cap. 5. Maximus, Nicetas, & alii plurimi, quorum testimonia profert lib. I. de Angelis cap. XV. Petavius. Neque soli Græci hæc tradiderunt; verum etiam ex Latinis Ambros. lib. I. Hexam. Isidorus Hispalensis lib. I. de Summo Bono cap. 12. Hieronymus in cap. I. ad Titum, & Beda Tom. VIII. q. IX. Itaque traditio non est hac in re penitus manifesta. Textus autem Scripturarum probabilem quidem, ut diximus, sententiam faciunt: at non prorsus irrefragabilem. Nam verba Genes. *In principio creavit Deus cælum & terram*, non incongrue accipi possunt de principio durationis rerum corporalium, quarum narrationem Moyses instituit, ita ut sensus sit, nullam corporalem creaturam ante cælum terramque extitisse. Idem esse potest sensus verborum Exodi: *Sex diebus, &c.* quæ exponi possunt de rebus sensibilibus, quæ sunt quidem omnes sex dierum spatio productæ, & sunt ob molem propriæ quantitatis in loco extenso, & corporeo. Addunt aliqui verba Apostoli ad Heb. I. 14. *Omnes sunt administratorii Spiritus.* Verum neque hæc ad præsentem controversiam dirimendam sunt satis: quippe non est necesse, ut Angeli semper ministerium erga res corporeas exerceant, aut si exercent continuo, non sequitur eos non fuisse antequam exercerent: id enim spectat ad officium illis mandatum à Deo, non ad ipsorum productionem, sive substantiam. A primo ad ultimum liquet non esse dogma fidei, quod Angeli una cum rebus aspectabilibus creati sint, quamvis id à nobis probabilius esse judicetur.

PROPOSITIO III. Neque ad fidem spectat, imo nullatenus certa est vulgaris opinio, Angelos fuisse in Empyreo creatos. 6. Propositio.

Angelos in Empyreo creatos non est de fide.

Sunt enim quæ pro vulgata hac opinione afferuntur minus firma. Reducuntur ea vel ad auctoritatem, vel ad rationem; sed neutra consistunt. Auctoritas enim petitur ex locis Scripturarum, quæ plane diversam patiuntur interpretationem. Habetur primus Isaiæ XIV. 12. *Quomodo cecidisti de cælo lucifer, qui mane oriebaris?* quæ verba sunt literaliter accipienda de Rege Babyloniæ, qui movit castra adversus populum Judæorum, ut constat ex aliorum verborum complexu, & ex præcedenti versu 4. *Summe parabolam istam contra regem Babylonis.* Alludunt tamen, ut exponit super Ezechiel. Gregorius, ad casum diaboli; sed is dicitur cecidisse de cælo Luc. X. 18. quemadmodum *de cælo* cadit fulgur, id est de superna aeris regione. Alter locus est, quem

modo

modo laudavi, *Videbam ſatanam ſicut fulgur de cælo cadentem:* quem locum, præter allatam explicationem, exponunt Euthymius & Theophilactus, non de primo lapſu Angelorum, ſed de honore ac poteſtate dæmonis ante Salvatoris adventum, quando ille homines ſeducebat, & majori ſuperſtitione ab idololatris colebatur. Alii vero, & forte melius, referunt ea verba ad proxime præcedentia, *Domine etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis:* quæ diſcipulis referentibus, ille reſpondit non eſſe ſibi nova, quæ narrabantur: nam cum illi dæmonia ejicerent, ipſemet Chriſtus videbat *ſatanam ſicut fulgur de cælo cadentem.* Ultimus locus eſt Apocalypſeos XII. 7. *Factum eſt prælium magnum in cælo.* At non conſequitur, prælium factum eſt in cælo; igitur in cælo Angeli fuerant producti: potuerunt enim eo conſcendere, ut videtur colligi ex citato cap. Eſaiæ XIV. v. 13. *Qui dicebas in corde tuo, in cælum conſcendam:* quamquam & hæc de cælo Sanctæ Trinitatis commode exponi poſſunt cum D. Thoma, q. LXI. art. IV. ad 3. ſi referantur ad dæmonem: aut de Civitate Jeruſalem, ſi literaliter accipiantur de rege Babel. Sunt præterea, qui verba Apocalypſis interpretantur non de primo Michaelis cum dracone certamine, ſed de altero ſub mundi finem futuro, ſive de oppugnatione Eccleſiæ, & perſecutione Sanctorum, quos hoſtis humani generis continuo circuit, ut devoret. His ergo Scripturarum momentis, quibus plures nituntur, Angelos in Empyreo conditos non evincitur.

7. Ratio Thomiſtarum.

Neque id clare demonſtrat ratio Thomiſtica, quod Angeli creari debebant in ſupremo cælo, quia præſident *toti naturæ corporeæ:* non enim ſinguli Angeli iisdem corporibus præſunt, ſed alii cæleſtibus, alii ſublunaribus, alii ſpeciali ratione hominibus; neque omnes eadem virtute pollent, ſed unus alteri præſtat. Igitur ex Angelorum miniſterio, aut virtute, nequit probari unum eſſe locum creationis ipſorum, eumque in ſupremo omnium corpore: quin ſi argumentum aliquid efficiat, conſequetur omnes fere Angelos diverſam in ſui creatione nactos fuiſſe ſtationem; quod nemo unus concedet

Solutio.

Arbitrantur itaque nonnulli, atque inter hos S. P. Auguſtinus lib. III. de Gen. ad lit. cap. X. & Rupertus in Geneſ. cap. XI. Angelos creatos in ſuperiore parte aeris; quod de Angelis, qui peccaverunt putat S. Thomas cit. loco ad 3. eſſe valde probabile: atque ad auctoritatem Auguſtini reſpondet, vel de ſuprema parte aeris eum loqui quatenus idem eſt, ac Empyreum, vel de Angelis illis tantum, qui ceciderunt. Sed neutrum certum ſolidumque videtur. Quippe nequit Auguſtinus per ſuperiorem ætheris partem intelligere Empyreum ob propinquitatem; quoniam licet illa ſit proxima inferiori cælo, diſtat tamen ab Olympo Beatorum quamplurimum; neque propter *diaphaneitatem*, ut inquiunt; nam minor non eſt pellucentis coloris convenientia inter aerem, & aquam, quam ſit inter aerem & cælum; nec tamen proprie dicitur Angelos in aqua ad inſtar piſcium creatos. Econtra ipſum aerem ob locorum vicinias cælum appellamus, ut dum dicimus *imbres cæli, volucres cæli, rorem cæli*: ideoque & Angelos cæli appellare poſſumus Spiritus in aeris ſublimitate productos. Neque valet ratio altera, quod Angeli, qui peccarunt, in aere creati ſint, quod fuerint ordinis inferioris, & alios majori virtute præditos in cælo Empyreo. Nam primo fuit fortaſſe diabolus aliorum Angelorum princeps, non ordinis infimi. Deinde ſi ordinis virtutisque diverſitas diverſum creationis locum expoſtulat; non unus, aut duo, ſed novem ſaltem aſſignandi erunt ſeparati loci, ubi creati ſint Angeli: quod puto dixiſſe neminem; tametſi fuerunt qui dæmones, & angelos ſanctos ſeparatim productos affirmaverunt. Erit ergo Auguſtini ſententia communi illa ac vulgari longe probabilior, aut ſaltē non poterit manifeſtæ falſitatis revinci.

QUÆDAM ADVERSUS PRIOREM PROPOSITIONEM ARGUMENTA ELIDUNTUR.

9. Objectio 1. contra hoc quod Angeli cum mundo ſint creati.

Prima contra aſſertam Angelorum una cum aſpectabili mundo creationem occurrit objectio Caſſiani Collat. VIII. cap. 7. ubi ait: *Nec enim exiſtimare debemus Deum creationis & opificii ſui principia ab hujus mundi conſtitutione primitus inchoaſſe, quaſi in illis anterioribus & innumeris ſæculis ab omni providentia & diſpoſitione divina fuerit otioſus, ac tanquam non habens, in quos bonitatis ſuæ exerceret beneficia, ſolitarius, atque ab omni munificentia alienus fuiſſe credatur, quod de illa immenſa, ac ſine principio, & incomprehenſibili majeſtate humile eſt, incongruumque ſentire.* Quod comprobari ait ex verſu 7. cap. XXXVIII. Job, *Quando facta ſunt ſimul ſidera, laudaverunt me voce magna omnes Angeli mei.* Si enim Angeli laudabant Creatorem in molitione corporalis

ralis mundi, necesse est, ut ante mundi primordia producerentur. Videtur his subscribere, inquit Vasquez, Magnus Gregorius, qui Libro Moralium XXVIII. cap. VII. inquit: *Quia enim prima in tempore condita natura rationabilium Spirituum creditur, non immerito matutina astra Angeli vocantur.*

10. Solutio. Resp. Quod si Cassiani argumentum valeret, consequeretur Angelos esse æternos; unde istiusmodi argumentationes videntur ex Gentilium philosophia depromptæ, non ex Catholicorum penu Theologorum. Similia autem objicientibus Ethnicis pro asserenda mundi æternitate, in eo libro, qui proxime ad istum consequetur, respondebimus frustra volatilem sensum vagari quærendo sæcula ac tempora ante mundi creationem, quando tempus non erat, cum sit istud sola creatarum rerum mensura. Interim ad hujusmodi nugarum solutionem sufficit animadvertere, ante creatas res solam præcessisse æternitatem, in qua fingi nequit subcisiva duratio, qua dicatur Omnipotens de quiete ad operationem transire. Allata verba Jobi in Vulgata, & in Hebræorum Codice leguntur, *Cum me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei*: sed admissa quoque versione LXX. dicendum est Angelos, qui in sapientia & intellectu conditi sunt, potuisse in priori suæ creationis momento Deum laudare. Deinde creati dicuntur à nobis prima die, & astra producta sunt die quarta; unde non mirum si quando sidera facta sunt, Deum laudibus prosequebantur, & astrorum creationi adstiterunt, præsertim in sententia eorum, qui sex dies Geneseos naturales esse defendunt. At Gregorius citato cap. VII. docet expresse naturam Angelicam conditam in tempore; ideoque primo creatam affirmat, quoniam producta est mane primæ diei, ut melius, quam Vasquesius faciat, observat Alardus Gazæus Comment. in eamdem Collationem Cassiani.

11. Objectio 2. Deinde objiciunt quædam alia testimonia sacrorum librorum, ut Job. XL. 10. *Ecce Behemoth, quem feci tecum.* Et v. 14. *Ipse est principium viarum Domini*: quæ de dæmone à pluribus accipiuntur. Et Apost. ad Tit. I. 2. vitam æternam promissam scribit *ante tempora sæcularia*; Fuerunt ergo ante sæculum, mundanaque tempora rationales creaturæ, quibus Deus sempiternam promitteret beatitudinem.

12. Solutio. Verum hæc nullius momenti sunt, בהמות *Behemoth* enim, scilicet *fera ferarum*, apud Jobum significat Elephantem, qui quantumvis ferus, mansuescit, nec rapto vivit, sed hominibus inserviens pascitur herba. Hortatur enim ibi Deus hominem ad mansuetudinem ferarum exemplo, & præsertim commemorat *Behemoth*, seu Elephantem, cum habeat durissimum dorso tergum, & cartilagines tanquam laminas, proboscidem tamen versat, perfoditur, oneratur, & circa eum ludunt bestiæ agri. Quæ omnia illic narrantur de *Behemoth*, sive fera, quæ dicitur *principium viarum Domini*, id est maxima inter terrestria animalia: nam quæ in suo genere præcipua sunt, appellantur Hebræis ראשית, *initia*, & *capita*. Affertur deinde exemplum *Leviathan*, piscium scilicet maximi, qui ad instar minutorum trahitur unco: ut nempe homo exemplo terrestrium maritimarumque ferarum humilietur sub potenti manu Dei. Quod si mavis hæc ad diabolum referre, non ero in disputando perpugnax: sed dicam hunc esse ראש *caput* viarum Domini, quoniam spectat ad lucem primæ diei mane creatam. Nam quod ait Apostolus ad Titum, vitam æternam repromissam fuisse *ante tempora sæcularia*, idem est ac fuisse ab æterno prædestinatam ac præparatam, ut exponunt Chrysostomus, Anselmus, & lib. XII. de Civ. Dei cap. XVI. Augustinus. Aut *ante tempora sæcularia*, idem est, ac ante plurima tempora, & ante Abraham, de quo Judæi magnopere gloriabantur: ait enim idem Apostolus ad Timoth. II. cap. I. 9. etiam gratiam *ante tempora sæcularia* datam nobis in Christo: & habetur utrobique: πρὸ χρόνων αἰωνίων. Fuimus ergo nos etiam creati ante mundum, si valeat istiusmodi argumentatio.

13. Objectio 3. Tertio opponunt Græcorum PP. auctoritatem, qui non solum docent oppositum, verum & congruam tradunt, optimamque rationem; nimirum Deum non fecisse Angelos propter hominem, quemadmodum cœlum, & terram, sed ratione bonitatis suæ, ideoque non opus erat ut differret Angelorum productionem ad tempora hujusce machinæ. Addunt verba Damasceni lib. II. cap. 3. *Decebat primum intelligibilem substantiam creari, tum sensibilem, ac demum ex utraque compositum hominem.* Mitto Basilium, Nazianzenum, Origenem, aliosque, de quibus in 2. Propositione.

14. Solutio. Resp. in hac quæstione, quæ adiaphora est, nec spectat ad fidem, non exigi communem Patrum consensionem. Tamen non omnes Græcos adversarios habemus; cum præter Epiphanium diserte sen-

sententiam nostram confirment Theodorus Mopsuestenus lib. 1. in Genes. Theodoretus Quæst. III. Basilius Seleuciensis Orat. 1. aliique apud Cl. Dionysium Petavium. Neque urgent admodum allatæ rationes: ad primam enim patet responsio, si dicamus omnes creaturas in Dei gloriam primario fuisse productas, creatosque etiam Angelos in gratiam Universi, quod voluit Deus omnium creaturarum generibus exornare. Ad alteram ex Damasceno optima est responsio D. Thomæ, quod Angeli non constituunt per se unum universum, sed tam ipsi, quam creatura corporea in constitutione unius universi conveniunt; non est autem congruum, ut producatur pars absque toto. Si autem dicas unam creaturam corpoream productam esse ante aliam, etiamsi ad idem universum pertineat; respondet idem S. Thomas, singulas creaturas corporeas convenire in materia, qua producta creatæ fuerunt quodammodo omnes corporeæ substantiæ: quod minime valet de Angelis, qui in materia simul cum rebus corporalibus non conveniunt. Sed nos qui sententiam de creatione simultanea arbitramur valde probabilem, quod nec D. Thomas diffitetur, possumus etiam negare assumptum.

15. Objectio ultima.

Ultimum argumentum frequens est apud antiquiores Scholasticos atque ita se habet. Angeli non fuerunt creati simul cum tempore, neque post tempus: Ergo ante tempus. Ant. prob. nam substantia Angelica impartibilis est, tempus vero in partes dividitur, & consequenter substantia Angelica tota simul producta fuit, non item tempus. At impossibile est substantiam impartibilem, & divisibile tempus eadem mensura durationis existere, & tempus in primo indivisibili instanti produci. Itaque non potuit Angelica substantia produci simul cum tempore. Sed facilis est responsio; Solutio. negatur enim ant. & ad prob. distinguitur minor: substantia indivisibilis, & partibile tempus nequeunt simul existere eadem mensura durationis adæquata, & communi, ita ut simul incipiant esse, simul perficiantur, & simul desinant; concedo: mensura inadæquata, ita ut in eodem instanti incipiant esse, & spiritualis substantia existat tota, tempus vero aliqua sui parte; falsa est minor, & consequentia; quæ si valeret, sequeretur etiam rationalem animam, imo & formam omnem substantialem, priusquam tempus fieret, creatam esse.

CAPUT VII.

De gratia, quam in prima sui conditione Angeli receperunt.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. Ostenditur, Angelum in prima sui conditione habuisse actualem gratiam.
3. usque ad 7. Probabilius defenditur, Angelos etiam gratia sanctificante in prima sui conditione fuisse exornatos.
8. & 9. Solvuntur objectiones.

1. De gratia Angelorum.

Cum duplex sit gratia, *actualis*, quæ datur ad supernaturaliter operandum, & *habitualis*, quæ ulterius confertur ad ornatum, & sanctificationem animæ, cui inhærens tribuit, ut Divinæ naturæ participatione fruatur; de utraque gratia nunc inquiritur. Fuit enim veterum Scholasticorum opinio, quantum ad *habitualem* gratiam spectat, tam Angelum, quam primum hominem, hanc in sui creatione non accepisse, quam opinionem probant Aegidius noster, Alex. Alensis, Bonaventura, aliique permulti, quos sequitur etiam P. Gavardi quæst. VIII. de Angelis art. 2. & hanc sententiam posse absque temeritatis nota defendi scribit Estius, & nos infra, necnon lib. XII. adversus quosdam Recentiores demonstrabimus. Specialem enim de Adam ingerit difficultatem Tridentina Synodus sess. 5. Canone 1. De gratia autem *actuali*, sive adjutorio, ut Augustinus ait, *sine quo*, arbitror eos decipi, qui putant fuisse sententiam Aegidii Angelos creatos sine ulla gratia & dono supernaturali, & cum quadam tantum naturali innocentia. Diximus quippe lib. IV. cap. VIII. præclarissimum Doctorem de gratia gratum faciente verba facere, neque ullatenus à naturali innocentia & originali justitia beneficiorum Dei, quæ ad recte sancteque operandum sunt necessaria, largitatem rejicere. Atque id etiam liquet ex dist. XXIX. art. 2. dub. 3. laterali, ubi ait: *Oportet nos ponere hominem sic esse conditum, quod posset omnia præcepta vitare. Non ergo fuit conditus in puris naturalibus. Habuit ergo aliquod donum gratuitum superadditum naturæ, &c.* Quapropter Aegidius, qui originalem justitiam gratiam esse fatetur, negatque puram esse naturam, nequit ab ea actua-

iis gratiæ munera segregare. Sed plura de his Fridericus Gavardi: nos numero diximus, propositumque persequimur.

2. Propositio. actualem gratiam habuerunt.

PROPOSITIO I. Angelus in prima sui conditione habuit actualem gratiam, quam Sanctus Pater appellat adjutorium sine quo.

Ita S. Pater de Correpț. & Grat. cap. XI. ubi ait: *Si autem hoc adjutorium vel Angelo vel homini, quum primum facti sunt defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine Divino adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent.* Et de Civit. Dei lib. XI. cap. XI. inquit: *Simul ut facti sunt, lux facti sunt, non tamen ita tantum creati, ut quoquomodo essent, & quoquomodo viverent, sed etiam illuminati, ut sapienter beateque viverent.* Rursus cap. 9. proximi libri XII. posteaquam Angelos in bona voluntate conditos esse docuerat; ait: *Voluntatem quamlibet bonam inopem fuisse in solo desiderio remansuram: nisi ille qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex se ipso faceret implendo meliorem, prius faciens excitando avidiorem.* Ex quibus hæc ratiocinatio promitur: Adjutorium naturæ superadditum, quo Angeli poterant, si voluissent, in accepta perseverare justitia; quo creati sunt *lux*, nedum ut illuminati fierent in se, sed etiam adhærerent luci incommutabili, ac viverent sapienter beateque; quo demum fieri poterant *meliores*, & vividius ad sanctam delectationem, charitatemque excitari; tale, inquam, adjutorium est supernaturalis quædam gratia saltem actualis: Angeli in prima conditione hujusmodi adjutorium, illuminationem, & voluntatem bonam acceperunt: Ergo Angelis in prima sui conditione gratia saltem actualis collata fuit. Qualis autem hæc gratia extiterit, & per eam Deus, dominusque rerum omnium, qui creavit omnia bona valde, & mala ex bonis exoritura esse præscivit, sic ordinavit Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet quid posset liberum arbitrium illorum, deinde quid gratiæ suæ beneficium, in libro de Divina scientia, satis ut arbitror, explicavi. Ex his autem infertur Angelos viribus naturæ nequaquam potuisse se ad primam gratiam *actualem* disponere; potuisse tamen vi hujus gratiæ illuminantis ac præmoventis, se disponere ad gratiam *habitualem*, nisi eam in priori instanti recepissent; quemadmodum per hanc gratiam Angeli sancti pervenerunt ad plenitudinem beatitudinis, & ad vitam æternam, quæ non potest absque Divino adjutorio comparari.

3. Propositio 2. habuerunt gratiam sanctificantem quod tamen non est de fide.

PROPOSITIO II. Probabilior est sententia Theologorum asserentium Angelos in sui conditione fuisse etiam gratia sanctificante exornatos; non est tamen, ut quidam autumant, plane certa, & absque ullo fidei detrimento negari potest.

Probatio I: de gratia sanctificante.

Prob. 1. pars. Ac primo quoniam Augustinus de gratia collata Adam, cujus una cum Angelis habenda ratio est, differens cap. XI. de Correpț. & Gratia videtur præter adjutorium *sine quo*, etiam statuere bonam voluntatem & gratiam, in qua potuisset pro lubitu permanere. Ait enim: *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat qui fecerat rectum. Dederat & adjutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet.* At gratia, in qua potest quis manere si velit, est gratia sanctificans, quam à charitate Augustiniana schola non distinquit: Ergo cum in charitate actuali nemo teneatur perseverare, & cum actus quandoque inculpate omittantur, neque ab his desistere culpa sit; gratia, in qua creatura innocens non permanendo misera facta est, perditque originalem justitiam, est *habitus* casti amoris, sive gratia sanctificans. Deinde S. P. XII. de Civit. Dei cap. 9. de bona voluntate ait: *Et istam quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhærent, creavit, simul in eis condens naturam, & largiens gratiam? Unde sine bona voluntate, hoc est Dei amore nunquam sanctos Angelos fuisse credendum est.* Addit è vestigio, quod Angeli, qui in eadem bona voluntate perstiterunt, *pervenerunt ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent.* Hanc vero plenitudinem beatitudinis citato cap. XI. de Correpț. & Gratia, *hujus mansionis debitam mercedem* appellat. At gratia, qua pervenitur ad plenissimam beatitudinem, non est gratia duntaxat *actualis*, sed etiam justitia & sanctitas, cui jure proprio gloria tanquam corona rependitur. Si ergo Angeli sancti nunquam fuerunt sine bona voluntate, & charitate, cujus perseverantia plenam gloriæ felicitatem promeruerunt; nunquam extiterunt sine *habitu* charitatis, & justitiæ rectitudine. Præterea gratia, quam habent sancti homines, in quorum cordibus diffunditur charitas Dei *per inhabitantem Spiritum Sanctum*, non sola naturalis rectitudo est, sed gratia gratum faciens. Atqui bona voluntas, qua Angeli Sancti Deo adhærent, & à qua malus Angelus sponte defecit, dici-

dicitur ibidem ab Augustino, *Charitas Dei diffusa in eis per Spiritum Sanctum, qui datus est eis:* Itaque hæc bona voluntas, castus amor, & charitas non rectitudo naturalis dicenda est, sed vera propriaque gratia sanctificans; recteque Vives comment. in hunc locum de Augustino ait: *Aperte fatetur Angelos omnes creatos esse in gratia gratum faciente, quod idem ait libro de Correptione, & Gratia.*

4. Probatio 2. Consentiunt Augustino alii PP. imo & sacræ literæ. Basilius enim in Ps. XXXII. scribit: *Angelos namque ut essent Verbum omnium opifex condidit: sanctificationem vero simul impendit ipsis Spiritus Sanctus.* Et Damascenus lib. II. de fide cap. 3. *Per Verbum omnes Angeli creati sunt, ac per Spiritus Sancti sanctificationem omnis perfectionis numeros acceperunt.* Hieronymus quoque super Oseæ *Dæmones*, ait, *in magna pinguedine Spiritus Sancti creatos esse.* Sed Ezechiel cap. XXVIII. 52. de Dæmone sub figura Regis Assyriorum inquit: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore.* Et v. 15. *Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.* Ut enim scribit Beatus Gregorius lib. XXII. Moral. cap. 18. *Quid doni non habuit, si signaculum Dei similitudinis fuit?*

5. Probatio 3. Videtur etiam hæc sententia rationi conformis. Etenim sensibili, corporeæque creaturæ statim à principio inditæ sunt, ut Philosophi loquuntur, *seminales rationes* naturalium omnium effectuum: scilicet initio tribuit eis Creator formam, agendique virtutem comparate ad ea, ad quæ universalis providentiæ ordine referebantur. At Angeli creati fuerunt propter beatitudinem, cujus quasi semen est gratia sanctificans. Hac itaque gratia Angeli à principio conditionis suæ fuerunt ornati. Sed de hoc argumento vide S. Thomam q. 62. art. III. His ergo momentis in hanc sententiam lubentissime trahor.

6. Probatur sententiam non esse de fide. Cæterum spectare ad fidem, & irrefragabilem omnino esse (quod erat propositionis pars altera) id vero constanter inficior. Et primum confidentis Hierophantæ videtur hæreseos notam affricare Theologorum clarissimis, Magistro, Scoto, Richardo, Bonaventuræ, Aegidio, Argentinæ, aliisque plurimis, qui Angelos ac primum hominem in gratia sanctificante conditos negant, in qua tamen constitutos eos credunt ante lapsum, quod de primo saltem homine est salubriter, ac certissime confitendum. Ulterius laudanda est moderatio Estii scribentis: *Nihil esse in hac quæstione temeritatis, & periculi:* Postremo si originalem justitiam in hoc constituas, quod sit rectitudo rationis, absque ullo pugnantis affectus motu, mentisque ægritudine & evagatione, & præter naturæ perfectionem Angelis ac primo homini datam fatearis gratiam *actualem*, & donum amoris casti, quomodo Aegidianos nostros sentire arbitror; erit profecto modus aliquis interpretandi Augustinum, solvendique præmissa argumenta.

7. Modus solvendi præmissa argumenta. Respondebunt enim S. Patrem tribuere omnibus Angelis bonam voluntatem, & actum amoris casti, sed esse hunc à gratia *actuali*, & nullatenus prærequirere *habitualem*, quam promereri sibi debuerant in ea bona voluntate perseverantes; nam Augustinus citato lib. XII. de Civ. Dei cap. 9. omnes quidem Angelos tam bonos, quam malos conditos definit in bona voluntate, & actu sanctæ dilectionis, qui est gratia *actualis*, sed charitatem diffusam per inhabitationem Spiritus Sancti, quæ proculdubio gratia *habitualis* est, ut Aegidius docet in 2. dist. 29. q. 1. art. 3. ad Sanctos Angelos, non ad eos qui à bona voluntate sponte defecerunt, Augustinus pertinere declarat. Hic itaque castus amor gloriam promeruit, quoniam in eo Sancti Angeli perseverantes *habituali* charitate sunt exornati, qua ad plenitudinem beatitudinis pervenerunt. Hæc gratia *actualis* semen fuit vitæ æternæ, quatenus illius virtute incommutabili bono adhæserunt. Hæc *signaculum similitudinis*, Paridisi deliciæ, decor ac principatus, ob rationis rectitudinem, magnam absque ulla molestia tranquillitatem, divinæque illuminationem sapientiæ. Hæc demum justitia & sanctitas, ut Patres docent, non perfecta, quam Spiritus Dei inhabitans impertitur, sed inchoata quæ sita est in perfectione gratiæ *actualis*. Hæc Aegidiani nostri: quæ cum valde sint probabilia, firmissime teneo Angelos cum aliqua gratia, non in puris naturalibus fuisse conditos; num vero præter adjutorium *sine quo*, & gratiam sufficientem *actualem*, etiam *habitualem* receperint, probabilius quidem existimo, sed dubium adhuc, nec ad fidem pertinere pronuncio.

Contraria Argumentatio diluitur.

8. Oppositio. At Angelos in puris naturalibus absque ulla gratia productos videtur evinci ex

ex Scripturis, ex Patribus, & ex ratione. Nam Job. IV. 18. ubi legit Vulgata: *Et in Angelis suis reperit pravitatem*: habet Hebræus *Et in Angelis suis non posuit lucem:* Non ergo Angeli primitus supernæ gratiæ illuminationem receperunt. Item Augustinus 2. de Genes. ad lit. cap. 1. scribit Angelicam naturam primo *informiter* creatam, postmodum vero *formatam* esse, *lucemque* appellatam. Et Gregorius lib. 32. Moral. cap. 18. Angelum malum creatum utique affirmat cum capacitate charitatis, *qua repleri posset, si voluisset*, non autem cum charitatis ornamento & signaculo. Etiam Joannes Papa cap. *Visis literis*. Tit. XVI. q. 2. ait: *Dolet enim satis diabolus, & erubescit charitatem quam in cælis nequivit habere, homines constantes ex lutea natura tenere in terris.* Quibus si addatur numerus veterum Scholasticorum docentium Angelos conditos sine gratia, nescio quodnam firmius monimentum possit accedere: hoc enim Divina Scriptura, Patribus, ac Theologorum probatione suffultum est. Neque destituitur præsidio rationis. Gratia enim est medium inter naturam & gloriam: quemadmodum ergo Angeli non habuerunt in prima conditione cum natura gloriam, ita nec receperunt cum natura gratiam. Ita creatos Angelos in puris naturalibus vis auctoritatis rationisque suadet.

9. Solutio. Resp. Ex neutro capite sententiam nostram labefactari. Præferenda quippe est in cap. IV. Jobi Vulgatæ lectio, maxime quod in Hebræorum Codice occurrit vocabulum תהלה *Tahalab*, quod *lucem* pariter ac *stultitiam* significat: quamvis admissa ea lectione *In Angelis suis non posuit lucem*, possumus sic textum exponere: *Et Angelis non revelavit abscondita consilii sui;* nam & Chaldæus vertit: *Prophetis non credet arcana.* At Augustinus de prioritate naturæ ac rationis intelligendus est, cum eodem Opere lib. IV. cap. XXXII. doceat absque ullo temporis intervallo cælum ac lucem, naturam & gratiam habuisse principium, fuisse tamen hæc in cognitione Angelorum aliquo ordine, & unum alterum præcessisse, ut proxime cap. IX. explanabitur. Nam in XI. de Civ. Dei cap. XI. ait: *Simul ut facti sunt, lux facti sunt:* & seq. libro cap. IX. *Eos*, inquit, *cum bona voluntate creavit, simul in eis & condens naturam, & largiens gratiam.* Aut dicendum creatos Angelos *informes* per Augustinum, non quidem comparate ad gratiam, sed relate ad plenitudinem beatitudinis, ad quam adhærendo Creatori suo pervenerunt, ut docet de Corrept. & Grat. cap. X. Hac ratione exponendus est S. Gregorius, qui dubio procul loquitur de Charitate consummata aut de justitia permanente: cujus nexu noluerunt Angeli mali adhærere cum Sanctis incommutabili bono sponte gratiam, quam acceperant, deserentes. Comparat propterea Gregorius eodem loco Angelos in prima conditione pretioso lapidi *habenti foramina præparata, quæ possunt repleri auro*: repleri autem auro est perfici in charitate; aut si mavis Scholasticorum veterum tenere sententiam, sanctificante gratia exornari. In cap. *Visis literis* constat ex verborum antithesi idem esse *habere* ac *tenere;* ideoque non habuit diabolus in cælo charitatem & gratiam, quoniam cum haberet, sua voluntate deseruit. Legitur præterea in nonnullis Codicibus *habere nequit* præsentis temporis: unde sensus esse potest, diabolum de recuperanda justitia desperantem Sanctorum hominum invidia ac malevolentia tabescere. Atque ita allatis auctoritatibus respondetur. Postrema enim ratio est nimis levis & fracta; quoniam gloria finis est, & confertur ut merces, ideoque naturam, & operationem meritumque consequitur. Contra gratia principium est recte agendi, eamque simul cum natura largitus est Deus, quia creaturam rationalem condidit ut recte ageret.

CAPUT VIII.

Quatenus juxta Augustini doctrinam Angeli etiam cum Beatitudine facti sunt.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. Probatur, S. Augustinum nunquam docuisse, Angelos conditos fuisse beatitudine supernaturali.
3. 4. & 5. Removentur contraria.
6. 7. & 8. Ostenditur, S. Augustinum tantùm Locutum fuisse de beatitudine supernaturali inchoata.
9. Propugnatur, Angelos præter beatitudinem supernaturalem inchoatam etiam recepisse naturalem.

à num. 10. Usque ad 13. Satisfit objectionibus.

SED

1. Quid S. Augustinus de beatitudine Angelorum.

SED oritur quæstio altera, an in prima conditione Angeli una cum gratia beatitudinem sint consecuti, dicente Augustino de Corrept. & Grat. cap. x. etiam diabolum, & angelos ejus fuisse beatos antequam caderent. Hoc Theologi de beatitudine naturali solent exponere. Est autem beatitudo naturalis, ut eam D. Thomas definit Q. 62. art. 1. *Ultima perfectio quam rationalis creatura virtute suæ naturæ assequi potest.* At beatitudo supernaturalis est *omnium bonorum aggregatio, quibus per dona naturæ superaddita rationalis creatura perficitur, ac plenissima expletur felicitate.* In beatitudine vero tres potissimum dotes sunt distinguendæ. Prima est, quod beati sunt recti per gratiam: altera quod absque ulla molestia præsentis boni delectatione fruuntur: tertia denique, quod immutabili bono tanta scientiæ, & charitatis plenitudine adhærent, ut certissime sciant se amplius non esse casuros. De priori dote scribit S. P. lib. XI. de Civ. Dei cap. 12. *Quis enim primos illos homines in Paradiso negare audeat beatos fuisse ante peccatum, quamvis de sua beatitudine quam diuturna, vel utrum æterna esset, incertos? Esset autem æterna nisi peccassent, cum hodie non imprudenter beatos vocemus, quos videmus juste ac pie cum spe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere sine crimine vastante conscientiam,* De præsentis boni delectatione ait ibidem: *Quantum pertinet ad delectationem præsentis boni beatior erat primus homo in Paradiso, quam quilibet justus in hac infirmitate mortali.* Et lib. XIV. cap. 26. *Nihil omnino triste, nihil erat inaniter lætum: gaudium verum perpetuabatur in Deo, in quem flagrabat charitas ex corde puro, & conscientia bona & fide non ficta.* Denique de beatitudinis plenitudine lib. de Corrept. & Grat. cap. x. inquit: *Erat adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipsius permansionis acciperent, id est, ut magna per Spiritum Sanctum data abundantia charitatis Dei cadere ulterius omnino non possent, & hoc de se certissime nossent.* Liquet hanc postremam dotem reddere beatitudinem completam, atque perfectam.

2. Propositio I.

PROPOSITIO I. S. P. Augustinus nunquam asseruit Angelos conditos esse beatos beatitudine supernaturali, quæ plenitudinem felicitatis nuper expositam complecteretur.

Legenti citato loco Augustinum liquatissima traditur veritas; ait enim illico: *Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant; sed quia nesciebant suam futuram miseriam, minore quidem, sed tamen beatitudine sine ullo vitio fruebantur.* Et lib. XI. de Civ. Dei cap. 13. *Cuivis jam non difficulter occurrit utroque conjuncto effici beatitudinem, quam recto proposito intellectualis natura desiderat; hoc est, ut & bono incommutabili, quod Deus est, sine ulla molestia perfruatur, & in eo se in æternum esse mansurum nec ulla dubitatione cunctetur, nec ullo errore fallatur. Hanc habere Angelos lucis pia fide credimus: hanc nec antequam caderent habuisse Angelos peccatores, qui sua pravitate illa luce privati sunt, consequenti ratione colligimus: habuisse tamen aliquam etsi non præsciam beatitudinem, si vitam egerunt ante peccatum, profecto credendi sunt.* Demum præcedenti cap. XI. veram perfectamque beatam vitam nonnisi æternam esse declarat, ac talem non fuisse beatitudinem angelorum malorum, quia quandoque desitura erat, sive id scirent, sive nescientes aliud putarent: scientes enim timor, nescientes error beatos esse non sinit. Itaque ex Augustino hæc depromitur argumentatio: Vera perfectaque beatitudo requirit, ut creatura rationalis cadere ulterius non possit, & hoc certissime sciat: Angeli non sunt creati cum tali luce & abundantia charitatis, ut cadere non possent, idque certissime scirent: Ergo Angeli in vera plenissimaque beatitudine creati non sunt.

Probatur S. Aug. non asseruisse beatitudinem supernaturalem.

3. Instantia.

Forte dices, Augustiniana sententia est omnia unico momento fuisse producta, & sex dies in Genesi enumeratos esse unum temporis instans, quod in sex dies patitur secundum diversam cognitionem Angelorum, in qua est vespere & mane, vespere ob cognitionem creaturæ in seipsa, mane ob cognitionem creaturarum in Verbo: sed cognitio matutina & in Verbo est cognitio, quæ habetur in beatitudine consummata: Ergo in illo instanti productionis universi Angeli consummatam beatitudinem habuerunt.

4. Solutio.

Resp. dilucide Augustinum lib. IV. de Genes. ad lit. cap. XXXII. & XI. de Civit. Dei cap. VII. doctrinam suam explicare, quæ minime quatitur istiusmodi oppositione. Compendio dicam, nam proximo capite audiemus Augustinum ipsum paullo accuratius. Unicum quidem instans est temporis, quo per Augustinum Deus cuncta simul creavit, neque huic

instanti ex parte rerum creatarum dierum intervalla respondent. In mente autem Angelorum sunt quodam ordine cognitionis, qua sex dies Geneseos invicem distinguuntur. Principio creavit Deus naturam Angelicam *lucem*, hoc est, sapientia exornatam, & illuminatione, qua universam creaturam tanquam infra se positam in seipsa respiceret, & hæc cognitio est *vespertina*, quoniam versatur circa objectum, quod reddit illam mutabilem, non circa Dei Verbum, in quo sunt rerum omnium quæ temporaliter fiunt *sempiternæ rationes*. Jam habes *vesperam*. Deinde Angeli creaturam quam in se factam intuentur, referunt ad laudem creatoris, in eoque delectantur; & ita illucescit & habetur cognitio *matutina*, qua Deo adhærent. En post vesperam *mane*. Ex cognitione itaque creaturarum & ex relatione earumdem in Deum concordissima unitate resultat dies ex *vespere & mane* conflatus; qui in tantum dierum numerum crescit, in quanta objecta Angelorum cognitio dirigitur. *Cognitio creaturæ in seipsa* (inquit S. P. lib. XI. de Civ. Dei cap. VII.) *decoloratior est, ut ita dicam, quam cum in Dei sapientia cognoscitur velut in arte, qua facta est. Ideo vespera congruentius, quam nox dici potest, quæ tamen, ut dixi, cum ad laudandum & amandum refertur creatorem, recurrit in mane. Et hoc cum facit in cognitione sui ipsius, dies unus est. Cum in cognitione firmamenti, quod inter aquas inferiores & superiores cælum appellatum est, fit dies secundus. Cum in cognitione terræ & maris, omniumque gignentium, quæ radicibus continuata sunt terræ, dies tertius: cum in cognitione luminarium majoris & minoris, omniumque siderum, dies quartus: cum in cognitione omnium ex aquis animalium natatilium atque volatilium dies quintus: cum in cognitione omnium animalium terrenorum, atque ipsius hominis, dies sextus.* Hæc Augustinus. Ergo in cognitione angelorum malorum, qui in veritate non steterunt, neque ad Dei laudem & amorem conversi sunt, locum *matutina* cognitio non habet. In sanctis vero Angelis, qui sunt Auctore suo delectati, continuo factus est *mane*, & cognitio quæ elucescit in Deo ob rectum ordinem charitatis, cui tanquam merces reddita est plenitudo scientiæ, quam diximus spectare ad beatitudinem consummatam. Hæc vero non ad sex dies spectat, sed ad septimum, cui nulla advenit *Vespera*, qui etiam appellatur Sabbatum, id est, *requies*, quoniam, ut scribit cap. seq. Augustinus, *significat requiem eorum, qui requiescunt in Deo.* Itaque nego minorem: nam cognitio *Matutina*, cum sit contemplatio creaturarum relata in Deum, præcedit ordine causalitatis plenitudinem beatitudinis, qua Angeli in Deo creaturas ipsas absque peccandi periculo perceperunt.

5. Oppositio cum solutione.

Levioris est momenti, quod Deus creaturam corpoream in principio suæ conditionis constituit perfectam, ideoque & Angelis conferenda erat perfectio, quæ est pleniſſima beatitudo. Enimvero hæc beatitudo merces est perseverantiæ ac meriti, & consequenter debent ei natura atque operatio antevertere. Neque corporeis rebus statim cum perfectione naturæ ea perfectio collata est, quæ per illam operationem producitur: ut recte Augustinus lib. v. de Gen. ad lit. cap. 24. & S. Thomas q. 62. art. 1. ad 2.

6. Propositio 2.

PROPOSITIO II. Augustinus dum ait Angelos conditos esse beatos, non loquitur de sola beatitudine naturali, sed potius de beatitudine supernaturali prout duas priores dotes comprehendit, gratiam scilicet, & sanctam delectationem, sive de beatitudine supernaturali inchoata.

7. Probatur S. Aug. non loqui de beatitudine naturali, sed supernaturali inchoata.

Evidens & perspicuum hoc est. Primum namque S. P. de Corrept. & Grat. cap. x. de Angelis, quorum princeps est diabolus, ait miserrimos effectos esse, quoniam *Refugientes bonitatem, qua beati fuerant, non potuerunt ejus effugere judicium.* Hanc vero bonitatem, à qua defecerunt justitiam originalem esse, sive hæc sit gratia sanctificans, sive rectitudo rationis cum bona voluntate castique amoris actu, nemo non videt. Bonitas ergo, *qua beati fuerant*, non erat beatitudo tantum naturalis, sed supernaturalis inchoata. Docet præterea S. Pater eo loco, quod quemadmodum Angeli mali hanc bonitatem, in qua eorum sita erat beatitudo, refugientes effecti sunt miseri, ita Sancti Angeli in ea perseverantes meruerunt *beatitudinis plenitudinem, qua sunt beati ut cadere non possint ulterius:* nullam vero perfectionem naturalem, & permansionem in ea meritum esse pleniſſimæ beatitudinis, est quidem ipso meridie lucidius. Deinde beatitudo innocentis creaturæ erat vita, qua fruebatur Deo, ex quo bono erat bona, non solum naturali cognitione, & amore, verum etiam charitate, qua flagrabat ex corde puro, ex fide non ficta, & cum spe futuræ commutationis, uti S. P. affirmat XIV. de Civ. Dei cap. 26. & XI. de Gen.

Gen. ad lit. cap. 18. Quæ ſane præter naturam rectam ac ſine vitio creatam ſupernaturalia complectuntur beneficia, quæ Deus in Angelum hominemque liberali munificentia profudit *ſimul in eis condens naturam & largiens gratiam.* Nunc vero ad Scholaſticam methodum me revoco. Beatitudo, quæ gratiarum dona complectitur, eſt beatitudo ſupernaturalis inchoata: Beatitudo, in qua rationalis creatura condita eſt, gratiarum dona complectebatur: Erat ergo beatitudo ſupernaturalis inchoata.

8. Confirmatio. De hac beatitudine conſtat accipiendum eſſe quod Auguſtinus in lib. XI. de Civ. Dei cap. IX. ait Angelos participes lucis æternæ nunquam fuiſſe peregrinatos; & quod etiam Baſilius in Pſalm. 44. & Greg. hom. 7. & Auctor de Eccl. Dogmat. qui tamen videtur quidam Semipelagianus, affirmant, Sanctos Angelos in accepta beatitudine perſeveraſſe: id eſt, quatenus lucem & charitatem, quam initio receperunt, merito permanſionis ſervarunt. Juvat hac ratione etiam excuſare Ludov. Vivem, qui Comment. in præf. caput IX. ſcribit *Angelos Sanctos ſemper fuiſſe in patria, ac ſemper faciem Patris vidiſſe.* In proximum enim caput XII. inhærens Auguſtino ait *Angelos fuiſſe quodammodo beatos,* nondum tamen de ruina, aut de confirmatione ſua certos: unde falſum eſt quod ſcribunt eruditi Thomiſtæ Gonet diſp. XII de Angelis §. 2. & Cardinalis Gotti Q. VII. dub. 1. Vivem revera ſenſiſſe Angelos Sanctos fuiſſe creatos in beata viſione, quam illi accipiunt pro viſione *facie ad faciem,* ſive plenitudine beatitudinis, quam profecto vides doctum virum Angelis non ſtatim concedere. Nec recte præfati Thomiſtæ Auguſtini verba explicant de ſola beatitudine naturali, quæ conſiſtit, inquiunt, in altiſſima contemplatione Dei, ut Auctoris naturæ. Angelis enim non ſolam ſine vitio naturam, ſed etiam gratiam largitus eſt Deus, ſive ſupernam illuminationem, & charitatem, qua poſſent adhærere Deo, ſibique gloriam pleniſſimam promereri. De qua duntaxat beatitudine rectam ſine vitio naturam, & gratiarum dona complectente, arbitror Auguſtinum inſtituiſſe ſermonem.

9. Propoſitio 3. PROPOSITIO III. Cum explicata ſupernaturali beatitudine Angeli in prima conditione receperunt etiam beatitudinem naturalem, ut adverſus Vaſqueſium Scotiſtæ ac Thomiſtæ propugnant.

Probatur Angelorum beatitudo naturalis. Breviter argumento D. Thomæ probatur: Naturalis beatitudo eſt ultima perfectio, quam creatura rationalis natura ſua poteſt conſequi: Atqui Angelus creatus eſt cum omni naturali perfectione, quam ſuapte natura conſequi poterat: Ergo Angelus in naturali beatitudine creatus eſt. Prob. min. ſiquidem hæc naturalis perfectio eſt perfectiſſima contemplatio Dei ut Auctoris naturæ, & rectitudo naturalis dilectionis. Atqui Angeli ab initio illam contemplationem & dilectionis rectitudinem habuerunt. Igitur, &c. Reſpondent quidam ex noſtris rectum amoris ordinem in Angelis fuiſſe ex gratia: quod utique verum eſt, diligendo enim Deum, eique charitate adhærendo gloriam, & intuitivam viſionem Dei adepti ſunt. At præciſa gratia, licet non ſit in amore creaturæ rationalis rectitudo illa ſpecialis, qua Angeli ad plenitudinem gloriæ permanſionis merito pervenerunt, non erat tamen inclinatio perverſa; quoniam Deus condidit ſine vitio naturam: quapropter rectus ille ordo per gratiam non ad naturalem beatitudinem pertinebat, ſed ad beatitudinem ſupernaturalem; de qua præcedenti propoſitione.

AD QUÆDAM EX ADVERSO PUGNANTIA.

10. Objectio 1. Verumtamen pro Sententia Vaſqueſii objicies I. Angeli in primo inſtanti certi non erant ſe nunquam futuros eſſe miſerrimos: at hæc incertitudo pœna eſt, animumque excruciat quammaxime, neque poteſt cum beatitudine conciliari.

11. Solutio. Reſp. 1. Angelos, etiamſi de futura ac perenni ipſorum felicitate fuerint Incerti, habuiſſe tamen delectationem præſentis boni absque ulla aaimi preſſura, propterea quod in ſuo erat arbitrio acceptam beatitudinem ſibi perenniter ſtabilire. Deinde quoniam hæc facultas perſeverandi in accepta beatitudine pertinebat ad gratiam, & ipſa beatitudo non ſolam naturam ſine vitio, ſed etiam bonam voluntatem & gratiam ſecum ferebat, reſpondetur cum Salmanticenſibus, certitudinem, inamiſſibilitatem, & excluſionem cujusque timoris ſpectare quidem ad beatitudinem ſupernaturalem conſummatam, quæ fuit merces perſeverantiæ Angelorum Sanctorum, & quæ ſola eſt ſtatus bonorum omnium aggregatione perfectus; minime vero pleniſſimam illam ſcientiam & ſecuritatem neceſſariam eſſe ad beatitudinem naturalem, quæ eſt perfectio naturalis creaturæ ratione præditæ. Perennitas enim, & certiſſima incommutabilis boni poſſeſſio ſummum beneficium gratiæ eſt,

est, non defectibilis creaturæ proprietas. Neque dicas, si naturalis beatitudo nihil sit ultra quam ultima perfectio naturæ, diabolus erit adhuc beatus. Etenim in eo extant quidem ac perseverant naturalia, intellectus nempe & voluntas; sed his mala illius voluntate accessit vitium, & inclinatio ad malum, nec non ob deperditam dignitatem excrucians desperatio, horrendissimumque supplicium.

12. Objectio 2. Objic. 2. Si Angeli conditi fuissent cum beatitudine naturali, non potuissent mereri; beatitudo enim est terminus & ultima creaturæ intellectualis perfectio; creatura autem in termino constituta mereri omnino non potest.

Solutio. Resp. Nego naturalem beatitudinem esse terminum *simpliciter* creaturæ rationalis, in quo tollitur indifferentia & libertas ad meritum, vel demeritum: sed est terminus, ut inquiunt, *secundum quid*; eoquod præter debitam sibi perfectionem potest rationalis creatura aliam nancisci, quæ ad gratiam gloriamque pertineat, & in qua si nequeat ulterius perfici, vera ac propria ratio termini sita est.

13. Objectio 3. Ultimo argues: Posse propriis meritis consequi beatitudinem major est creaturæ intellectualis perfectio, quam beatitudinem habere gratis collatam, & dono creationis concessam: Ergo ex quo Deus perfectas condiderit rationales creaturas, non debuit eis beatitudinem conferre aliquam, sed solam facultatem, qua per vires proprias sibi illam possent comparare.

Solutio. Resp. Falsam esse majorem: nam etsi posse consequi beatitudinem supernaturalem haud minima sit creaturarum intellectualium perfectio, liberum scilicet arbitrium supernæ gratiæ adjutorio suffultum; major tamen perfectio est habere naturalem beatitudinem ex vi creationis, atque sine meritis comparandam. Id enim magis convenit cum beatitudine Dei, quæ cum sit perfectissima, nullo tamen merito acquiritur; sed Divinæ naturæ conjunctissima est, ac penitus indivulsa.

CAPUT IX.

Explicatur quomodo juxta Augustinianam Theologiam Angelica peragatur cognitio.

SUMMARIUM.

à num. 1. usque ad 6. ceu ultimum habetur systema Augustinianum de Angelica cognitione

De cognitione Angelica Augustiniana. ACturus, posteaquam de Angelorum natura & creatione disserui, de duabus proprietatibus singillatim, quibus pollet intellectualis substantia, id est de vi intelligendi ac volendi; cum nihil frequentius audiatur in Theologicis concertationibus; quam Angelos objecta percipere per *species* creatas inditas sibi ab Auctore naturæ, id vero etiam Augustini præceptis communi fere sententia judicetur esse concordissima veritate conjunctum; danda opera est, ut Sancti Patris defæcatam purissimamque doctrinam è suo fonte, non ex inquinatis rivulis hauriamus.

1. Cognitio Angelorum non est per species acceptas à rebus. Principio itaque indubitatum est Angelos non cognoscere per *species* acceptas à rebus, sed per inditas, connaturales, & innatas: quod etiam docet S. Thomas q. LV. art. 2. & q. LVIII. art. 7. Tradit id Augustinus lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 8. ubi ait: *Quemadmodum ratio, qua creatura conditur prior est in verbo Dei, quam ipsa creatura quæ conditur: sic & ejusdem rationis cognitio prius fit in creatura intellectuali, quæ peccato tenebrata non est, ac deinde ipsa conditio creaturæ. Neque enim sicut nos ad percipiendam sapientiam proficiebant Angeli, ut invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspicerent, qui ex quo creati sunt, ipsa Verbi æternitate sancta & pia contemplatione perfruuntur, &c.* Cujus rei causam affert lib. IV. cap. 32. *quia mens Angelica, posteaquam eo ordine creata est, ut præcederet cætera, prius ea vidit in Verbo Dei facienda, quam facta sunt.* Quidquid enim cognoscitur debet præcedere cognitionem; ideoque creaturæ quæ cognoscuntur ab Angelis, antequam viderentur in seipsis, præcedebant quodammodo in arte, qua factæ sunt, id est in Verbo, in quo sunt omnium quæ temporaliter fiunt, æternæ rationes. Hujus autem Verbi participationem habuerunt statim, ac facti sunt, Angeli, quatenus creati fuerunt cum participatione incommutabilis lucis, in qua rationes illæ rerum universarum continentur: quomodo S. Pater docet eodem lib. 4. cap. 24.

Hæc

2. Illuminatio Angelorum est medium.

Hæc participatio *lucis*, sive illuminatio Angelorum est medium, in quo singula objecta percipiunt, ita ut *species* ingenitæ & innatæ, quas diximus, non sint accidentia quædam creata, sed ipsamet lux incommutabilis & Divina, in qua invariabiles rerum omnium rationes effulgent. Et quidem hanc solam lucem certissimam cognitionem parere, eaque creatas mentes de omni vero firmissime judicare, pluribus demonstrat S. Pater, ut vidimus libro primo: in in quo ostendimus notitiam rerum, quam scientiam appellant, certam scilicet, evidentem, & quæ aliter nequit se habere, ex medio creato, quod contingens est mutabile, nullatenus comparari, nisi prout creaturarum præsentia ad immutabilem lucem convertimur. Atque hanc participationem sempiternæ lucis Angelos habuisse à principio ita Augustinus declarat lib. XI. de Civ. Dei cap. IX. *Profecto facti sunt participes lucis æternæ, quæ est ipsa incommutabilis sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, quam dicimus Unigenitum Dei filium.* Quare ipsa lux Divina affulgens mentiAngelorum est medium cognitionis Angelicæ; ideoque non cognoscunt per *speciem* aliquam creatam, nisi forte *speciem* creatam dixeris affectionem, & *qualitatem* productam in mente Angeli participatione ac fulgore hujus lucis.

3. Tripliciter D. lumen affulget creaturis rationabilibus.

Nec tamen hæc lux immutabilis reddidit statim Angelos beatos visione Dei per essentiam. Triplici enim ratione Divinum lumen rationalibus creaturis affulget: primo ut principium cognitionis naturalis, & tanquam lex secernendi verum à falso in his, quæ ad naturæ ordinem pertinent; ut dum irradiatur mens idea creaturæ, æqualitatis, similitudinis, &c. & hæc irradiatio est criterium veritatis, de quo alibi disputavimus, sive *lumen rationis.* Deinde affulget, ut principium cognitionis supernaturalis exhibens menti ea, quæ excedunt naturæ ordinem, sub aliqua tamen caligine, & in plurium objectorum permixtione; ut quando illustratur mens revelatione mysteriorum Trinitatis, vel Incarnationis: atque hæc illustratio est sancta illuminatio, sive *lumen gratiæ.* Tandem affulget aliquando lux illa Divina convertens plenitudine luminis mentem in semetipsam, ac tanta claritate sese manifestat, ut non possit inde cogitatio divelli; & hæc manifestatio est claritas patriæ, seu *lumen gloriæ.* Quapropter Angeli videntes incommutabili sapientia statim, ac facti sunt rerum creatarum *rationes*, non proinde frue-

bantur visione, quam vocant beatificam: quia incommutabilis lucis participes facti sunt primo & secundo modo, non tertio. Atque hinc est, quod male quidam inferunt fore omnes homines beatos, si vera esset sententia nostra quod non habeatur vera scientia nisi per legem æternam, & lucem incommutabilem.

4. Cognitio Angelorum ex lumine rationis & gratiæ.

Ergo hac ratione juxta Augustinum cognitio Angelorum peragitur. Facti enim in prima sui conditione participes lucis, *quæ est ipsa incommutabilis Sapientia Dei*, ab illo se productos esse noverunt, & Conditoris sui, in quo universæ creaturæ rationes consistunt, proculdubio perceperunt existentiam & proprietates, quæ lumine rationis, aut gratiæ elucescunt. Utraque enim luce collustrati sunt; *lumen quippe verum quod illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem, hoc illuminavit omnem angelicum mundum, ut esset lux, non in semetipso, sed in Deo*: id est participatione lucis, à qua si avertitur, Angelus fit immundus. Lege lib XI. de Civ. Dei cap. IX. & in IV. de Gen. ad lit. cap. 24. Augustinum. Ibi vero S. P. dilucide explicat, quomodo Angeli hac eadem luce, tanquam infra respicientes propriam naturam, ac deinceps creaturas omnes corporeas ordine quodam cognitionis agnoverint.

5. Quid necesse, ut Angelus cognoscat res singulares, & accidentalia.

Sed quoniam lux illa rationes exhibet rerum, non particularia quæque repræsentat; ut Angelus cognoscat res singulares, existentes, sive *prædicata*, uti loquimur ἐπιβεβηκότως, *accidentalia* existentiæ, loci, aliorumque adjunctorum, necessum est, ut lux illa universalis in homine Angeloque ab objecto determinetur; ita ut nisi hanc determinationem intellectus creatus mutuetur à rebus, nequeat singularia percipere per ideam illam ingenitam sola *prædicata essentialia* exhibentem. Determinatur autem ipsarum rerum creatarum præsentia. Quod & ab Augustino traditum animadverti, & propria mihi ratio suadet. Etenim S. Pater lib. V. de Genes. ad lit. cap. XIX. ait creaturam Angelis apparere *quando efficitur, atque propalatur.* Et cap. 32. libri præcedentis docuerat cognitionem *vespertinam* sive creaturarum in seipsis in Angelo factam esse per earum productionem, & postquam Dei Verbum dixerat, *Fiat. Ac sic prius*, inquit, *in ejus fiebant cognitione, cum Deus dicebat ut fierent, quam in sua propria natura: quæ itidem facta in eis ipsis etiam cognovit, minori utique notitia, quam vespera dicta est.* Et ratio est, quia existentia, locus, & prædicata quæque accidentalia non re-

lucent in idea rerum, quæ est *ratio* intelligibilis, & quædam quasi mensura communis judicandi de qualibet veritate. Quare etiamsi Deus creaturas in se ipsis absque ullo medio percipiat, ejus tamen cognitio non *vesperascit*, quoniam non coarctatur rerum præsentia, neque ideo videt creaturas quia factæ sunt; quum eadem ratione perciperet illas, priusquam fierent, in sua æternitate, in qua nihil præteritum est, aut futurum. Alius modus, cur Angeli creaturas in particulari videant, assignari non potest: siquidem nequit res corporea spiritualem substantiam afficere in ipsam agendo radiis, effluviis, corpusculis, & sensibili qualitate: aut si forte alius modus assignatur, is quidé extra Augustinianam Pneumaticam conformatur.

6. Quid cognitio Vespertina.

Atque ex his nedum habes quomodo in Angelis intellectio perficiatur, sed etiam quid sit illorum cognitio *matutina*, ac *vespertina;* de qua plura hominum figmenta & legimus, & audivimus. Igitur cognitio *vespertina* Angelorum est cognitio rerum existentium in propria natura, cujus *prædicata accidentalia* percipiuntur per ideam ingenitam determinatam ad singularia per illorum præsentiam, nondum huic cognitioni addito ordine relationis in Deum: cognitio vero *matutina* est, quando scientia Angelorum non remanens in creatura refertur in laudem & charitatem Dei, in cujus luce incommutabili sunt æternæ rerum faciendarum *rationes*: hoc enim ordine mens Angelorum ad veritatem, & ipsam Dei sapientiam convertitur, & eorum cognitio *illucescit*, & recurrit *in mane*. Quod cum Angeli sancti de cognitione creaturarum in laudem Creatoris assurgentes impleverint, dicuntur in veritate stetisse; ac merito permansionis accepta plenitudine sapientiæ, ob quam lumini rationis & gratiæ additum est lumen gloriæ, consummatam consecuti fuerunt beatitudinem. Sed hæc ab ipso Augustino citatis locis poterunt evidentius cognosci: nos enim hæc summatim attigimus, quæ sorbere animo, & bibere ex ipso fonte non pigeat. Quid matutina.

CAPUT X.

Angelos non intueri occultas aliorum cogitationes.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
à num 2. Usque ad 9. Probatur, Angelis non innotescere secreta cordium.
à num 10. usque ad 15. Enervantur oppositiones.

1. An pateant Angelis secreta cordium.

Non levis nunc occurrit dubitatio, quam nescio num possit quis enodate explicare, Eccur Angelis cogitationes & cordium secreta non pateant, si determinate hæc existant, neque ordinem naturalem excedant. Quæstio admodum perplexa est, animumque omnium pulsare debet, sive legem dirigendæ cognitionis angelicæ statuas cum Augustino in *participatione lucis incommutabilis*, sive in creata aliqua *specie*, ut placet Scholasticis. Sed nos, ut decet se gerere in rebus dubiis, quæ magis ad veritatem accedunt eligentes, minus probabilia aut brevi recitabimus, aut suis auctoribus relinquemus.

2. Propositio.

Propositio: Angelis non innotescunt secreta cordium, variæque, cur ea ignorent, à Theologis probabiles causæ afferuntur.

Probatur Angelis non patere secreta cordium.

Videtur prima pars nihil habere dubitationis, & prope ad fidem accedit. Probatur autem adversus Hervæum, Durandum, & Antonium Le Grand Scripturarum Patrumque præsidio. In III. enim Regum VIII. 39. legitur: *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* Hierem. XVII. 9. 10. *Pravum est cor omnium, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* Et Apost. ad Hebræos IV. 12. Verbo Dei tanquam singularem characterem tribuit, quod sit *pertingens usque ad divisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis.* Quibus responderi nequit peculiare esse solius Dei omnes hominum cogitationes scrutari, Angelorum vero præsentes tantummodo; primo quia de omnibus indiscriminatim Scriptura loquitur. Deinde quoniam in tertio Regum loquitur Salomon de intentione eorum, qui Deum orant, ideoque de cogitatione præsenti, quam tamen solum Deum noscere ait: & Apostolus duo attributa ex æquo Deo tribuit, pertingere ad divisionem animæ ac spiritus, id est menten à pravo rerum terrestrium removere appetitu, & cælestium desiderio superna charitate inflammare;

atque

atque cogitationes, intentionesque cordis discernere: at non pertingit ad divisionem animæ ac spiritus in aliqua cordis affectione præsenti quidem animumque trahente ulla vis naturalis humana aut angelica: Ergo neque ad aliquam cordis intentionem discernendam pervenit creata virtus & mens Angelorum.

3. Confirmatio Patrum.

Accedunt Patres, quorum testimonia nequeunt ulla ratione contorqueri. Chrysostomus hom. 4. in Mat. ad ea verba, *Hæc autem eo cogitante, Angelus in somnis apparuit Joseph*, inquit: *Hoc signum fuit certissimum illum à Deo missum fuisse Angelum: quippe solius Dei est arcana cordium nosse.* Loqui vero Chrysostomum de cogitatione præsenti, id est de ea, quæ menti Sanctissimi Joseph obversabatur, nemo unus negabit. Et quæ Nathanael Joan. 1. 47. habebat in corde, dum ei Christus ait, *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est*: quæ etiam egerat cum Philippo cum esset sub ficu, jam determinata erant & actu posita: Et tamen Cyrillus Alexandrinus libro 1. in Jo. ait Nathanaelem respondisse, *Tu es filius Dei*, quoniam *noverat solum Deum scrutatorem esse cordium, nec ulli alteri hominis mentem patere.* Neque diversa est Latinorum traditio. Nam Ambrosius in cap. v. Lucæ de Christo scribit: *Dominus occultorum cognitione Deum se esse demonstrat.* Hieronymus in 9. Matth. super illa verba, *Dominus videns cogitationes eorum*, inquit: *Ostendit se Deum, qui possit cordis occulta cognoscere.* Augustinus denique serm. 234. de Tempore hæc de Sancto Jobo habet: *Colebat Deum, faciebat eleemosynas; & quo corde fiebat, nemo sciebat, nec ipse diabolus, sed Deus noverat.* Atque in Psalmum 41. exponens ea verba, *Abyssus abyssum invocat*, *Loqui*, ait, *homines possunt, videri possunt per operationem membrorum, audiri in sermone: sed cujus cogitatio penetratur? cujus cor inspicitur? Quid intus gerat, quid intus possit, quid intus agat, quid intus disponat, quid intus velit, quid intus nolit quis comprehendet? puto non absurde intelligi abyssum hominem.* In his animadverte præcludi aditum Durando reponenti sermonem non fieri de cogitationibus actu positis, cum econtra nonnisi de præsentibus Patres speciatim pertractent; præsens quippe erat occulta murmuratio Pharisæorum de qua Lucas cap. v. præsens cogitatio Scribarum, de qua Matth. cap. ix. præsens intentio Jobi, dum eleemosynam largiretur. Omnes autem cogitationes non actu animo hærentes esse soli Deo manifestas non opus est demonstrare.

4. Roboratio.

Valida hinc eruitur ratiocinatio: Pharisæorum Scribarumque cogitationes præsentes erant, & Christus eas videndo se verum Deum esse commonstravit: Cogitationes ergo, quamquam præsentes sunt, intueri est solius Divinæ mentis scrutantis renes & corda. Atque hinc est, quod hoc argumento pro Christi divinitate contra pervicaces Arianos à PP. pugnatum est, præsertim à Fulgentio in libro ad Trasimundum secundo.

5. Causa 1. cur Angelos secreta cordium latent ex Scoto.

Digitum nunc intendo ad placita Theologorum varias hujus dogmatis rationes proferentium. Scotus in 11. dist 9. q. 1. contendit cogitationes liberas esse objectum habens cum mente Angelorum proportionem, neque illorum vim intellectricem excedere; sed ideo non posse cognosci, quod Deus suum subtrahat concursum: idque explicant aliqui comparatione ignis Babylonici, quo tres pueri non fuerunt combusti. Quæ opinio obstruit os memorati Cartesiani Le-Grand, qui cap. 3. Dæmonologiæ probat Angelos posse percipere hominum cogitationes, quia inter mentis perceptionem & determinationem voluntatis proportionem necessum est reperiri: quod Subtilis Doctor toto capite annuit. At id ego à Scoto peterem, Eccur Deus hac in re deneget concursum suum, quem non solet in naturalibus operibus nisi perraro subtrahere: & num interveniat mirabile portentum quotiescunque Angeli cognitionem illam non capiunt, sicut miraculum fuit sine combustione consistentia ignis in fornace Babelis.

6. Causa 2. ex S. Thoma.

S. Thomas affirmat ideo Angelos aliorum cogitationes nequaquam percipere, dummodo sint liberæ, *quia voluntas rationalis creaturæ soli Deo subjacet, & ipse solus in eam operari potest, qui est ejus principale objectum ut ultimus finis.* Ita docet q. 57. art. 4. Hanc D. Thomæ rationem PP. Salmanticenses satis enodate explicant, dicentes Deum in constitutione universi ita singulas aptasse causas, ut universales moverent alias ad effectus, qui spectant ad universi ordinem & harmoniam: ideoque Angeli, qui respectu hominum superiores causæ sunt, ea naturali virtute possunt cognoscere, quæ attinent ad illum ordinem; minime vero secreta cordium, quæ non pertinent ad ordinem universi, sed ad alium sublimiorem, id est Deum ultimum rationalis creaturæ finem. Hæc vero non videntur prorsus spernenda; cum

cum & corporeis creaturis constitutus sit terminus quidam actionis, extra quem vagari non possunt, & qui ea tantum complectitur, quæ ad illas pertinent singillatim: nec à suprema causa moventur, nisi in propositum sibi finem. Inquiro tamen, cur saltem non percipiantur cogitationes illæ, quæ ad Deum ultimum finem non diriguntur, sed in alium, & quandoque adversum, contrariumque propendent: & quare ad ordinem universi pertineant tam creaturæ necessariæ, quam liberæ, non autem ea, quæ ab istarum voluntate dependent, & naturæ ordinem non excedunt.

7. Causa 3. ex Ariminensi.

Noster Ariminensis in 2. dist. IX. q. 1. affirmat ideo Angelos aliorum cogitationes non intueri, quoniam licet intelligibiles sint, deest modus quo ad eorum mentem perveniant. Quemadmodum enim, ut sensibile percipiatur, non sufficit quod sit sensibile, sed ulterius opus est, ut ejus imago, & idolum ad sensitivam potentiam proxime accedat: ita, ut cognoscatur intelligibile, non sufficit quod tale sit suapte natura, sed etiam requiritur, ut intellectivæ facultati proxime inhæreat. Nec sufficit objecti ac potentiæ propinquitas; nam etiamsi duæ animæ rationales à Deo in eodem corpore crearentur, una tamen non cognosceret secretam cogitationem alterius, propterea quod secreta cogitatio unius alteri non inhæreret. At Gregorius hæc fortassis persuadebit Peripateticis, quorum philosophiam egregie illustravit, non iis, qui perceptionem putant nihil aliud esse, quam rem, cujus ideam habemus, menti exhibitam intueri præsentem, neque aliud ad puram cognitionem requiri, præter præsentiam objecti, ideam ingenitam, animique advertentiam: sensationi autem hoc ulterius accidere, quod res materiales, ut præsentes menti reddantur, debeant exteriora organa afficere. Imo & Peripatetici aliqui interrogabunt, quare sensibile suæ potentiæ debite proximum *vicaria specie* illam vellicet, excitetque; neque idem præstet cum facultate intellectrice objectum intelligibile.

8. Cognoscunt Angeli naturaliter alios Angelos cogitare, non vero quid cogitent.

Ego itaque si de re occultissima philosophari fas est, dico Angelum posse naturaliter cognoscere alios Angelos cogitare, non vero quid cogitent. Quod possint cognoscere alios Angelos cogitare mihi revera probatur, ex quo ad perceptionem tantum requiratur acies mentis, idea rerum, & objecti præsentia, quæ omnia hic habentur: atque hac in parte probo sententiam Scoti, & Antonii Le-Grand: quod autem aperte non cognoscant quid cogitent, id erit, quoniam præsentia objecti determinat ideam innatam ad percipiendum duntaxat rei existentiam, non modificationem, quæ cum existentia necessariam non habet connexionem, cujusmodi sunt liberi animorum affectus. Nam sicut in congenita rerum creatarum ratione videri nequit actualis existentia, ad quam illæ sunt prorsus indifferentes; ita ex præsentia cogitationis percipi non valet objectum, in quod ea fertur libere & contingenter. Ad quam sententiam proxime accedit Romanus Aegidius, qui ait Angelos aliorum cogitationes videre quidem, sed non quantum *ad compositionem terminorum*: quod Thomas de Argentina explicare nititur exemplo vocis. Etenim, inquit, si vox aliqua sit indifferens ad plura significanda, dum aliquis eam profert audio illum loquentem, quid autem loquatur ignoro: ita cum possit per eamdem *speciem* cogitare rem bonam agere vel non agere, aut malam fugere vel non fugere, Angelus, quem conversio mentis meæ in illam *speciem* non latet, videt me cogitare rem bonam vel malam, sed minime intelligit an rem cogitatam voluntas rejiciat, vel approbet. Potest cum his conciliari Henricus Gandavensis, qui ait ideam & apprehensionem habere universale & singulare objectum, & consequenter Angeli, licet videant conceptum alterius prout versatur circa universale objectum, illum ignorant quatenus ad singulare dirigitur. Verum qui rem acu attigerint, operosum arduumque est definire.

9. Possunt aliqua cognoscere per notas externas.

Hoc unum tanquam certissimum tenendum est, perpaucos esse humanæ voluntatis affectus, qui per motum spirituum, notasque non prodantur externas; quum & nos hominis iram, mœrorem, gaudium, aliasque animi concitationes interdum agnoscamus ex vultu. Multo magis hæc omnia Angeli ex corpore, oculis, & fronte pernoscent: sunt enim longe perspicaciores Socrate, quem aliqui, ut in libro de Fato narrat Cicero, notaverunt *Physiognomon*. At de cogitatis, quæ exterius non produntur, fieri novimus bene longas satisque litigiosas disputationes.

SATIS-

SATISFIT OPPOSITIONIBUS.

10. Objectio 1. Opp. 1. Gregorius in Moralibus lib. 3. cap. 154. ait quod in beatitudine resurgentium *unus homo erit perspicabilis alteri, sicut ipse sibi*: Ergo unus Angelus percipere potest omnia quæ sunt in altero, quemadmodum videt quæ sunt in se.

Solutio. Resp. Duplex in homine inveniri impedimentum, ne aliorum introspiciat cogitationes, corpus nempe, ac voluntas ipsorum. Itaque Gregorius docet posse in resurrectione unum perspicere cogitatum alterius, si ei manifestetur, neque impedimento esse opacitatem corporis, quod erit perspicuum, lucidum, & splendore gloriæ exornatum. Cumque in ea felicitatis patria cives omnes sint perpetuo charitatis vinculo conjuncti, amici vero invicem secreta pandant, atque, ut in proverbio versatur, *os loqui soleat ex abundantia cordis*; procul erit in patria utrumque impedimentum. At hæc non valent de cogitatis, quæ aut libere occultantur, aut, utrum noscantur, ad perfectam societatem non attinet. Quæ responsio, tametsi ajunt ea verba in Moralibus Gregorii non reperiri, retinenda est ob alias consimiles Patrum sententias, præsertim quod & legitur Gregorii textus articulo IV. quæst. 70. S. Thomæ.

11. Objectio 2. cum solutione. Opp. 2. Basilius libro de vera Virginitate puellas hortatur ut Angelorum præsentiam revereantur, cum percipiant cœlestes Spiritus quidquid virgo cogitat, animoque contrectat. Resp. Basilium sancte, pieque locutum, tum consuetudine hortatoriæ orationis, in qua interdum limitandæ occurrunt sententiæ: cum etiam quod signis corporeisque impressionibus foras affectus erumpant, maximeque voluptarii, ad quos carnalis sequitur titillatio.

12. Objectio 3. Opp. 3. Diabolus introit in cor hominis: scrutatur ergo secretas cogitationes ibi latentes. Prob. ant. ex verbis Jo. cap. XIII. 27. *Post buccellam introivit in eum Satanas*: &, *Cum diabolus jam misisset in cor ejus.* Et in Act. Ap. cap. v. 3. legitur: *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum?* Ingreditur ergo dæmon humani corporis penetralia.

Solutio. Resp. *Missio ista spiritalis suggestio est, neque fit per aurem, sed per cogitationem, ac per hoc non corporaliter, sed spiritualiter. Sed quomodo fiat, ut diabolicæ suggestiones immittantur, & humanis cogitationibus misceantur, ut eas tanquam suas deputet homo, unde scit homo?* Ita S. P. August. Tract. LV. in Joannem. Loca ergo prædicta de suggestionibus malorum Angelorum sunt exponenda; non de perceptione alienarum cogitationum. Has vero suggestiones quomodo fiant laboriosum est definire, ut ait S. Pater; sed fieri dicuntur tamen affectione sensuum, motuque spirituum animalium: quare perfici nequeunt *nullo mediante nostri, suive corporis instrumento*, ut inquit serm. in Cant. v. S. Bernardus.

13. Objectio 4. cum solutione. Opp. 4. Homines præditi sagacitate ac prudentia aliorum cogitata introspiciunt: Poterunt ergo eadem Angeli jure potiori conspicere. Resp. dist. antec. aliorum cogitata scrutantur quæ exterioribus indiciis, vultu, oculis, fronte nutibusque se produnt; conc. quæ nullum exhibent externum signum, nego. Priori modo, & perspicaciori etiam intuitu Angelos secreta cordium aspicere, nemo homo ibit inficias. Asserit id luculenti testimonio lib. de Divinat. Dæmonum S. P. Augustinus. Neque quicquam efficit, quod in II. Retract. libro cap. 30. eadem repetens, scribat: *Rem dixi occultissimam audaciore asseverantia, quam debui.* Nam S. Pater non dubitat quin Angeli cognoscant cordium secreta, quando signa aliqua exprimunt; sed dubitat an ea percipiant sensibili, an spirituali virtute. Dubitavit enim aliquando, an dæmones subtilia quædam corpora habeant, quæ sensiles recipere valeant impressiones. Propterea ait: *Utrum signa quædam dentur ex corpore cogitantium illis sensibilia, nos autem latentia, an alia vi, & ea spirituali ista cognoscant, aut difficillime potest ab hominibus, aut omnino non potest inveniri.* Rem ergo incompertam dicit, num Angeli cogitationes istiusmodi sensu corporeo percipiant, sed has ad illorum pervenire notitiam, dum certis notis produntur, affirmat rem esse nonnullis experimentis comprobatam.

14. Instantia, cum solutione. At, inquis, hæc non cohærere cum iis, quæ diximus cap. II. Augustinum in libris Retractationum priorem de Angelorum corpore deposuisse sententiam: quomodo ergo rursus de illorum sensatione anceps est? Primo memini, me hæc non asseveranter protulisse. Deinde adhuc est locus dubitationis, an Angeli corporea sensatione sentire possint adinstar hominum, etiamsi corpora habeant non unita illis substantialiter, sed tantum assumpta. Nam si Peripateticos consuleris, affirmabunt in humano corpore animam objecta sentire, quoniam est illius corporis forma, eique naturaliter alligata est: ideoque carere sensu Angelos in iis corporibus, quæ

pro lubitu movent, pervadunt, ac deserunt. At non deerunt, qui asserant, non esse quidem Angelos assumptis corporibus colligatos, propriasque horum formas; posse tamen motiones aliorum corporum vera sensatione percipere, quam haud vulgares philosophi sitam contendunt in sola mente, cui nervorum propagines, dum vel inflantur spiritibus animalibus, vel externorum corporum agitantur occursu, exhibent sensibilium rerum concitationem ac motum. Quare laudanda est Augustini summa cum eruditione modestia, dum ea quæ scripserat de sensione dæmoniorum dicta à se fatetur cum audaciore asseverantia, quasi dæmones aeria corpora habeant, idque sit exploratum: cum probabilius sit naturalia corpora non habere; atque utrum in assumptis exercere valeant officia sensuum, abstrusior sit disputatio.

15. Objectio 5. Opp. ultimo: Angelus percipit ea, quæ sunt in hominis phantasia: quid prohibet ergo, ne conspiciat etiam, quæ menti obversantur.

Solutio. Respond. Phantasiam non esse sejunctam à motione nervorum, qui per corpus undique distenduntur: liquet enim ejus vi impressiones quasdam in utero prægnantium mulierum ad fœtus membra dilabi, ita ut per gravidæ matris arterias in illa maculæ, notæque variæ inferantur. Ergo ex hujusmodi agitatione tendinum, notarumque impressione dignoscitur quid in phantasia, sive imaginatione versetur, tanquam ex sculpta figura percipitur forma & incisio sigilli. Quod si dixeris majorem esse proportionem inter intellectum angeli & cogitationes animi, quam inter eumdem intellectum & imaginationis effecta; dico non proportionem obstare quin Angeli aliorum cogitata conspiciant, sed manifestationem liberam cogitantis, quæ an fiat directione aliqua, an occultis quibusdam signis capite proximo differetur. Excellentior autem facultas, quæ spiritualia cognoscit, potest multo magis percipere res corporeas, puippe virtus inferiorum majori perfectione in superioribus continetur.

CAPUT XI.

Quomodo unus Angelus alteri cogitata sua manifestet, atque spiritus inter se colloquantur.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. Probatur, dari quamdam inter Angelos locutionem, quæ est directio cogitationis unius Angeli ad alterum.
3. usque ad 6. defenditur, Angelos loqui ad invicem per signa aliqua spiritualia.
7. & 8. Solvuntur objectiones.

1. De manifestatione & collocutione Angelorum. HOc mihi præstare necesse est, ut videamus quomodo Angeli loquantur invicem, & mentis cogitationes, quæ cæteris sunt ignotæ unus uni patefaciat: quod assequi sine summa difficultate non possumus. Irridet quidem nos Beza Comment. in Epist. ad Galat. quod de Angelorum *lingua* instituamus disputationem: sed facile est homini hæretico Scholasticos urgere convicio. Nemo siquidem nostrum tribuit Angelis linguam in ore sitam, septam dentibus, pressique soni effectricem; sed spiritalem sermonem, de quo Paulus in 1. ad Corinth. XIII. ait: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum*: hoc est, *Quamvis ita loquar, ut Angeli inter se colloquuntur, & quomodo inter se differunt, & Deum laudant;* inquiunt Chrysostomus ac Theodoretus. Videndum ergo quid sit hæc Angelorum *lingua*, & quo pacto spiritalia exprimat verba, dum Angelus Angelum alium alloquitur.

2. Propositio. PROPOSITIO I. Datur quædam inter Angelos locutio, nec aliud est quam directio cogitationis unius Angeli ad alterum.

Probatur, dari inter Angelos locutionem. Ad præcitatum Apostoli textum accedit alter Isaiæ VI. 3. *Et clamabant alter ad alterum.* Necnon Judæ in sua Canon. v. 9. *Cum Michael Archangelus altercaretur cum diabolo &c.* Postulat quoque aliquam inter cives cœlestes collocutionem perfecta eorum societas. Illam vero nihil esse præter spiritualem unius cogitati ad alium directionem, & ratio, & auctoritas comprobant. Ratio, quoniam nequit esse inter Angelos sermo ex ore labiisque formatus, sed alterius generis nostro ἀνάλογος, & quo nos interdum loquimur corde. Auctoritas, quoniam Augustinus, cui Patres alii subscribunt, in XV. de Trinit. cap. 10. inquit: *Foris enim cum per corpus hæc fiunt, aliud est locutio, aliud visio: Intus autem cum cogitamus, utrumque unum est. Auditio, & visio duo quædam*

dam sunt inter se distantia in sensibus corporis; in animo autem non est aliud videre, & audire: ac per hoc cum locutio foris non videatur, sed potius audiatur, locutiones tamen interiores videntur. Ex quibus non solum apparet veritas propositionis, verum etiam constat Angelos loqui cum Domino, quando sese, vel creaturas alias contemplantes in Dei admirationem, & laudem consurgunt; Deum vero alloqui Angelos, quotiescunque intime voluntatem suam illis aperit; ut in 11. Moralium cap. 5. docet Gregorius. Nobis autem, id est animabus corpori junctis, nihil dubitationis est, quin verba faciant in meatus auditorios vibratum aerem mittentes, quo concutiuntur membranulæ, sive id efficiant corporalibus instrumentis, sive imitando naturam, sublatis corporibus, aerem impellentes ac verberantes. Liquet etiam ad locutionem Angelorum non satis esse quod cogitent, sed ulterius requiri, ut cogitatio unius Angeli dirigatur ad alterum: alias quidquid Angelus cogitat, loqueretur, nec posset alteri suas occultare cogitationes: quod fuit præcedenti capite refutatum.

3. Propositio 2. quomodo loquantur.

PROPOSITIO II. Quomodo peragatur hæc Angelorum locutio, seu directio cogitatorum occultum est, & reconditum; videtur autem perfici spiritualibus signis, sed quænam ista sint, ignoratur.

Sententia D Thomæ.

Me non latet S. Thomam q. 107. art. 5. confugere ad actum voluntatis Angelicæ, cujus determinatione conceptus mentis fiunt manifesti. Quod verissime dictum puto: sed in hoc tantum mens penitus non quiescit. Primo enim, si cogitationes manifestæ fierent per solam voluntatis determinationem: foret quælibet libera voluntatis determinatio per seipsam nota; atque ita nullus Angelus posset alteri secreta cordis abscondere. Directio præterea voluntatis sufficit quidem, ut Angeli cogitationes suas proponere & declarare decernant; sed quo pacto id exequantur, nondum planum fit: & vera est Divi Thomæ sententia, sed nodum plane non solvit. Agit de illa Estius lib. 2. dist. 7. §. 13. aliique D. Thomæ Interpretes, qui ajunt, ut loquitur aliquis ad semetipsum quando mens vertit se ad actualem considerationem rei intelligibilis, (nam conceptus mentis vocatur verbum internum,) ita alloquitur alterum, quotiescunque mentis perceptio per actum voluntatis in alterum dirigitur atque ordinatur. Verum quod animus, dummodo velit, in suis cogitationibus versetur, facile intelligo: sed quomodo voluntate sua, eaque sola, intima sibi cogitata alteri imprimat, id vero nec usu, nec ratione cognosco.

4. Sententia Durandi.

Hujus generis sunt placita cæterorum. Nam quod ait Durandus, colloqui Angelos impressa in æthere voce, verum fortasse erit dum in assumptis corporibus locutionem quasi humanam exercent. Locutionem autem spiritalem ab omnibus Angelis audiri, autumat Scholasticus ille, veluti cum homo hominem alta voce compellat, aut præco exclamat in foro: Angelos enim aliorum mentem credidit introspicere, ut supra diximus. Olet hoc scitum Durandi, ut putida opinio Bezæ, negatque Angelicam collocutionem. Si enim allocutio est actio spiritualis substantiæ manifestantis cogitationes suas, quemadmodum locutio exterior est prolatio verborum conceptus intimos exprimentium: sequitur Angelos loquentes manifestare secreta cordium suorum; quamobrem si nullum inter spiritus secretum lateret, frustra illorum statueretur locutio.

5. Sententia Ochami.

Non videtur melioris notæ Ochami, aliorumque Nominalium opinio, dicentium Angelum loquentem suam in aliis cogitationem imprimere, efficienterque producere: quod temperat aliquantulum Scotus asserens non propriam revera perceptionem in mentem aliorum intrudere, sed intellectionem ejusdem objecti, quod ipse cogitat, versatque in animo. At non habet Angelus vim aliquam producendi in alia creatura spirituali per solam cogitationem suam illam eamdem *speciem*, seu *speciei* excitationem, qua ipse afficitur; cum in horum Theologorum sententia ab intellectu creato non producatur nisi *species expressa*, seu verbum mentis: & *species* aliæ, quæ cognitionem pariunt, sint vel à prima causa, vel ab intelligibilibus objectis. Deinde adhuc quærendum est, quomodo istiusmodi perceptiones ac *species* de una mente proficiscantur in alteram: constat enim ex dictis non sufficere solam mentis cogitationem, neque determinationem voluntatis; quæ duo seipsis aliorum menti cognita esse non possunt. Sed plura adversus Ochamum & Scotum in 11. dist. 1x. q. 2. Gregorius noster Ariminensis.

6. Asseritur Angelos loqui per signa spiritualia.

Quare his omnibus prætermissis eligimus sententiam eorum, qui ajunt Angelos loqui ad invicem per nutus quosdam nobis incompertos, sive signa aliqua spiritalia, quibus intimant sibi viciſſim reconditas animi perceptiones:

ut

ut docent memoratus Ariminensis, Aegidius Romanus, Argentinas, Clictovæus, Canus, & alii plures, ita ut etiam Vasquesius de hac judicium istud protulerit: *Hæc sententia cæteris probabilior, neque ab eadem recedit S. Thomas in 2. dist. 11. quæst. 2. art. 3. ubi ait locutionem Angelorum fieri intellectualibus signis.* Atque probari potest verbis Anselmi, qui in cap. XIII. Epist. 1. ad Corint. inquit: *Linguæ quibus Angeli loquuntur aliis, intelliguntur aliqui nutus, per quos intimant sibi vicissim quod voluerunt.* Deinde demonstratur ratione: Quotiescunque enim aliquid est in se immediate imperceptibile, nequit manifestari nisi per signa, sensibilia quidem, si manifestetur creaturis corporeis, spiritalia autem, si manifestetur spiritibus: Perceptiones mentium, intimique Angelorum affectus immediate ab aliis Angelis non videntur: Ergo per aliqua signa spiritalia, quæ sane nobis occulta sunt, patefieri debebunt. Ad hæc: objectum triplici tantum modo ab intellectu cognoscitur, vel immediate in seipso, vel per ideam aut speciem, vel per signa quædam instrumentalia: cogitatio unius Angeli non potest manifestari alteri neque per semetipsam immediate, neque per solam speciem ideamque, ut liquet ex dictis: debet ergo manifestari per signa aliqua, nutusque spirituales.

7. Oppositio cum solutione.

Opp. 1. Hæc signa, quibus Angeli loquuntur ad invicem aut naturalia sunt, aut ad placitum: non potest dici quod naturalia sint, alias non libere, sed necessario colloquerentur; neque affirmari potest, quod sint ad placitum, quoniam deberent Angeli aliorum linguam addiscere, vel saltem inter se convenire circa hujusmodi signorum institutionem & usum. Nulla itaque sunt signa hæc spiritualia. Resp. naturalia quidem esse: at non inde consequitur Angelos necessario, semperque invicem loqui; quoniam signa naturalia libera possunt pro libitu poni, & non poni, eo ferme pacto quo nos emittimus clamores, suspiria, risus, nutusque corporeos. Neque dum loquitur Angelus singuli illum audirent, nisi forte hæc signa exprimeret dum cæteri mentem in illum intenderent, quomodo homine hominem manuum aut capitis nutu alloquente, sermonem quisquis alio vertit oculos, non intelligit.

8. Instantia. cum solutione.

Instites denuo: Si Angeli per signa manifestant sibi invicem cogitata; poterunt etiam nobiscum per eadem loqui, quod certo minime fieri experimur. Resp. dubitari non posse, quin Angeli aliquando nobis bonas vel malas ingerant cogitationes: quod licet ut plurimum fiat corporali impressione, ex qua excitatur phantasia; non ausim definire, quod interdum menti nostræ non illabantur, signisque spiritualibus plura subjiciant, atque commemorent. Quoniam tamen hæc signa ignota sunt nobis, donec ab Angelis civili societate disjungimur; si Angelus in interiori corde aut pia hortatione, aut suggestione sagaci istud agit, illapsum potius dicemus, quam locutionem. Hæc autem locutio, per quam ab Angelis veritas manifestatur, dum mentem corroborat, panditque ea, quæ naturaliter innotescere nequeunt, appellatur etiam illuminatio. Ex quibus sequitur inferiorem quoque Angelum posse alloqui superiorem, sed non illuminari istum ab illo, quia is non pollet minori vi intelligentiæ. Econtra illuminat superior Angelus inferiorem, & quilibet angelus hominem, dum fluenta scientiæ, quam habet perspicaciorem, veluti sol radios, effundit. Verumtamen si Deus inferiori Angelo aliquid singulariter revelaret, idque lateret Spiritus superiores, E. G. Gabrieli Electionem Mariæ in Deiparam; posset Angelus inferior etiam superiorem V. G. Michaelem illuminare: quamquam naturali ordine spectato probabilius sit Supremos Angelos quidquid à Deo percipiunt subjectis impertiri, ut quæst. 106. art. 4. docet S. Thomas.

CAPUT XII.

Quænam sit in Angelis futurorum eventuum naturalis cognitio: ubi de Idolorum Oraculis, & Dæmonum divinatione.

SUMMARIUM.

1. & 2. Præmittuntur notanda.
3. 4. & 5. Probatur, futura contingentia, & Libera ab Angelis naturali scientiâ certò prævideri non posse.
à num. 6. Usque ad 10. Solvuntur objectiones.
à num. 11. Usque ad 18. Sequuntur annotationes perutiles.

Futu-

1. De Angelorum cognitione circa futuros eventus.

FUTURORUM plura sunt genera. Quædam ex necessaria causa proveniunt, & cum ea rata & constanti lege nectuntur, ut cælestium orbium conversiones, vicissitudines temporum, itinera siderum, & solis, aut lunæ eclipses. Quædam causas habent quidem naturales, sed multas & varias, quarum nexus, & concursio producit effectum contingentem; ut sunt pluviæ, tempestates, venti, morbi, & quotquot fortuita dicuntur. Aliqua ex libero pendent arbitrio, ut bona, vel mala opera hominum. Aliqua demum tum liberam, tum naturalem causam habent, ut bella, privati mores, consuetudines, aliaque hujusmodi, quæ licet à voluntate dependeant, magnum tamen à cæli temperie, à qualitate locorum, à corporum constitutione habere videntur impulsum.

2. Explicatio ulterior.

Quantum ad futura, quæ necessitate quadam à suis causis proveniunt, cognoscuntur quidem ab angelis per certam scientiam, supposito quod illæ causæ ab alia superiori minime impediantur. Verum absolute loquendo, non possunt firmissime ab Angelis prægnosci, quia suprema causa aliquando statam naturæ legem immutat, sistit cælestium corporum motum, & influxum avertit. Etenim vivente Josue solem spatio unius diei constitisse legimus libro historiarum ejus cap. x. 13. quod ne interpretemur cum Maimonide & Grotio quasi dictum phrasi poetica, prohibet Eccli. 46. v. 5. & Is. 28. v. 21. Ad Esaiæ preces reductam umbram per lineas, quibus jam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus, narrat cap. 20. v. 11. quartus Regum: & consimile prodigium patratum meritis Christianæ Sanctimonialis Ordinis nostri quamplures tradunt historici. Eclipsim etiam solis neque in pleniluniis contingere, neque trium horarum durare intervallo, astrorum docet scientia; sed aliter moriente Christo eveniisse testatur Evangelistarum consensus. Cæterum, nisi aliter suprema causa disponat, hujusmodi futura Angelis ignota nequaquam esse fatemur: ideoque ad alia coarctanda est disputatio.

3. Propositio.

PROPOSITIO: Futura contingentia & libera ab Angelis naturali scientia certo prævideri, aut prænuntiari non possunt.

Probatur Angelos certo non prævidere futura contingentia aut libera.

Assertum primo ex sacris literis probatur. Esaias cap. XLI. 23. ita disceptat Dominus cum idololatris: *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dii estis vos.* Et cap. XIX. 12 *Ubi nunc sunt sapientes tui? annuntient tibi, & indicent quid cogitaverit Dominus exercituum super Aegyptum.* Nemo itaque præter Deum potest infallibiliter futura prænoscere. Idem tradunt Patres. Tertullianus in Apolog. cap. XX. inquit: *Idoneum testimonium divinitatis est veritas divinationis.* Et Cyrillus lib. 4. in Joannem: *Nulli alii, quam uni ac soli naturali Deo futura nosse convenit.* Una autem est vox cæterorum.

4. Probatur ratione.

Insuper probatur ratione. Futura enim, quæ subita, & in fortuna posita populariter dicuntur, non sunt in suis causis certa ac determinata, alias non forent contingentia, sed necessaria: in suis ergo causis nequeunt prægnosci. In se ipsis vero non potest illa intueri intellectus creatus, qualiscunque ille sit; cum solus Deus ratione æternitatis, in qua omnia simul complectuntur, habeat objective præterita, & futura quæque præsentia: & hæc præterea videat in se ipso, tanquam in causa, cui nihil fortuitum advenit, vel contingens. Rursus cum istiusmodi futura ex concursione causarum non ordinaria, sed insolita variaque oriantur; idcirco nequeunt cognosci, quia omnem creaturam latet, quomodo ex Divina prædefinitione invicem diversæ causæ concurrent: ac præterea incertum est, num istarum causarum connexio solvenda sit alterius causæ liberæ oppositione. Videmus quippe non raro Sanctorum precibus & improborum resipiscentia averti bella, pestilentiam, aliasque calamitates, quæ jamjam impendebant. Ea ergo, quæ revera contingentia sunt, (nam plura etiam necessaria videri possunt casu contingere ignorantibus aptitudinem causarum,) percipiunt quidem Angeli probabili conjectura, at non perspicua firmissimaque notitia.

5. Quid de futuris liberis.

Futura autem, quæ aut libera sunt, aut cum libertate connexa, nullam definitam causam habere, neque fato, & impellente necessitate evenire, unusquisque fatetur. Probat apertissimam hanc veritatem lib. IV. Hexameron cap. 4. S. Ambrosius, quoniam alias frustra leges essent propositæ, frustra pœna decerneretur iniquis, frustra securitas deferretur innoxiis, frustra agricolæ vomerem infigerent arvis, & manum curvæ falci admouerent. Versatur in ore omnium aliud argumentum: nam sæpe eodem loco, eodemque puncto temporis & horoscopo plures gignuntur, qui tamen moribus, vita, fortunisque sunt omnino dissimiles, & econtra plures eumdem exitum habent, etsi fuerunt sub diverso horoscopo procreati.

creati. Præclara sunt, & satis obvia tum profanarum historiarum exempla Procli, & Euristhenis Lacedæmoniorum Regum, qui eodem semine, eodemque sati momento impares omnino moribus, vita, exituque fuerunt; tum literarum Sanctarum, Jacobi & Esau, de quibus præclare Augustinus in v. de Civ. Dei cap. 4. *Tanta in eorum vita fuerunt, moribusque diversa, tanta in actibus disparilitas, tanta in parentum amore dissimilitudo, ut etiam inimicos eos inter se faceret ipsa distantia.* Astra itaque nonnihil in mores, ingeniumque nostrum conferre dicenda sunt; sed non semper ea sequitur liberi arbitrii propensio: unde Socrates cuidam cupiditates, & vitia ipsius divinanti fertur respondisse: *Hæc omnia à me prudentia ac virtutum auctoritate superata sunt, & quidquid vitii ex prava concretione corpus habuerat, animi bene sibi conscii divinitas temperavit.*

6. Objectio 1. Opp. 1. Cognoscere futura contingentia non supergreditur rationalis animæ facultatem. Docent enim Gregorius in lib. IV. Moral. cap. 26. necnon Augustinus in XII. de Genes. ad lit. cap. 13. animæ, secundum quod à sensibus corporeis abstrahitur, competere, ut futura prævideat. In cujus rei confirmationem refert Gregorius quemdam legis peritum morti proximum, etsi haberet sepulturæ locum in Templo Transtiberino, prænuntiasse fore se post obitum apud S. Xystum sepulturæ mandandum. Ergo hæc futura facilius cognita habebunt Angeli à corporibus segregati.

7. Solutio. Resp. Nego antec. quippe animæ, quæ abstrahitur à sensibus, & à corporeis vinculis jam divellitur, vis quædam inest percipiendi cælestium corporum impressionem, quam sensibus immersa dignoscere non valebat, & ex qua conjecturali experimento futura prænunciare solet, ut nos ex nube pluviam, & navis gubernator ex vento procellam. Neque aliud affirmant Patres. Ille ergo, de quo Gregorius, potuit ex aeris affectione conjicere pluvias imminere, ob quas cadaver tumulo apud Transtiberinos inferendum illuc minime deferretur; sed funeris curatores illud apud Divum Xystum injecta humo reconderent.

8. Objectio 2. Opp. 2. In cælis omnia futura descripta sunt: Ea ergo Angeli ibidem conspiciunt. Prob. ant. ex Origene, qui in illud Genes. *Fiant luminaria, & sint in signa, &c.* ait in cælis descripta esse futura quælibet etiam contingentia, & fortuita: ut affirmant Sixtus Sen. lib. v. Biblioth. Annot. 15. & Eusebius in VI. de Præparat. Evang. cap. 9. Idem habetur in libro, qui inscribitur *Narratio Josephi*, magnæ apud antiquos auctoritatis.

9. Solutio. Resp. Luminaria cæli esse tantum signa illorum eventuum, qui necessarii sunt, atque ex causarum determinatione præfixa constantique proveniunt: falsam vero esse interpretationem Origenis, & nullius ponderis ac momenti liber prædictus, quem Athanasius in Synopsi rejicit tanquam apocryphum. Melius Aratus:

Idem illas hyemis venientis jussit, & æstus
Signa dare, & quando terras sit tempus arandi.

10. Objectio 3. Opp. 3. Angeli tam boni, quam mali futura cujusque generis identidem prænunciarunt.

Solutio. Respondet S. Joan. Damasc. lib. II. de Fide Orthodoxa cap. 3. *Futura quidem, tametsi nec Dei Angeli, nec dæmones norint, utrique tamen prædicunt, sed dispari modo. Angeli enim futuros eventus non aliter prædicunt, quam Deo ipsis quæ futura sunt detegente, quo fit, ut ea omnia eveniant, quæ ab ipsis prædicuntur. Dæmones autem ipsi quoque prædicunt, interdum videlicet, quia ea quæ procul geruntur, cernunt: interdum sola conjectura ducti; ex quo etiam efficitur, ut plerumque mentiantur.* Hæc Damascenus. Sed quum plura possint proferri ex idolorum oraculis, & dæmonum divinationibus, nonnullas subjicio præceptiones.

Notationes quædam perutiles.

11. Nota 1. De Idolorum oraculis & divinatione dæmonum. I. Ut Dæmones æmulatores divinitatis facilius homines ad idololatriam & superstitionem inducerent, cum optime noscerent solum Deum habere rerum futurarum plenam certissimamque scientiam, rati sunt callide in sui cultum ignaras cupidasque gentes adactum iri, si eis quoquomodo se futura præsentire auspiciis, oraculis & vaticinationibus suaderent. *Isti igitur impuri spiritus dæmones sub statuis, & imaginibus consecratis delitescunt, & afflatu suo auctoritatem quasi præsentis numinis consequuntur, dum inspirant vatibus, dum fanis immorantur, dum nonnunquam extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt plura falsibus involuta,* inquit Minucius Felix in Octavio:

&

& S. P. Auguſtinus de Divinat. dæm. cap. 7. interdum etiam templorum ſuorum mala prædicere affirmat, *ut cultoribus ſuis ſuam quaſi divinitatem commendent.* Igitur vel hæc ſola malorum ſpirituum vafrities demonſtrat notitiam futurorum veram eſſe notam divinitatis.

12. Nota 2. II. Cum idolorum Sacerdotes magnam auſpiciis & oraculis gloriam & utilitatem captarent, credimus plura ab illis conficta eſſe: idque aſſerimus non ſine plurimis, graviſſimisque momentis. Non enim oracula ac divinationes coram & in propatulo habebantur, ſed in antris, criptisque templorum, nocturno quandoque tempore, adſtantibus ædituis, ſupplicibusque nidore victimarum, curſu in gyrum repetito, veſtium mutatione, & horrore loci propemodum inſanientibus. Et quidem plura oracula gentilitatis falſa eſſe ſcribit Origenes in VII. contra celſum, Euſebius lib. IV. de Demonſtratione Evangel. & alii, quos vide in diſſert. de Oraculis Antonii Van-Dale. Neque ſoli Chriſtiani hoc tradiderunt, verum etiam Jamblicus de Myſteriis Aegyptiorum lib. I. cap. 11. Cicero in 2. de Divinat. & Demoſthenes, qui Pythiam ait φιλιππίζειν, id eſt corruptam à Philippo res ad ejus nutum prædicere. Plura de his apud Cælium Rhodiginum lib. 11. Lect. Antiq. & Voſſium lib. de Idololat. cap. 6. Denique etiam ipſi idololatræ vaticinationes Deorum in contemptu habuerunt, ut Alexander pugnaturus adverſus Perſas, Hector apud Homer. in Iliade, Annibal in Plutarcho, aliique permulti. Valde itaque videtur probabile, idolorum oracula fuiſſe Augurum, & Sacerdotum inventa.

13. Nota 3. III. Si quæ tamen è mutis ſimulacris fuerunt afflante dæmone reddita, conſtat ex iis quoque, Angelos naturalis intelligentiæ acumine futura certiſſime non prænoſcere. Scribit enim citato loco Tullius multa oraculorum illorum eſſe flexiloqua, *ut interpres egeat interprete, & ſors ipſa referenda ſit ad ſortes.* In exemplo erit ambiguum illud Apollinis:

Perdet Cræſus Halyn tranſgreſſus
maxima regna.

Ex quo colligi nequit, an perdenda fuerint regna Cyri & Perſarum, an ipſius Cræſi potius, & Lydiorum. Item aliud ab eodem Apolline reſponſum Pyrrho:

Ajo te Aeacida Romanos vincere
poſſe:

In quo nemonon detegit amphiboliam. In his ergo dæmonum illuſio atque inſcientia deprehenditur.

IV. Alia interdum reddita ſunt inepta magis ac frigida, ut cum Medi in Græciam irrumperent, Athenienſes interrogarunt quid tanto impendente malo foret agendum, reſponditque idolum, *ut mœnibus ligneis ſe munirent.* Id vero reſponſum quo valeret, cum intelligeret nemo, Themiſtocles, ut refert Cornelius Nepos, perſuaſit conſilium eſſe Apollinis, ut in naves ſe, ſuaque conferrent; eum enim ſignificari murum ligneum. Quare bene, ac ſapienter de hoc oraculo ſcripſit in libro de Divinatione Maximus Tyrius: *Si illis temporibus Athenienſes de his rebus non Deum conſuluiſſent, ſed virum prudentem, qui poſſet recte expendere vires, quæ ipſis aderant, & apparatum belli in ipſos venientem, & periculum imminens, & ſalutem ſemet oſtentantem, an vir aliquis talis pejus ipſis conſilium dediſſet, quam dedit oraculum? Imo, ut ego arbitror, non opus ei fuiſſet verborum involucro, & voce muri ambigua, ſed ſic locutus eſſet: Hos lapides, hæc ædificia, Athenienſes, concedite barbaris. Vos autem cum omni familia, cum liberis, cum libertate & legibus ite in mare. Excipient vos trieres, quæ & vos ſervare poſſunt portando, & vincere hoſtes pugnando. Cur ergo homines oracula adeunt, neglectis conſiliis ſui ſimilium?* 14. Nota 4.

15. Nota 5. V. Nonnunquam dæmones divinare videntur, & occulta nobis revelant, neque tamen futura proſpiciunt. Contingit id, ut Auguſtinus docet lib. de Divinat. Dæmonum ex tribus cauſis, aerii corporis ſenſu, celeritate motus, & rerum experientia. Ac de prima cauſa dictum eſt cap. x. opp. 4. *Celeritate*, inquit ibi tertio cap. S. Pater, *Angeli curſum ferarum, & volatum avium incomparabiliter vincunt.* Nil ergo mirum ſi ſtatim nunciant, quæ in regionibus exteris, & longinquis eveniunt. Hoc pacto, ut ſcribit Cedrenus dæmones captas Siracuſas paſtoribus indicarunt, & Cræſo reſponſum dederunt de carne teſtudinis, ut refert lib. 11. cap. 12. Rhodiginus.

16. Nota 6. VI. Experientia autem multa quidem noverunt, quæ proinde absque ullo prorſus miraculo prænunciant, ut ruſtici pluvias, dum ranæ, ut inquit Cicero ad Atticum, ῥητορεύουσιν.

17. Nota 7. VII. Accipiunt aliquando poteſtatem immittendi morbos, vitiandi morbidumque reddendi aerem, & perverſis amatoribus terrenorum commodorum malefacta ſuadendi: atque ita infirmitates, peſtilentias, & bella prædicunt: eo ferme pacto,

pacto, quo medicus in corporis humani temerie bonas, seu malas prævidet, valetudines. Prænunciant ex adverso harum calamitatum finem, si velint à nocendo desistere. Sed etiam hæc, quæ in suis dispositionibus prævident, non semel ex improviso ac repente mutantur, quia *desuper aliquid jubetur, quod eorum consilia cuncta perturbet.* Hoc pacto fallitur etiam Medicus arte sua, falluntur agricolæ, falluntur nautæ: quorum exempla appositè Augustinus refert quinto & sexto capite ejusdem libri. Atque hoc est discrimen inter prædictiones Divinas, ac dæmonum: quod Deus in sui dispositione non fallitur, neque potest ab exteriori causa impediri: dæmon vero, nisi potestatem accipiat, nihil adoritur, & quæ disponit, Dei nutu invertuntur sæpenumero, & immutantur.

18. Nota 8. VIII. Denique nonnulla prædicunt, etiam in sui perniciem, non cognitione propria, sed auditis Prophetarum vaticiniis, quæ nunc manifestant, ne ignari victique putentur; nunc astute reticent, ne incipiant ab hominibus deseri atque contemni. Hoc pacto non ignorantes verba Domini apud Sophoniam cap. II. 11. *Attenuabit omnes Deos terræ;* eversionem templorum suorum aliquando prænunciarunt, ut cap. VII. citati libri docet S. Pater: ideoque δαιμόνιοι, id est *Divinantes*, magno cum dedecore facti sunt *ex eloquiis prophetarum, vel ex oraculis Angelorum.* Has omnes præceptiones tradit capite vicesimo secundo Apologetici Tertullianus his verbis: *Dispositiones Dei nunc Prophetis concionantibus excerpunt, & nunc lectionibus resonantibus carpunt. Ita & hinc sumentes quasdam temporum sortes furantur divinationem. In oraculis autem quo ingenio ambiguitates temperent in eventus, sciunt Cræsi, sciunt Pyrrhi. Habent de incolatu aeris, & de vicinia siderum, & de commercio nubium cælestes sapere paraturas, ut & pluvias, quas jam sentiunt, repromittant. Lædunt primo, dehinc remedia præcipiunt ad miraculum nova, sive contraria, postque desinunt lædere, & curasse creduntur.* His ergo præceptis divinationes, & oracula dæmonum refutato.

CAPUT XIII.

De altera Angelorum proprietate, id est flexibili voluntatis arbitrio.

SUMMARIUM.

1. & 2. Præmittuntur notanda. à num. 3. usque ad 10. Resolvuntur quæstiones omnes, quæ circa amorem, & voluntatem Angelorum institui possunt.

1. De flexibili voluntatis arbitrio Angelorum. POLLENT spirituales substantiæ non solum percipiendi & intelligendi facultate, sed etiam amandi, & volendi: & hanc *voluntatem* communiter appellamus. Fertur hæc amore in bonum; atque, ut dictum est cap. ultimo lib. 4. in bonum in communi, & in perfectum ac summum cognitum omnimoda claritate in se ipso, trahitur necessitate, neque aliam habet libertatem nisi *lubentiæ*, eoquod tale bonum ei proponatur absque indifferentia judicii. Sed circa objectum particulare, sive creatum sit & aliqua ex parte imperfectum, sive summum etiam & incommutabile cognitum *abstractive*, non perspicuitate plenissima, habet cum mutabilitate judicii veram propriamque libertatem indifferentiæ. Hanc sub omni gratia quantumvis vivida & efficaci in viatoribus hominibus permanere, adversus Jansenianos Catholica definit Ecclesia. In Angelis sanctis, piisque animabus, Deum videntibus facie ad faciem, quemadmodum judicii flexibilitas, ita arbitrii indifferentia minime reperitur. Licet tamen Beati in amore Dei, quem lumine gloriæ conspiciunt nullam habeant indifferentiam, in cæteris omnibus liberrimi sunt; non tamen mereri possunt, saltem essentiale præmium, quia jam ad terminum pervenerunt: ut docet Magister Sentent. lib. IV. dist. 5. S. Thomas ibidem q. 2. art. 1. Bellarminus lib. v. de Grat. & lib. arbitrio cap. 14. aliique Theologi. Ea in beatis necessitas amandi Deum est essentialis & physica, quia Deum videntes omni claritate, non habent judicium indifferens, quod requiritur ad essentiam libertatis indifferentiæ. Res in dæmonibus pauliſper diversa est: Hi peccant ex necessitate duntaxat morali, cui absolute reluctari possent, si vellent; sed propter obstinationem nunquam usiri sunt liberæ potestatis arbitrio: quare vere peccant, sed pœnam essentialem mereri non possunt, cum sint in termino, atque est in eis ad cumulū pœnæ maligna ipsa voluntas.

Ha-

2. De duplici causa obstinationis dæmonum.

Habet autem hæc dæmonum obstinatio duplicem causam. Prima est quod non possunt habere auxilium gratiæ; nam ut legitur in libro de Fide ad Petrum: *De Angelis Deus hoc disposuit & implevit, ut si quis eorum bonitatem voluntatis perderet, nunquam eam divino munere repararet:* altera causa est acerbissima pœna gehennæ, & consideratio felicitatis amissæ, unde oritur tristitia, desperatio, & insanabilis animi ægritudo sine ulla rerum meliorum expectatione. Quamobrem turpissime aberrant Calviniani & Jansenistæ, tum eamdem sine indifferentia libertatem statuentes in patria sub lumine gloriæ, & in via sub gratia Reparatoris: tum etiam affirmantes necessitatem male agendi in damnatis ejusdem generis esse cum necessitate amandi Deum in beatis; cum evidentissime constet in illis moralem esse, ortamque à malignæ voluntatis obstinatione; in his vero physicam & essentialem, quæ provenit ex visione intuitiva summi boni, ad cujus amorem quisquis videt ipsam Dei essentiam naturaliter determinatus est, ut docet S. Thomas P. 1. q. 60. art. 5. ad quintum.

3. Assertiones de amore & voluntate Angelorum.

Solvuntur ex his quæstiones omnes, quæ circa amorem & voluntatem Angelorum possunt institui. Ac principio manifestum est primum actum amoris, non indeliberatum illum, & à Deo, qui in Angelis simul naturam condidit, & largitus est gratiam, inspiratur, sed ab eorum voluntate elicitum, sive eum, quo merito permanentiæ, fultique adjutorio *sine quo* adhæserunt Creatori, fuisse actum amoris liberi, vera libertate, quæ in omni statu tam sanæ, quam infirmæ naturæ ad meritum prærequiritur; propterea quod non habuerunt Angeli statim ac facti sunt plenitudinem beatitudinis, visionem Dei intuitivam, & certissimam illam scientiam, per quam indifferentia ac libertas *à naturali necessitate* penitus tollitur. Liquet præterea, quod Angeli postquam majori accepta per Spiritum Sanctum abundantia charitatis assecuti sunt plenissimam illam perfectissimamque scientiam, actum amoris non quidem liberum, non indifferentem, non meritorium erga summum bonum elicere valuerunt, sed necessarium, & immunem duntaxat *à coactione*, qui à ratione meriti omnino disjungitur. Amorem vero, quo Deum super omnia caste, & cum merito dilexerunt, non fuisse plane naturalem, sed ex gratia, cum ex nuper dictis consequitur, tum ex propositione 1. cap. VII. Num vere sive Angelus, sive homo nullius concupiscentiæ raptus inflexione possit absque gratia Deum super omnia diligere amore nulla depravata cupiditate permixto, litigiosa disputatio est sequentibus libris tractanda. De actu autem malæ voluntatis, quo angeli mali ab illuminatione initio accepta ut sapienter beateque viverent, aversi sunt, neque excellentiam sapientis, beatæque vitæ obtinuerunt, ambigendum non est, quin efficienter prodierit à solo libero arbitrio, quo Deum deserentes justum judicium experti sunt; ut docet Augustinus de Corrept. & Grat. cap. x. & nos commonstravimus 1. & 11. Propositione cap. VIII.

4. An Angelus possit transgredi legem naturalem.

Posse quoque Angelum transgredi naturalem legem, positis his principiis, res ipsa loquitur. Etenim, cum nulla creatura indeclinabiliter tendat in aliquod particulare bonum, sed tantum naturaliter determinata sit ad bonum in communi, & ad summum bonum clare visum, quod sane totam rapit, trahitque ad se voluntatem; intellectus Angelorum nunquam fallitur circa veritates universales sibi naturaliter plane notas, sed circa hoc vel illud verum habet veram plenamque indifferentiam judicii; ideoque falli potest judicio saltem practico, & in peccatum delabi. Quapropter cum intellectus Angelorum sit tantummodo *in actu*, ut inquiunt, ad veritates universales, & *in potentia* ad hoc vel illud verum determinatum, est revera *discursivus;* quamquam ut inferat unam veritatem ex alia non eget temporis intervallo, neque experitur impeditionem & moram, cui subjicitur homo ob animi in corpore receptaculum. Igitur quidquid aliqui afferunt ad probandum non posse Angelos ex inadvertentia & errore circa naturæ legem delinquere, quoniam rerum naturalium clarissima in luce versantur, neque aliqua ratiocinatione proficiunt, est omnino falsum, mentitum, plenumque erroris. Verissimum tamen est hujusmodi inadvertentiam seu ignorationem non esse invitam, & eam, qua, dum torquet perversa cupiditas, non possumus à libidinosis operibus temperare, nisi gratia Christi vulnera nostra sanante: hæc enim ignorantia non est natura institutæ rationalis creaturæ, sed pœna damnatæ; ut de homine docet Augustinus lib. III. de lib. arb. cap. 18. & in 1. Retract. cap. 9. Fuit ergo ante peccatum in Angelis ignoratio & inadvertentia hoc tantum sensu, quod cum possent facile animadvertere solum Deum esse sum-

ſummum bonum, quo ſubſtantia rationalis frui debet & delectari, convertentes ſe ad contemplandam propriæ naturæ excellentiam, hac delectati ſunt, nequaquam eam referentes ad laudem & amorem Creatoris : ut liquet ex Prop. I. VIII. & cap. IX. hujus libri.

5. Immutabilis eſt voluntas Angelorum & dæmonum.

Demum colligitur ex dictis tam bonorum, quam malorum Angelorum voluntatem immutabilem eſſe, non propterea quod ab eo quod ſemel elegerint digredi non valeant; ſed quia Angeli ſancti videntes Deum in ſe, ſunt ad amorem Dei eſſentialiter determinati, & carent indifferentia judicii : dæmones vero propter obſtinationem & pervicaciam ita malo adhærent, ut nunquam ſint pravæ & flagitioſæ voluntati reluctaturi. Id quidem negat univerſa Schola Thomiſtica, dicente Angelico Præceptore q. 64. art. 2. *Liberum hominis arbitrium flexibile eſſe ad oppoſitum & ante electionem & poſt : liberum vero arbitrium Angeli eſſe flexibile ad oppoſitum ante electionem, ſed non poſt.* At hanc opinionem refutant Theologi alii, Gregorius Ariminenſis in 2. Sent. q. 3. diſt. 6. art. 2. Petavius lib. 1. de Angelis cap. XI. Du-Hamel diſſert. 1. cap. 4. conc. 3. L'Herminier Tom. 2. pag. 489. Juenin Diſſert. 1. cap. 2. Concl. 3. Habert de Creat. cap. VIII. quæſt. 4. aliique omnes, qui in verba Magiſtri non jurant.

6. Cur Angeli S. peccare non poſſint.

Ob magnam adverſariorum auctoritatem, lubeat iterum veritatem ſententiæ noſtræ introſpicere. In primis cur Angeli ſancti peccare non poſſint, ideo eſt, quia videntes eſſentiam Dei in ejus amorem naturaliter, & ex neceſſitate feruntur, neque poſſunt ab hoc amore divelli : in cæteris autem rebus, in quibus indifferenti judicio locus eſt, peccare non poſſunt, quoniam quæ Deo placent, & ipſi invictiſſime volunt, eoquod non poſſint Deum odio habere : quamquam in his perfectiſſima præditi ſunt libertate. Probat hanc rationem ipſe S. Thomas 1. p. q. 62. art. 8. *Angeli beati peccare non poſſunt*, (inquit ille) : *& ratio eſt, quia eorum beatitudo in hoc conſiſtit, quod per eſſentiam Deum vident. Eſſentia autem Dei eſt ipſa eſſentia bonitatis. Unde hoc modo ſe habet angelus videns Deum ad ipſum, ſicut ſe habet quicunque non videns Deum ad communem rationem boni. Impoſſibile eſt autem, quicquam velit vel operetur, niſi attendens ad bonum, vel quod velit divertere à bono in quantum hujusmodi. Angelus igitur beatus non poteſt velle vel agere, niſi attendens ad Deum : ſic autem volens vel agens non poteſt peccare.*

Itaque etiam per Divum Thomam inflexibilis eſt voluntas Angelorum ſanctorum ad malum, quoniam videntes Eſſentiam Dei ſunt in ipſius amorem naturaliter determinati, quemadmodum ad rationem boni in communi : quare etiam poſt electionem eſt Angelorum voluntas flexibilis & mutabilis, reſpectu bonorum illorum, quæ cum non ſint undequaque perfecta, naturaliter ac neceſſario in ſe voluntatem totam non rapiunt.

7. Angelorum S. voluntas non eſt immutabilis natura, ſed gratia.

Ad hæc : PP. docent voluntatem Angelorum immutabilem eſſe non natura, ſed gratia. S. P. Aug. de Corrept. & Gr. cap. x. ſcribit fuiſſe præmium permanſionis Angelorum, *ut magnam per Spiritum Sanctum data abundantia charitatis Dei, cadere ulterius omnino non poſſent, & hoc de ſe certiſſime noſſent* : quod & repetit lib. XI. de Civ. Dei cap. 9. & XXII. cap. 1. Fulg. de Fide ad Petrum cap. 23. *Hoc ipſum* (inquit) *quod ab illo ſtatu beatitudinis, in quo ſunt, mutari in deterius nullatenus poſſunt, non eſt eis naturaliter inſitum, ſed poſtquam creati ſunt gratiæ divinæ largitate collatum.* Nazianzenus etiam 38. Orat. ait Angelos eſſe ad malum immobiles; *Utpote Deum circumſtantes, ac primario Dei fulgore collucentes.* Et Damaſcenus lib. 2. cap. 3. definit Angelum *naturam ratione & intelligentia præditam, ac propoſito & ſententia mutabilem.* Qui & apertiſſimam cauſam profert, quam etiam tradit Gregorius lib. v. Moralium cap. 28. videlicet, quod omne creatum etiam mutabile eſt, atque viciſſitudini ſubjicitur.

8. Confirmatur experientia.

In cujus rei confirmationem clamat inſuper rerum experientia : nam Sancti Angeli in rebus, quarum nondum circumſtantias omnes, & Dei voluntatem aperte noverunt, propoſitum ſæpe mutant, & etiam aliquando diſſident inter ſe, ut conſtat ex cap. x. Danielis : licet fixam habeant ſententiam eligendi, quod placet Deo, quem neceſſitate diligentes non poſſunt odiſſe. Econtra dæmones non omnia, quæ volunt, ſemper volunt, ſed nunc tentant juſtos ut cadant, nunc à tentatione deſiſtunt, ne meritum illis accumulent; quamquam pervicaces ſunt in avertendo ſe ab incommutabili bono, quod non poſſunt caſto amore diligere. Ita ergo comparate ad finem ultimum immutabiles ſunt Angeli ac dæmones : illi adhærent Deo immutabiliter propter plenitudinem beatitudinis; iſti à Deo avertuntur propter inflexibilem obſtinationem : at relate ad media, habent utrique libertatem, & Angeli ſancti diverſa

versa eligere possunt servato ordine finis; Angeli mali divertendo se ab ordine finis: quorum primum est libertatis perfectio, alterum autem defectus, ut inquit S. Thomas q. 62. art. 8. ad tertium.

9. Explicatio S. Thomæ.

Quando ergo idem S. Thomas q. 64. art. 2. ait causam obstinationis dæmonum esse, quod *Angelus apprehendit immobiliter, sicut & nos apprehendimus prima principia: homo vero apprehendit mobiliter discurrendo de uno ad aliud; unde voluntas hominis adhæret alicui mobiliter, quasi potens etiam ab eo discedere, & contrario adhærere; voluntas autem Angeli adhæret fixe & immobiliter*; quando, inquam, hæc ait S. Thomas, ita exponendus est, quod Angeli post electionem *immobiliter* adhæreant summo bono, cujus vident essentiam, ita ut ad amandum Deum naturaliter sint determinati, quomodo intellectus hominis ad prima principia, & voluntas ad bonum in communi. Et quoniam post primum actum charitatis, statim plenam beatitudinem sunt assecuti, ideo adhærent summo bono *immobiliter*. Id vero manifestum est, si articulum hunc 2. quæst. 64. conferas cum art. 8. quæst. 62. Dæmones pariter, qui statim post lapsum ad sempiternum supplicium damnati sunt, inflexibiliter adhæserunt peccato, privati totaliter cognitione affectiva, quæ producit amorem Dei, uti docet art. præcedenti. Verum per liberum arbitrium diversa media possunt eligere, & consequenter sunt adhuc in his flexibiles ac mutabiles: quemadmodum colligitur ex resp. ad tertium memorati articuli 8. Quapropter neque nos à D. Thoma recedimus; quod implorata discipulorum ejus venia dictum sit: neque, ut opinor, illum oppugnant, qui Scholæ Thomisticæ, circa inflexibilitatem Angelorum, sensum, & opinationem rejiciunt.

10. Explicatio S. Joannis Damasceni.

Joannes Damascenus cit cap. 3. lib. 2. inquit dæmonem non esse capacem pœnitentiæ, *quoniam corporis est expers.* Sed hæc non eo pertinent, ut velit incorpoream substantiam non posse natura sua à proposito resilire; sed insinuant tantummodo, dæmonem statim damnatum, & Divina gratia destitutum fuisse, quod ut corpore, (inquit Petavius,) sic imbecillitatis excusatione careret. Nam præter definitionem Angeli supra ex Damasceno productam, post hæc eadem verba de Angelis bonis habet: *Difficulter in malum mobiles, sed non immobiles: nunc vero & immobiles non natura, sed gratia, & adhæsione ad id, quod solum bonum est.* Quibus, nisi me animus fallit, hactenus dicta valide confirmantur.

CAPUT XIV.

Quomodo Angeli assumunt corpora, & certo in loco constituuntur.

SUMMARIUM.

1. & 2. Præmittuntur notanda circa statum quæstionis.
3. Probatur, Angelos non esse in loco per extensionem.
4. Defenditur, Angelos esse certo, ac definito loco præsentes.
5 6. Propugnatur, eos esse in loco per indistantiam, ac præsentiam ratione suæ substantiæ, neutiquam ratione operationis, aut virtutis.
7. Ostenditur, Angelos quoque esse in loco per contactum non sola ratione substantiæ, sed etiam operatione, & applicatione virtutis.
8. Advertuntur duo ad omnia argumenta solvenda perutilia.
à num. 9. usque ad 11. Resolvuntur quædam adhuc restantia de motu locali Angelorum.

1. Quomodo Angeli assumant corpora

Angelos sive bonos, sive malos nonnunquam corpora assumere colligitur ex variis formis, quibus hominibus apparuerunt. Nam dæmon sub serpentis imagine Evam decepit: tres Angeli in humana specie in conspectu Abrahæ extiterunt: duo alii Sodomam tanquam peregrini petierunt: Raphael Tobiæ eunti in Rages Civitatem Medorum Ducem comitemque se præbuit: Gabriel ad Mariam Virginem ingressus mysterium reparationis nostræ ipsi nuntiavit; aliasque innumeras spirituum apparitiones certissimæ narrant historiæ. Hæc imaginatrici potentiæ tribui non debent, tum quia tactu aliquando hujusmodi corpora deprehenduntur, tum quia, ut ostendemus cap. ultimo, à nulla quantumvis vehementi apprehensione fieri possunt, quæ efficiuntur ab Angelis, dum hominibus utentibus etiam exteriori sensu apparent, & res occul-

occultissimas manifestant. Corpora autem assumpta ab Angelis sunt potissimum aerea, atque ex vaporibus & exhalationibus compacta, quæ cum extensionem aliquam habeant, & variis terminentur figuris, possunt etiam apparere diversa, quam revera sint, v. g. ipsa corpora hominum, aut ferarum. Angeli enim perspectivæ artis periti, materiam miscere possunt, ut pro varia luminis reflexione, aut refractione diversæ appareant figuræ, diversi colores, & quæ egregiam formam & pulchritudinem habent, videantur fœda ac turpissima; & è converso quibus est corporis vitium, & deformitas, inesse credatur species liberalis, & eximia facies. Si enim radii solis per Prisma triangulum transmissi pingunt in opposito pariete imaginem variis distinctam coloribus, propterea quod radii refractione separantur; atque corpora quælibet naturalia, dum per idem prisma conspiciuntur, videntur ex una parte rubea, & flava, ex altera autem violacea & cerulea, quoniam radii prout magis minusve refringuntur, extrema imaginum exhibent à loco objectorum plus aut minus remota: quæ, aliaque experimenta exponit clarissimus Nevutonus: si ope microscopii minima corpuscula distincte cernuntur, & conspicillo concavo magis confuse, quoniam illo dispersi radii in unum retinæ punctum coguntur, hoc vero disperguntur amplius ut non possint in idem punctum retinæ collineare; quemadmodum ostendit Dioptrica: si, inquam, hæc diverso radiorum anfractu flexuque fiunt; non erit laboriosum Angelis miscendo ac perturbando corporis aerii materiem multimodis radios inflectere, pluraque unius objecti effingere simulacra.

Multa delusionum genera.

Hinc multa delusionum genera, quibus dæmones, ac si monstra essent, aut volucres, aut formosæ adolescentulæ in hominum conspectum veniunt. Singulare exemplum refert parte ultima de universo Guilelmus Parisiensis, cujusdam militis, qui cum crederet complecti elegantis formæ puellam, se deprehendit jacere cum belluino cadavere tabe macieque soluto. Quamobrem etsi recentiorum Philosophorum sententia est, posse Angelos apparere sub quacunque forma absque assumptis corporibus, eoquod sensibilia objecta non aliam agendi rationem habeant, quam movendo localiter, aut motui locali resistendo, ut defendit Maignanus cap. 33. Philosophiæ naturæ, & Le-Grand cap. IX. Dæmonologiæ; constat tamen etiam experientia posse ab illis assumi corpora, assumique nonnunquam. In his autem corporibus, quomodo sentire queant, & opera vitæ exercere, dixi cap. IX. ad 4. oppositionem. Quod etiam in his corporibus prolem generare non possint, affirmavi cap. II. ad primam; neque necesse est plura de Angelorum corpore inquirere.

2. Quomodo Angeli certo in loco constituuntur.

De loco autem Angelorum varias invenimus opinationes: quas tamen re inspecta videntur mihi posse facile conciliari. Quidam putant nullam spiritualem substantiam esse in loco, & hæc assertio communis est inter recentiores Philosophos, qui docent locum interiorem esse corpus, quod extensione sua spatium replet, exteriorem vero superficiem corporum ambientium: neque aliam ideam loci haberi contendunt, quoniam putant non posse percipi locum sine spatio, neque spatium sine extensione: de qua sententia vide Rohaultium cap. 8. Physices, Purchotium p. 2. Meth. sect. 2. cap. 2. quæst. 6. Institutionem Philosophiæ Cart. p. 3. cap. VII. Theologi Angelos esse in loco tradunt communiter, asserentes non quidem à loco ambiri, & circumscribi, quod fatentur convenire tantum corporibus, definiri tamen, hoc est, certo ac determinato loco fieri præsentes: quod dicunt esse in loco *definitive*. Hanc vero rationem essendi in loco alii asserunt competere Angelis ratione substantiæ, ut S. Bonav. in 2. dist. 2. q. 1. Scotus eadem dist. q. 6. Gregorius Arimin. ibid. quæst. 2. art. 2. Frassen tract. 1. de Ang. disp. 2. art. 3. cæterique Scotistæ ac Nominales: allii rationem illam repetunt ex Angelorum operatione, ut Thomistæ omnes, pluresque nostratium. Animadvertit autem J. B. Du-Hamel dissert. 1. de Angelis cap. 4. dupliciter rem aliquam esse in loco 1. per indistantiam sive præsentiam, quomodo una res est, ubi est altera, 2. per applicationem & contactum, quo pacto una res alteri applicatur, eamque tangit. Quibus prænotatis sequentes statuo positiones.

3. Propositio.

PROPOSITIO I. Angeli non sunt in loco, quomodo sunt corpora, per extensionem.

Probatur Angelos non esse in loco per ex extensionem.

Ita Patres, & quilibet ratione præditus. Nam S. Pater Augustinus lib. VIII. de Gen. ad lit. cap. 19. ait: *Necesse est esse partes iis, quæ in locis sunt.* Greg. Nyss. in 1. contra Eunomium, Didymus de Spiritu sancto. Nemesius, aliique complures docent Angelos non esse in loco, quod esse in loco sit affectio rei corporeæ & extensæ: & Boetius in libro, cui titulus est, *An omne quod est bonum,*

sit

sit circa principium illius, ait communem esse animi conceptionem, *Incorporalia in loco non esse.* Et revera corpora ita sunt in loco, ut eorum partes loci dimensionibus respondeant, spatium repleant, & situm, sive majorem aut minorem positionem acquirant: Sed substantia incorporalis & cogitans partes; dimensiones, & situs ordinem habere non potest: Ergo hæc substantia nequit esse in loco more corporum.

4. Propositio Angelos esse certo & definito loco præsentes.

PROPOSITIO II. Angeli sunt certo ac definito loco præsentes.

Probatur.

Demonstratur I. Quia ex 2. Petri cap. II. v. 4. constat Deum *Angelis peccantibus non peperciſſe, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidiſſe cruciandos.* Apoc. XII. 8. legitur: *Neque locus inventus eſt eorum amplius in cælo.* Et Angelos Sanctos in cælis permanere, ad homines mitti, de loco in locum transire plura divinarum Scripturarum evincunt exempla. II. Probatur ex PP. dicente Augustino de Agone Christ. cap. 3. *Non ergo arbitremur in ſummo cælo habitare diabolum cum Angelis ſuis, unde lapſum eſſe credimus.* Et Damasceno lib. II. de Fide cap. 3. *Angeli quando ſunt in cælo, non ſunt in terra, & cum in terram à Deo mittuntur, non manent in cælo.* III. Confirmatur ratione, quam affert Theodoretus quæst. 3. in Genesim: Divinitas non est in loco, sed ubique, quia est infinita; ergo substantia, quæ finita est, non ubique consistit, sed in loco. Igitur si quæ sunt opposita Patrum testimonia, probant tantummodo Angelos non esse in loco per extensionem, sive, ut inquiunt, *circumſcriptive:* quod fuit superiori propositione comprobatum.

5. Propositio 3.

PROPOSITIO III. Angeli sunt in loco per indistantiam ac præsentiam, ratione substantiæ suæ, non operationis aut virtutis: & vera est Nominalium, & Scoti sententia.

Probatur.

Expresse hæc propositio definita est approbatione Doctorum à Stephano Parisiensi, ut ait Gregorius Arim. in damnatione sequentis articuli: *Quod ſubſtantiæ ſeparatæ ſunt alicubi per operationem, & non poſſunt moveri ab extremo in extremum, nec in medium, niſi quia poſſunt velle operari, aut in medio aut in extremis. Error, ſi intelligatur ſine operatione ſubſtantiam non eſſe in loco, nec tranſire de loco ad locum.* Habetur modo hic articulus tom. XXV. Bibl. PP. pag. 332. & est 4. capitis I. *De Deo & Intelligentiis.* Sed hac damnatione prætermissa; thesis probatur I. argumento Theodoreti cit. q. 3. in Genesim scribentis: *Omnia ea, quæ in tempore cœperunt finita ſunt, & habent circumſcriptam ſubſtantiam, & ideo loco opus habent: quia ideo divinitas non eſt in loco, quia minime eſt circumſcripta.* Rude argumentum quidam appellant, reponentes substantiam Angelorum finitam esse, id est, coarctatam in sua *specie*, non determinatam ad locum: at excutitur peracuta hæc cavillatio, siquidem ita ratiocinari fas est: Substantia Angelica cum non sit infinita, est se ipsa limitata in aliqua *specie*: Ergo, cum non sit immensa, est semetipsa terminata in aliquo loco; sicut Deus econtra, cum sit perfectissimus, & immensus, omnia definita locorum spatia transcendit. Præterea: In cœlo Empyreo nihil Angeli operantur exterius; contemplatio enim divinitatis, & charitas qua illic inflammantur, operatio immanens est; & si quidam spiritus inferiores illuminant, id agitur in mente spirituum, non in loco, in quo immutabilia sunt omnia, & lux sempiterna coruscat. Neque ornatum aliquem cælesti Jerusalem, cujus lucerna est Agnus, superaddunt, nisi quatenus sunt primores cives illius, & civitatis sanctæ pars princeps. Invenimus ergo Angelos esse in loco sine operatione aliqua transeunte. Deinde quælibet operatio, supponit præsentiam, & in Thomistarum Schola approximatio, (ita consuetum est colloqui,) agentis ad passum est operationis conditio *sine qua non.* Igitur primum percipio Angelum esse loco præsentem proximumque, deinde in loco operari: primum, ut exemplo utar Frassenii, Gabrielem ingressum ad Virginem, quam eam allocutum; primum Angelum accessisse ad Christum, quam ei ministrasse. Quam sane mentis meæ perceptionem quidquid reponunt Thomistæ nequeunt perturbare: eorum enim cum responsa, tum objecta eo collimant, ut probent Angelum non esse in loco per contactum substantia sua, quod non difiteor.

6. Confirmatur.

Ulterius dæmones desistunt nonnunquam à consuetis corporum vexationibus, nec tamen inde recedunt: patiuntur ab igne, quia huic inviti alligantur, non ignem ipsi movent, aut exterius agendo percellunt; & nihilominus illic commorantur: & si contingat, ut pro lubitu nunc in rectam lineam, nunc in obliquam corporum motiones efficiant, habetur quidem diversa operatio Angelorum, non diversa in loco præsentia. Postremo:

Dummodo percipiatur coexistentia substantiæ angelicæ ac temporis, absque ulla operatione intelligitur Angelum esse in tempore: Ergo ut concipitur existentia loci simul & Angeli, sine aliqua operatione percipimus Angelum esse in loco.

7. Propositio 4. PROPOSITIO IV. Angeli sunt quoque in loco per contactum non sola ratione substantiæ, sed etiam operatione, & applicatione virtutis, ut placet Thomistis.

Probatur. I. Demonstratur, quoniam substantia angelica expers est partium, neque se ipsa tangit res corporeas, sed eas potius permeat, ac penetrat: est ergo in loco per contactum operatione, & quantitate virtutis, non semetipsa. II. Quia substantia Angelorum indifferens est ad occupandum locum majorem, aut minorem, cumque determinari non possit nisi applicatione virtutis; hæc est unica ratio, cur Angelus hoc vel illud loci spatium tangat, & impleat. III. Quantitas molis constituit corpora in loco *circumscriptive*, prout locus dimensionum commensurationem designat: igitur quantitas virtutis constituet spiritum in loco *definitive*, quatenus locus latitudinem & extensionem importat; in quo loco nequit esse substantia Angeli per semetipsam, ut constat ex Propos. 1.

8. Solutio objectionum ex Ariminensi. Habes omnium sententiarum conciliationem: quare ut solvas quælibet argumenta, teneto hæc duo verba Ariminensis: *Ad hoc ut aliquid sit in loco definitive tantum, non requiritur aliquis contactus, sed solum, quod ipsum sit illi præsens & ab eo contineatur.* Ipse D. Thomas q. VIII. art. II. tradit hanc duplicem rationem essendi in loco; quamquam modum proprium loci declarat esse *in quantum locata replent locum.* Probatur etiam mihi opinio Vasquesi asserentis Angelum esse in loco per unionem ad corpora, si per unionem solam coexistentiam loci & substantiæ angelicæ, ac nihil præterea intelligamus. Si dicas substantiam Angelorum esse indifferentem ad hanc vel illam coexistentiam, respondeo id verum esse, & determinari sua libera voluntate, aut si in loco violento existat, voluntate & proposito Dei. At hæc determinatio est in genere causæ efficientis, non *formalis*: & est ratio, cur Angeli sint in loco, quemadmodum motus corporis ac transmigratio, cur hac vicinia circumscribantur; aut approximatio ignis, cur lignum istud comburat. Si reponas corpora non circumscribi nisi per extensionem, & ignem non comburere nisi per qualitatem: præsto erit responsum, neque Angelum tangere, aut movere corpora nisi per applicationem virtutis; sed hac præcisa, esse in loco per indistantiam, quomodo sunt duo corpora, quæ invicem penetrantur. Denique si dixeris, Augustinum rationem reddere cur universæ moli corporis adest anima, dum ait lib. de Immortal. animæ cap. 6. *Tota singulis partibus simul adest, quæ tota simul sentit in singulis:* Et Damascenum lib. I. cap. 17. *Natura incorporea circumscribitur, ubi & operatur;* primo respondeo loqui Patres de existentia in loco per contactum: posthac animadverto neque Augustinum, neque Damascenum asserere quod spirituales substantiæ ubicunque sunt, ibi operantur; quamquam affirmant, quod ubi operantur, ibi sunt. Possunt ergo esse, tametsi non operentur, in loco; ut III. diximus Propositione.

APPENDIX.

9. An Angeli localiter moveantur. Quæri solet, an Angeli localiter moveantur. Bernardus serm. 5. in Cantica ait: *Non est discurrere, & de loco in locum transire, nisi corporum.* Localem tamen motum Angelis tribuunt Scripturæ, ex quibus constat illos ad homines, ac terrarum regiones appellere, discedere & egredi, perambulare & vagari, ejici ac detrudi: unde Chrysostomus hom. in Epist. ad Hebræos, inquit: *Angeli loca mutant, & prioribus relictis in quibus sunt, ad alia pergunt in quibus non erant.* Est autem duplex species motus localis; prima dum mobile variis partibus locorum propria extensione respondet, altera dum diversis locis se præsentem sistit spiritus: & illa quidem, ut Bernardus loquitur, rerum corporalium est propria.

10. Angelorum motus an momento fiat. Angelorum motum momento fieri scribit in Apologetico cap. 22. Tertullianus, & de Pythio dæmone, qui eodem tempore nunciabat quæ à Crœso agebantur in Lydia, *Momento,* inquit, *apud Lydiam fuerat.* At S. P. Augustinus lib. XII. de Civ. Dei cap. 15. ait: *Etiamsi immortalitas Angelorum non transit in tempore, nec præterita est quasi jam non sit, nec futura quasi nondum sit; tamen eorum motus quibus tempora peraguntur ex futuro in præteritum transeunt.* Et Bern. serm. 78. in Cantica: *Angelus non absque motu operatur tam locali, quam temporali.* Tertullianum ergo exponere possumus de celeritate motus Angelici, qui à nullo corpore retardatur, ut diximus supra de Divinatione Dæmonum cap. XII. notatione V.

Tan-

II. An idem Angelus possit esse in pluribus locis, aut plures in uno.

Tandem quærunt, num idem Angelus possit esse in in pluribus locis, aut in uno loco possint esse plures Angeli. Sed constat ex dictis substantiam omnem finitam, uti essentia, ita loco esse coarctatam; unde Damascenus lib. I. cap. 8. ait: *Non potest Angelus secundum idem in diversis locis operari.* Ad primam ergo quæstionis partem, nos quidem respondemus negative, ita tamen, ut ad plures partes ejusdem loci possit pro libitu motus & operatio angelica extendi juxta virtutem, qua unusquisque pollet in aliquo genere terminata. Ad alteram vero partem, si quæstio instituitur de existentia in loco per indistantiam ac præsentiam, liquet plures Angelos posse in eodem spatio, quantumvis minimo, contineri, quoniam nullam faciunt, dum simul sunt, extensionem; idque aperte docent Richardus in IV. de Trinitate, Ochamus in Quodl. q. I. & Gregorius de Arimino dist. II. q. 3. art. 2. & est veluti corollarium præcedentis Propositionis III. Si autem loquamur de existentia in loco per contactum, & applicationem virtutis: quemadmodum sentiunt Philosophi eumdem effectum non posse produci à pluribus causis ejusdem generis adæquatis, sed tantum à pluribus causis quæ ex parte agant & moveant; ita absque ulla hæsitantia asseverandum est, multos Angelos posse in uno loco residere, si paulisper & aliqua ex parte agant, non vero si adæquati sint perfectique motores: quod est planissimum IV. Propositionis consectarium.

CAPUT XV.

De merito, atque de lapsu Angelorum.

SUMMARIUM.

I. & 2. Præmittuntur aliqua circa statum quæstionis.

à num. 3. usque ad 5. Probatur, Angelos initio temporis & potuisse, & actu peccasse, ac meritos fuisse, priusquam percurrerent intervalla morarum temporalium.

6. & 7. Propugnatur, Angelos non potuisse in primo instanti (loquendo de instantibus Angelicis) mereri, aut demereri.

à num. 8. usque ad 11. Satisfit objectionibus.

I. De lapsu & merito Angelorum.

BONAM voluntatem, qua Angeli Sancti merito perseverantiæ meliores facti sunt, ex Dei gratia fuisse, malam vero, qua dæmones ceciderunt, à solo libero arbitrio profectam, adversus Pelagianos & Manichæos concordissime Theologi affirmant. At quando illi promeriti sint beatitudinis plenitudinem, isti autem ruerint præcipites, contentiosa, nec valde utili disquisitione disceptant. Nam inter creationem Angelorum ac terminum quidam duo instantia temporis constituunt, nonnulli quatuor aut quinque, aliqui diem integrum naturalem, aliquipiam sex dies creationis, quos corporeos esse firmissime tenent permulti. De priori autem instanti Scotus, & qui ei militant viri docti, noster Ariminensis, Vasquesius, Arriaga, aliique sentiunt potuisse Angelos & mereri & peccare: de merito consentit, de peccato negat cum perillustri discipulorum manu magnus Thomas Aquinas: ad meritum simul ac demeritum pro eo instanti comparandum defuisse Angelis potestatem docet cum non obscura Interpretum multitudine Aegidius noster. In tanta hominum discrepantia videtur mihi Augustinus acu rem tetigisse, & præclaram S. Patris doctrinam, quam cap. VIII. & IX. pro modulo ingenii mei explicavi ratione quadam diversa ab his Theologis, qui Peripateticam philosophiam sunt arcte & mordicus consectati, à qua non semel Augustinum, & jure quidem recedere arbitror: præclaram, inquam, S. Patris doctrinam demonstrare, præcipuas ex narratis Doctorum opinationibus veras esse simul, & falsas.

Ante lapsum quid egerint Angeli boni & mali.

Diximus ergo, Angelos principio à Deo fuisse conditos *lucem*, id est, cum ideis inditis, & ingenitis, in quibus perciperent sempiternas rationes rerum, & simul cum bona voluntate, qua Deo adhærerent, & cum actuali adjutorio, *sine quo* non poterant in beatitudine permanere, non tamen ad particulare bonum prædeterminante voluntatem naturaliter tantum inclinatam ad bonum in communi: deinde convertisse se ad contemplandam sui, aliarumque creaturarum excellentiam in propria natura, cognitione, quam S. P. appellat *vespertinam.* Tum Angelos sanctos in liberam Dei laudem charitatemque consurrexisse, & factum in eis *mane:* Angelos autem malos se ipsis delectatos nequaquam laudi-

laudibus & amore fuisse Deum prosecutos, sed in tenebras noctemque sese commutasse. Demum Angelis sanctis donatam beatitatis plenitudinem, malos autem factos esse miserrimos; atque ita inter lucem tenebrasque divisum. Quæ satis arbitror ex IX. capite manifesta.

2. Tempus meriti, & lapsus.

Jam animadverte hæc omnia absque intervallo temporis fuisse peracta: *Non secundum temporum moras, sicut fiunt dies isti, cum oritur & occidit sol, & in locum suum redit ut rursus oriatur, sed secundum potentiam spiritalem mentis angelicæ*, inquit S. P. lib. IV. de Gen. ad lit. cap. 32. & paulo post rationem reddit, quoniam hoc interest discriminis inter mentem angelicam & humanam, quod illa *cuncta, quæ voluerit, notitia facillima comprehendit*: hæc ex adverso *quanta tarditate ac difficultate agat, & quanta temporis mora propter corpus corruptibile, quod aggravat animam, quis ignorat?* Quare per Augustinum potentia spiritalis mentis angelicæ sine temporis mora fit & dies, & vespera, & mane; unde cap. XXIX. præcedenti describserat: *Simul ergo habent & vesperam, & mane:* nempe quia sine temporis intervallo Angeli, ut ibidem ait, *& possunt, & faciunt.*

Ordo causalitatis attenditur.

Quamquam vero hæc uno eodemque momento temporis perficiantur, est tamen in his ordo causalitatis, cum una cognitio præcedat alteram, ut scite docet eodem cap. 32. Augustinus dicens: *Nec ideo tamen sine ordine, quo apparet connexio præcedentium, sequentiumque causarum.* Quem ordinem è vestigio explicans ait: *Etiamsi nulla hic morarum temporalium sint intervalla, præcessit tamen ratio condendæ creaturæ in verbo Dei, cum dixit: Fiat lux. Secuta est ipsa lux, qua angelica mens formata est, atque in sua natura facta est, &c.* Sequenti autem cap. XXXIV. explanat quomodo unico instanti temporis de una in alteram cognitionem, de vespertina in matutinam procedat Angelus, etiamsi una cognitio sit causa alterius, exemplo solis, quem orientem uno ictu videt acies oculorum nostrorum, licet *pervenire non possit ad solem orientem, nisi transeat aeris, cœlique spatium, quod inter nos, & ipsum est.* Oportet ergo, ut distinguamus moras & instantia temporis, quod peragitur motu rerum corporearum, & moras & instantia operationum Angelorum, qui de una cognitione transeunt in alteram, sed tanta celeritate, ut harum ordo & causalitas perficiatur absque ullo intervallo *morarum temporalium.* Quibus ex Augustino decerptis, sit

3. Propositio I. potuerunt peccare & mereri.

Propositio I. Angeli peccare & mereri potuerunt initio temporis, & revera alii meruerunt, alii peccarunt, priusquam percurrerent intervalla morarum temporalium.

Probatio.

De merito consentientes habeo Thomistas, & quamquam his non omnes subscribant, *multo rectius sentiunt, qui docent omnes angelos primo instanti, quo facti sunt, beatitudinem meruisse*, inquit Cl. Estius in II. Sent. §. 11. dist. 3. Quod etiam peccare potuerint, docent Scotistæ, aliique superius laudati: & quod nulla fuerit mora inter creationem & lapsum angeli, & in primo instanti suæ creationis in actum liberi arbitrii proruperit, asserit S. Thomas q. 63. art. 5. Thesim autem universam sic demonstro. I. Angeli absque ulla temporum mora simul fuerunt & dies, & lux, & simul habuerunt *vesperam, & mane:* At *vespera* est contemplatio rerum creatarum, *mane* est relatio amoris & charitatis in Deum: Ergo absque ullo temporalium morarum spatio & per intellectum sese cognoverunt, & per liberum arbitrium Angeli sancti charitate in Deum ordinati sunt, reliqui se ipsis delectati. Major propositio est Augustini cap. 32. & 29. lib. IV. de Genes. ad lit. & minor pariter est Augustini lib. IX. de Civit. Dei cap. VII. Hæc argumentatio sequenti corroboratur: Ut angelus de una in alteram cognitionem, & de hac in actum liberæ charitatis erumpat, ut Augustinus docet, non eget spatio temporis, quo movetur animus noster pressus tarditate ac difficultate propter corpus corruptibile, quod aggravat animam: sed, ut acies oculorum per ampla, immensaque spatia ad orientem solem transitictu uno; absque temporis mora à mentis contemplatione ad diligendum Deum potentia spiritali transcendit. Quid ergo prohibet, ut initio temporis eodemque creationis momento sibi meritum ac demeritum comparasse affirmemus? Huc etiam pertinet argumentum Gregorii Ariminensis & Scoti, quo saltem potestas peccandi, & merendi in primo instanti evincitur. Est autem: In primo instanti habuerunt Angeli quod ad merendum, ac demerendum requiritur, videlicet notitiam rerum, liberum arbitrium, necnon supernæ gratiæ adjutorium, atque ut actum amoris sui in Deum vel in se ipsos referrent, non opus habebant, ut illum mora aliqua temporis suspenderent. Potuerunt ergo in illo creationis momento & Deo adhærere amore casto, & mereri; atque in se ipsis delectari, & peccare.

Dein-

4. Confirmatio. Deinde profertur exemplum Christi, qui in primo conceptionis momento revera promeruit, & licet non potuerit peccare, quoniam erat Deus homo, & fruebatur visione Dei, per quam, ut explicatum est cap. XIII. naturaliter amor erga ultimum finem determinatur, & sola remanet indifferentia relate ad media; tamen promeruerit reapse. Angeli ergo, qui nondum videbant Deum facie ad faciem in priori momento non solum mereri poterant, sed etiam culpam & nequitiam contrahere. Neque audiendi sunt, qui ajunt Christum meruisse duntaxat post primum instans; hæc enim responsio apertissime falsa est, & adversatur Magistro sent. in 3. dist. 18. Divo Thomæ 3. p. q. XXXIV. art. 3. Theologis fere omnibus: auctoritati Sanctorum Patrum, præsertim Gregorii Magni, & Augustini apud Magistrum, ac D. Thomam loco nuper laudato: rationi etiam apertissimæ, quoniam nisi Christus meruit in primo instanti, potuit juxta animæ meritum proficere, quod erroneum est, & Patribus adversatur. Tamen Thomistæ docent non eamdem esse rationem de potestate merendi, ac peccandi; quod, inquiunt, liberum arbitrium ad bonum se habeat naturaliter, ad malum vero præter naturam: & rursus, quidquid est in merito, est à Deo, quidquid est in peccato, à libero duntaxat arbitrio: sed ut hæc vera sint, ratiocinationis nostræ vis non infringitur. Nam quamvis meritum sit à Deo, requiritur tamen ut liberum arbitrium, dum meretur, agat indifferenter, habeatque liberam ad utrumlibet potestatem: si ergo in primo creationis momento liberum arbitrium indifferenter se habet ad actum, ad quem potest se determinare per gratiam, in eoque momento mereri; poterit etiam indifferenter prorumpere in actum, ad quem potest voluntas suapte indole flecti, ideoque etiam peccare. Quod enim præcedat in Angelis voluntatis nequitiam gratia, sanctitas, & rectitudo naturæ; efficit tantum, ut Angelus peccare nequeat in primo instanti operationis angelicæ, quæ tamen sine temporis mora perfici potest, aut dehonestari.

5. Solutio de voluntate Angelorum. Illud denique accedit, quod ad meritum, vel demeritum necesse non est, ut voluntas mora aliqua temporali suspensa maneat, deliberatura postmodum quid eligat, & prosequatur; sed sufficit, si velit & eligat cum indifferentia judicii, id est, cum potentia ad oppositum. Voluntas ergo Angelorum, quæ temporali mora ad eligendum non indigebat, statim ac producta est absque plenitudine beatitudinis & cum libera potestate convertit se ad laudandum & diligendum Creatorem suum, & libere meruit: quemadmodum voluntas dæmonum in delectationem sui flexa est, culpamque suscepit.

6. Propositio. De instantibus Angelicis. PROPOSITIO II. Si loquamur de instantibus Angelicis, sive de ordine, quo una cognitio præcedit alteram, & illuminatio mentis antevertit, causatque delectationem voluntatis, Angeli non potuerunt in primo instanti mereri aut demereri.

Probatio. Hanc thesim breviter demonstro. Ac primo S.P. Augustinus postquam lib. IV. de Genes. ad lit. cap. XXIX. dixerat in Angelis fuisse simul absque temporis intervallo *& diem, & vesperam, & mane*; proximo capite XXXI. ait, quod si loquamur de ordine præcedentium & sequentium causarum, *non fuerunt simul omnia & dies, & vespera, & mane, sed singillatim per ordinem.* Quem ordinem cap. 32. exponit, quod primo præcesserit ratio condendæ creaturæ, deinde Angeli in propria natura creati sunt, postea se in propria substantia noverunt; tum aliqui conversi sunt in Dei amorem & laudem, cæteris delectatione conditionis suæ tumescentibus. Igitur si de tali causarum ordine, & diversitate operationum verba faciamus; initio Angeli nullo merito operati sunt, neque operari potuerunt. Præterea antequam Angeli per liberum arbitrium in Dei amorem, vel in sui delectationem converterentur, præcessit causalitate & ordine creatio eorum substantiæ exornatæ rerum notitia, originali sanctitate, & gratiæ actualis auxilio; ad quæ omnia, priusquam voluntas angelica libera determinatione flectatur, *passive* se habet; quippe non potest bonum diligi nisi præcedat cognitio, neque cognitio ipsa, nisi præexistat res cognoscenda: Ergo in illo priori momento creationis nulla fuit Angelis libere agendi facultas. Huc spectant etiam argumenta ex D. Thoma petita; id est, quod ad motum voluntatis debet præcedere apprehensio, ut ait q. VIII. art. 4. & quòd non potest liberum arbitrium in unam vel alteram partem flecti, nisi ab aliquo exteriori principio moveatur, ut docet in 1. 2. q. 109. art. 2. &c. In primo ergo instanti angelico, quod est apprehensio, & motus voluntatis ad bonum in communi, in quod trahitur naturaliter, Angelus non poterat aliquid promereri; licet necessaria ei non fuerit temporis vicissitudo, ut de apprehensione ad amorem, & de

motione ad bonum universaliter ad præeligendum particulare bonum defluëret. Vide Aegidium in 11. Dist. 3. p. 1. q. 1. art. 2. & 3.

7. De instantibus Angelicis.

Ex quibus constat pluribus instantibus angelicis cœlestium spirituum salutem ac perditionem esse confectam, & hæc plura instantia respondere unico temporis nostri momento. Atque primum instans est creationis, quo omnes Angeli *lux* facti sunt, id est conditi cum participatione lucis æternæ ut possent beate & sapienter vivere, cum justitia & sanctitate, & cum actu bonæ voluntatis, & adjutorio eam præmovente ad bonum in communi. Alterum instans est meriti, in quo Angeli Sancti per actum deliberatum liberi arbitrii adhæserunt summo bono in Deum ex præcedente notitia & motione laudem charitatemque referentes, mali vero superbia inflati absque relatione ad Creatorem propria delectatione capti sunt. Postremum instans est retributionis, in quo illi majorem acceperunt abundantiam charitatis & beatitudinis plenitudinem, & isti in sempiternam miseriam ceciderunt. Hinc S. Thomas q. 62. art. 5. docet Angelos post primum actum charitatis, quo beatitudinem meruerunt, statim fuisse beatos, & in resp. ad 2. ait: *instantia diversa in his, quæ ad Angelos pertinent non accipiuntur, nisi secundum successionem in ipsorum actibus.* Quæst. etiam 63. art. 6. docet Angelum peccasse *post primum instans suæ creationis.* Hæc eadem instantia paucis immutatis enumerat Scotus, atque in his *omnes jam pene recentiores conveniunt*, inquit tract. 1. disp. 111. art. 1. q. 3. Claudius Frassen.

Quorundam argumentorum refutatio.

8. Objicitur contra 1.

Adversus 1. Proposit. videtur obstare, quod si in Primo instanti temporis Angeli peccassent, eorum nequitia foret Deo tribuenda; prima enim operatio, quæ simul incipit cum esse rei, est illi ab agente à quo habet esse, ut inquit S. Thomas cit. art. 5. q. 63. Sequeretur etiam eodem momento fuisse simul in Angelis cognitionem *vespertinam* qua viderunt in propria natura res creatas, & *matutinam* qua se converterunt in Deum; quod perinde est, ac si dicamus extare simul lucem ac tenebras, sive diem noctemque. Falsum præterea esset quod scribit Anselmus cap. 13. de casu Diaboli, primam voluntatem non esse nisi à Deo.

Respondeo hæc statutæ à me positioni nihil officere. Ad primum enim respondeo peccatum Angelorum non esse Deo tribuendum, quoniam à Deo omnes Angeli creati sunt recti, & cum gratia, qua poterant, si voluissent, perseverare: ideoque nequitia debet refundi in solum eorum arbitrium, quod sine ulla temporali mora potuit flecti ad utrumlibet; tametsi ordine causalitatis creatio præcedat illuminationem mentis angelicæ, illuminatio vero voluntatis affectum. Quod adeo verum est, ut S. Pater XI. de Civit. Dei cap. XIV. loquens de ordine præcedentium & sequentium causarum ait: *Et illud quod ab initio diabolus peccat, non ab initio ex quo creatus est, peccare putandus est, sed ab initio peccati, quod ab ipsius superbia cœperit esse peccatum:* quippe ante peccatum, quod naturale non est, præcedit natura, quam etiam *in extremis infimisque bestiolis* Deus constituit; & consequenter *initium ejus figmentum est Domini.* Sed de initio temporis, quod motu corporalium metimur, idem Augustinus lib. XI. super Genes. cap. 23. inquit: *Quod putatur nunquam Diabolus in veritate stetisse, nunquam cum Angelis beatam duxisse vitam, sed ab ipso suæ conditionis initio cecidisse, non sic accipiendum est, ut non propria voluntate depravatus, sed malus à bono Deo creatus putetur; alioquin non ab initio cecidisse diceretur: neque enim cecidit, si talis est factus. Sed factus continuo se à luce veritatis avertit superbia tumidus, & propriæ potestatis delectatione corruptus: unde beatæ atque angelicæ vitæ dulcedinem non gustavit. Quam non utique fastidivit acceptam, sed nolendo accipere deseruit, & amisit.* Habet similia præcedenti cap. XVI. En quomodo absque ulla temporis mora initio cecidit. Ad alterum vero, ex dictis liquet inter cognitionem *vespertinam* & *matutinam* non temporalem moram interfluxisse, sed ordinem naturæ & causalitatis duntaxat; quod animadvertit etiam Guilel. Estius magni nominis Theologus lib. 2. dist. 3. §. 11. Quod ait Anselmus pariter verum est; nam priusquam creata voluntas per liberam determinationem eligat bonum aliquod particulare, est ab auctore naturæ determinata ad bonum in communi, & hæc determinatio illam ordine causalitatis, at non semper temporis successione, antevertit. Præclare itaque Anselmus primum *velle* Deo tribuendum esse affirmavit.

9. Solutio.

10. Objectio 2. contra 2.

Adversum alteram thesim facit primo, quod Aug. XI. de Civit. Dei cap. 13. dispu-

disputans contra Manichæos de origine malæ voluntatis ait non sentire cum illis hæreticis, quisquis asserat Diabolum ab initio peccare, hoc est, ex quo creatus est justitiam recusavisse. Potuit ergo Angelus in 1. instanti operationis suæ demereri, nec tamen culpa foret Creatori imputanda. Deinde si ad meritum, ut dictum est, non requiritur suspensio actus, sed sufficit potestas ad oppositum: eccur prima angelica operatio, cum tali potestate conjuncta, effici non potuit cum merito? Ad extremum primus actus, quem in nobis excitat efficax gratia Christi, meritorius est; & cum sit vitalis à voluntate interius se movente progreditur. Hujus generis eccur non fuit operatio prior Angelorum?

II. Resolutio. Resp. neque his cuniculis firmatam à nobis sententiam concuti, sed muniri validius. Jure enim Augustinus scribit non sentire cum Manichæis, quisquis asserat diabolum ab initio propria voluntate cecidisse, quod enim malum est, & voluntarium, non est naturale sed liberum; & ipsa mala voluntas cum sit à libero arbitrio, *grande testimonium est naturæ bonæ.* Sentiret tamen cum Manichæis qui assereret apprehensionem, & inclinationem, cum qua Deus naturam angelicam condidit, & quæ liberam voluntatis deliberationem antevertit, fuisse naturaliter malam; hoc enim est facere dæmonem natura malum, non voluntate. Non sunt ergo ad anxias morarum inquisitiones trahenda verba Augustini: sed hoc tantum tenendum asseveranter, naturam bonam præcessisse ante malam voluntatem. Ita meritum non antegreditur necessario anceps suspensaque consultatio: antevertit tamen apprehensio, & inclinatio ad bonum in communi ordine saltem causalitatis; quoniam cognitio *matutina* per quam Angelus convertit se ad laudandum diligendumque incommutabile bonum, subsequitur ad *vespertinam*, per quam in propria natura res creatas agnovit. Actus æque prior, quo fulti victrici adjutorio commeremus, deliberatus est, fitque cum potestate ad utrumlibet: sed actum deliberatum antecedit ordine efficientiæ gratia actualis, quæ est actus indeliberatus mentis & voluntatis, scilicet sancta cogitatio, & inspiratio dilectionis. Ita ergo actum deliberatum Angelorum præcessit aliqua cogitatio & inspiratio, non temporis successione, sed ordine causalitatis: eaque cogitatio & inspiratio est primum instans angelicum; aut, si mavis, sunt duo instantia actibus mentis, & voluntatis distincta.

CAPUT XVI.

Quis fuerit desertorum Angelorum princeps: in quo deliquerint: quo sint post culpam detrusi.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. Probatur, satanam fuisse cæteris spiritibus nobiliorem.
3. & 4. Solvitur objectio.
5. Ostenditur, Angelos apostatâsse per superbiam.
6. & 7. Defenditur, non omnes dæmones in abyssum dejectos, sed multos in aëriis regionibus relictos fuisse.
8. 9 & 10. Diluuntur contraria.
11. & 12. Resolvitur, quænam fuerit malorum Angelorum superbia.

Quis fuerit malorum Angelorum Princeps. SEQUITUR, ut de malorum Angelorum peccato differamus: quorum Coryphæum *Satanam* dicunt, vel *Diabolum.* Satan vox hebræorum est derivata à שטן, & adversarium, hostemque significat: unde III. Regum XI. 14. Adad Idumæus dicitur in Codice hebraico שָׂטָן לשלמה *Satan Salomoni:* Et Petro obsistenti Christo, ne ad crucem properaret, dictum est Mat. XVI. 23. *Vade post me Satana.* Διάβολος græcum nomen est, à διαβάλλω, *traduco, calumniam infero.* Atque hoc vocabulo designatur erga homines livor & invidentia, & quæ hinc ortum habent, mendacium, homicidium, & cohortatio ad malum: quare Pharisæi invidi, & morti Christi inhiantes Joan. VIII 44. esse dicuntur ex *patre Diabolo*: & cap. VI. 71. *Diabolus* appellatur Judas Iscariotes, & quisquis innocentibus malum struit. *Dæmonis* appellatio communior est, significatque, ut dixi cap. XII. not. 8. *scientem & Divinum*, & hoc nomen accitum est à δαίω, *scio.* Quapropter, nisi sermonis usus vetaret, in pretio & honore posset haberi, ut olim apud Græcos vulgare erat, τίμα τὸ δαιμονιον, *Deum cole:* at post

post Evangelium dignum est Dæmones tantum appellare nequissimos illos spiritus divinitatis æmulatores.

1. Quæritur Princeps. Horum spirituum quærimus primo Ducem ac principem; ignoratur enim, & tamen disputatur, quis fuerit dux & columen cæterorum. Deinceps agendum est de perpetrato ab his crimine; quod alii dixerunt stuprum illatum fœminis, alii invidentiam, superbiam alii; & multi multa commenti sunt. Videndum postea, an statim post culpam dæmones in abyssum relegati fuerint, an adhuc plures per aerem vagentur.

2. Propositio. I. Fuit satanas. Probatur. PROPOSITIO I. Verisimile est Satanam fuisse cæteris spiritibus nobiliorem. Apud Ezech. enim cap. XXVIII. 2. Satan princeps Tyri appellatur; quod ut concedamus literaliter accipiendum esse de Ithobalo, aut alio Tyriorum Rege divitiarum copia, præsidiisque urbium potentissimo; designat nihilominus etiam desertorem Diabolum, qui cæteros Angelos decore & ordine antecellebat. Tertullianus enim lib. 2. adversus Marcionem cap. 10. scribit Satanam Tyriorum principi comparatum, *quia erat eminentissimus Angelorum, & Archangelus omnium sapientissimus.* Ac videntur in hanc sententiam PP. conspirare. Nam Gregorius lib. Moralium IV. cap. 13. ait: *Apostata Angelus, qui ita conditus fuerat, ut Angelorum cæteris legionibus emineret, superbiendo succubuit.* Bernardus etiam serm. de Adv. *Superbia* (inquit) *non modo Angelum, sed Angelorum principem in Diabolum commutavit.* Atque Auctor Comment. quæ Hieronymi nomen præferunt in Psalm. 23. habet: *Diabolus novem ordines Angelorum sub sua habuit dominatione sive bonos, sive malos.*

3. Objectio. Posset opponi, quod in eodem cap. 28. Ezech. v. 14. Diabolus vocatur *Cherub*: sunt autem Cherubim inferiores Seraphimis: & S. P. Augustinus lib. II. de Gen. ad lit. cap. XVII. videtur distinguere duo Angelorum genera, unum supercælestium; alterum aereorum ac mundanorum, quibus tantum Satan præesset.

4. Responsio. At respondeo juxta regulam septimam Tichonii apud Augustinum cap. 37. libri III. de Doctrina Christiana, in Scripturis, quæ sunt de Diabolo, qui est caput impiorum, & simul de membris ejus, non omnia verba capiti necessario congruere: quod S. Pater demonstrat ex Prophetia Isaiæ cap. XIV. quæ est de rege Babyloniæ ac de Satana, in qua plura sunt in contextu sermonis, quæ diabolo nequeunt aptari. Itaque verba Ezech. quæ simul de Rege Tyri & de dæmone sunt intelligenda, non omnia utrique conveniunt. Rex ergo Tyri est *Cherub extentus* sive, ut hebræus legit כרוב ממשח, *Cherub unctus*, scilicet, *Princeps illustris*: & כרוב, quoniam, ut Cherubim arcam obtegebant, Tyrorum fines munierat: ממשח, quia reges omnes & magnates ita appellabantur. Non autem oportet etiam Satanam *Cherub* dicere: quamquam si dicatur hoc sensu, ipsius potius demonstratur dignitas, quam inferior conditio. Inspecta quoque significatione verborum *Seraph* ardorem significat; perditque Diabolus sortem Seraphim, quia in amore casto, & bona voluntate non stetit. In II. de Gen. ad lit. cap. XVII. Augustinus aliorum narrat opinationem, de qua proximo cap. XIX. inquit: *Sed asserunt hæc duo genera bonorum angelorum qui potuerint, unum supercælestium, in quibus nunquam fuit, qui cadendo diabolus factus est; alterum autem mundanorum, in quibus fuit: mihi autem fateor unde hoc secundum Scripturas asseram, non interim occurrit.*

5. Propositio 2. PROPOSITIO II. Peccaverunt angeli apostatæ superbia, ductaque à magnitudine animi contumacia.

Probatur Angelos malos peccâsse superbia & contumacia. Id Scriptura, PP. & promiscua argumentatio suadent. Primo Tob. IV. 14. legitur: *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Apud Isaiam XIV. 11. *Detracta est ad inferos superbia tua.* Vicesimo octavo Ezech. 17. *Elevatum est cor tuum in decore tuo.* Et in 1. ad Timoth. III. 6. *Ne in superbiam elatus in judicium incidat Diaboli;* id est, in pœnam, quam ob superbiam Lucifer pendit. Deinde hæc est SS. Patrum traditio. S. P. Augustinus XI. de Gen. ad lit. cap. 23. *Continuo*, inquit, *se à luce veritatis avertit superbia tumidus.* Et XXII contra Faustum cap. 87. *In veritate non stetit, sed à luce sua superna, quam de Deo habebat, superbiæ merito abscissus est.* Athan. in Orat. de Virg. *Superbia ipsum in inferiores abyssi partes præcipitavit.* Cyrillus lib. 2. in Isaiam: *Cecidit tumida & turgida cogitans, & honorem ac gloriam soli summæ naturæ congruentem rapere cupiens, quantum molimine & vi & animo poterat.* Vide Propos. præcedentem. Suppetit etiam triplex ratio. I. quia elevare cor suum, & proprio fastu tumescere est arrogantiæ, & fastidii argumentum: & diabolum inflati animi contumacia deliquisse, constat ex dictis. II. quoniam superbia nihil est aliud, quam

quam inordinatus propriæ excellentiæ amor. At angelum hoc inordinato amore corruisse aperte evincitur: quisquis enim peccat avertit se ab incommutabili bono, vertitque ad aliquod creatum & mutabile. Angelus vero non convertit se ad res corporeas, quarum delectatione non capitur, sed ad semetipsum; ideoque peccavit prava propriæ potestatis delectatione: unde S. P. XII. de Civ. Dei cap. 6. ait: *Ab illo qui summe est, aversi ad se ipsos conversi sunt, qui non summe sunt; & hoc vitium quid aliud quam superbia nuncupatur?* III. Ut Damascenus scribit lib. II. cap. 3. ad nullum peccatum pronior est spiritus, quam ad superbiam: quamvis enim possint in eo inveniri invidia, malevolentia, aliaque plura; hæc tamen amorem proprium consequuntur; quum E. G. memini soleat quis invidere, nisi propriæ potestatis ita afficiatur amore, ut nullum sibi dignitate compatiatur æqualem: ut infra in resp. ad 2.

6. Propositio 3. multi dæmones in aeriis regionibus versantur.

PROPOSITIO III. Non omnes dæmones in abyssum dejecti sunt, sed permulti in aeriis regionibus adhuc versantur.

Quibusdam videtur omnem angelorum malorum multitudinem in tartarea loca fuisse relegatam, ibique in vincula conjectam; propterea quod in II. Petri cap. v. 4. indiscriminatim scriptum sit: *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*, & in Epist. Judæ v. 6. *Angelos, qui non servaverunt suum principatum . . . . vinculis æternis sub caligine reservavit.* Vera tamen est præmissa conclusio, scribente Apostolo ad Ephes. VI. 12. nobis colluctationem esse *adversus mundi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Quæ verba exponens Hieronymus inquit: *Hæc omnium Doctorum opinio est, quod aer iste, qui cœlum, & terram medium dividens inane appellatur, plenus sit contrariis fortitudinibus.* Dixerat Apostolus cap. II. ejusd. Epist. 2. dæmonem esse *principem potestatis aeris hujus.* Etiam Lucæ VIII. 31. dæmonia Christum *rogabant ne imperaret illis ut in abyssum irent.* Quippe noverant posse cum aliis ante judicii diem per aerem volitare. Assentiuntur huic sententiæ auctore Hieronymo nuper laudato Doctores omnes. I. Patres, Tertullianus cap. 22. Apolog. Lactantius lib. I. cap. 6. Chrysostomus hom. II. in epist. I. ad Thessalonic. Fulgentius lib. I. de Trinit. cap. 8. Rupert. in I. Commentariorum in Genes. cap. 17. &c. Quid Augustinus? ut mittam loca alia permulta, scribit ille in VIII. de Civit. Dei cap. 22. *esse spiritus nocendi cupidissimos à justitia penitus alienos, superbia tumidos, invidentia lividos, fallacia callidos, qui in hoc quidem aere habitant.* II. Assentiuntur Hebræi quorum est vetustissima traditio in libro Aboth expressa, & in libro, qui inscribitur, *Cedrus Libani*, nec non in altero, qui dicitur מנחה חרשה apud Grotium tom. 3. p. 887. III. Etiam Philosophi, præsertim Platonici, qui frequenter dixerunt δαίμονας ἠεροφοίτας *dæmones in aere oberrantes*, &, δαίμονες ἀέριον γένος, *dæmones genus aereum.* Denique etiam Poetæ, qui *in hoc aere totam illam inferiorum Deorum fabulam constituerunt, Proserpinam, Summanum, Ditem, & Manes, & furias:* inquit Vives Comment. in cit. cap. 22. de Civit. Dei.

7. Nomen inferni accipitur pro aere.

Erit ergo in epist. 2. Petri, & in Canon. Judæ nomen inferni, & caliginis accipiendum pro aere, qui comparate ad cœlum aut splendidissimam ætherem merito dicitur tartarus, abyssus, infernus. Ita enim declarant Patres, Augustinus in Psalm. 149. Gregorius lib. XIII. Moral. cap. XVII. & Beda in epist. II. Petri cap. II. Aut dicas, omnes quidem Angelos statim ac peccaverunt fuisse in infernum detrusos, ibique sempiternis suppliciis esse mulctandos: occulto tamen Dei judicio factum esse, ut Satan inde exiret, ut Evam Adamque tentaret, ac post horum transgressionem datum quoque plurium dæmoniorum turmis illinc erumpere, & per aerem vagari, ut Adæ posteri peccati effecta sentirent, gererent se humiliter & demisse, luctam haberent cum adversario nequissimo, ab eoque interdum vexarentur, donec expletis Christianæ Fidei triumphis in profundum dejectus penitus vagandi & nocendi potestate privetur.

QUÆ FACIUNT CONTRA PROPOSITIONEM SECUNDAM.

8. Objectiones solvuntur.

Nullius, aut saltem parvi negotii erit contrarias repellere objectiones: quarum prima est, colligi ex cap. 6. Genes. v. 2. *Videntes filii Dei filias hominum &c.* Quod prima Angelorum iniquitas fuerit cum mulieribus concubitus; ita enim textum exponunt Clem. Alex. lib. I. Pedagogi cap. 2. Athenagoras legatione pro Christianis, Tert. in lib. de Idololatria, Joseph etiam Hebræus in I. Origen. cap. 4. Lactantius,

Methodius, &c. Verum hujus loci legitimam dedimus explicationem cap. 11. ad 1. Interim ut concedamus dæmones incubos, quos Silvanos, Faunos, & Dusios nuncupant, improbos mulieribus extitisse & cum illis peregisse concubitum, ut asseverare videtur S. Pater xv. de Civit. Dei cap. 23; certum est Angelos primum hoc peccato labi non potuisse. Peccatum enim Angelorum antevertit culpam Adæ; quippe legitur Sap. 11. 24. *Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum*: atque apud Augustinum ibidem: *qui primum hominem per invidiam serpentina fraude decepit.* At Adam non cognovit uxorem suam nisi post lapsum; ideoque Angelorum peccatum omnem generationem filiarum hominum antecedit.

9. Objectio 2. Præterea non desunt qui existiment primum Angelorum flagitium fuisse invidiam: pro qua opinatione proferri possunt apertissima testimonia Irenæi lib. IV. cap. 78. Cypriani in libro de Zelo & Livore, Gregorii Nysseni Catach. 6, necnon Augustini in 4. de Baptismo contra Donatistas, & tract. v. in Joannem. Sed respondet Idem S. P. lib. XI. de Civ. Dei cap. 14. *Cum superbia sit amor excellentiæ propriæ, invidia vero sit odium felicitatis alienæ, quod inde nascatur satis in promptu est. Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus invidet quia ei coæquantur, vel inferioribus ne sibi coæquentur, vel superioribus quod eis non coæquetur. Superbiendo igitur invidus, non invidendo quisque superbus est.* Oppositæ ergo auctoritates ita sunt exponendæ, ut, quoniam invidentia est primogenita filia superbiæ, & superbus non potest esse non invidus, statim ac diabolus sui delectatione inflatus est, cœpit invidere Deo summum honorem & cultum, cæterisque spiritualibus creaturis justitiæ meritique ornamenta; atque ita ex elatione superbiæ etiam invidia contabuit.

10. Objectio 3. Scoti. Tertia argumentatio est Scoti, ejusque assectatorum, quibus placet diaboli crimen appellare *spiritualem luxuriam.* Inquiunt enim: diligere semetipsum aut alium inordinato amore amicitiæ est unum specie scelus; at amare hoc pacto alterum luxuries est & libido, non contumacia superbiæ. Addunt superbum esse, qui se super alios extollit: Angelum vero non appetiviisse sui eminentiam comparate ad alios, sed absolute fuisse excellentia præstantiaque sua delectatum. Quæ opinio, præter catachresin, & abusionem verborum communi etiam judicio repellitur. Immodica enim effrænisque delectatio est ratio communis cuique peccato, & ex diversitate objectorum varias nequitiæ species constituit; ut si fuerit delectatio cibi vel potus, fiat crimen edacitatis & gutturis: si appetitus laudis, ambitio; si aliorum adversitatis atque infortunii, malevolentia; si propriæ potestatis ac magnitudinis, superbia. Non est ergo luxuries delectatio & amor cupiditatis tantummodo, sed oblectatio de re venerea & turpi carnis voluptate: nisi propinquis verbis abutamur, ut quando dicimus *in ubertate luxuriam*, aut *luxuriam in herbis.* Neque requiritur ad superbiam comparatio ad alterum; cum aliquando quis superbiat sese bonum existimando, aut dum jactat collatum sibi pro meritis donum aliquod: qui duo sunt primi actus superborum, ut scribit Gregorius capite quarto libri Moralium tertii ac vicesimi. Sita est ergo superbia in immodica & irrationali propriæ præstantiæ oblectatione; & velle præesse aliis hujusmodi oblectamentum, tanquam effectus causam, insequitur.

11. Quæ superbia malorum Angelorum. Quæres quænam fuerit hæc malorum Angelorum superbia.

Resp. multa quidem & varia esse doctissimorum virorum responsa. Nam quidam asserunt cum Scoto, Vasquesio, aliisque, in hoc superbiam Diaboli sitam esse, quod concupierit esse Deo similem, non absolute, quippe optime noverat se plurimum à Dei majestate distare, neque posse ad illam pertingere, sed conditionate, videlicet, si id foret aliquo modo possibile. Guilelmus Parisiensis, & Gregorius de Valentia inquiunt noluisse Diabolum Deo subjici quantum ad ministeria exercenda, sed esse sui juris, neque communi Angelorum lege teneri: quod affirmare videtur etiam S. P. Aug. in Psalmum 70. Gregorius lib. 34. Moral. cap. 13. & Anselmus de Casu Diaboli cap. 4. Theologorum permulti cum D. Thoma q. 63. art. 3. & Ægidio in 11. dist. 5. q. 1. art. 2. docent, avertisse se à beatitudine supernaturali, dum naturalibus viribus voluit eam adipisci: quo sensu Ambrosius ait in Ps. 118. *Ipse sibi ad beatam vitam sufficere voluit.* Contendunt quidam in hoc deliquisse, quod naturalem beatitudinem ad finem ultimum, nempe Deum, noluerit referre, ut Cajetanus, Ferrarienſis, & alii ex Thomistis. Villalpandus in cap. 28. Ezech. censet affectasse dæmonem Divinos honores, & Angelorum latriam, qud fieri potest etiam à creatura, quæ se Deum non esse, sed à Deo productam agnoscit; quo scelere infe-

Responsio.

infecti sunt Reges Babylonis, & Tyri, nec non Alexander Macedo, Antoninus Verus, Domitianus, & alii. Ego hæc omnia sic approbo, ut Diabolus superbia tumidus propriæ potestatis delectatione corruptus fuerit, ut inquit S. P. lib. XI. de Genes. ad lit. cap. 23. neque ex propriæ naturæ contemplatione surrexerit ad amandum & laudandum creatorem suum, sicut fecerunt Angeli Sancti, ut legitur in XI. de Civit. Dei cap. 7 : atque ita dæmones ultimum finem in se ipsis collocavisse *per elationem, qua ipsi sibi ad beatam vitam sufficere vellent*, quemadmodum habetur in cap. 1. libri XXII. ejusdem Operis. Hinc comes illa superbiæ super cæteros inflatio, & nimia illa divinorum honorum cupiditas, qua etiamnum cor Satanæ mirifice tangitur.

Hoc etiamnum pacto intelligitur, quomodo peccare potuerit, cum esset particeps lucis & sapientiæ : quandoquidem videndo se in propria natura per cognitionem, quam dicimus *vespertinam*, non utique erravit; sed ut assurgeret in laudem & amorem Creatoris caruit propria voluntate judicio practico, ad quod indifferens erat ob rationem prolatam capite XIII.

CAPUT XVII.

De æterno igne, qui Diabolo & Angelis ejus paratus est.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
à num. 2. usque ad 5. Probatur, ignem, quo dæmones, & damnati torquentur, fore æternum.
à num. 6. usque 18. Enervantur objectiones.
à num. 19. usque ad 22. Propugnatur, inferni ignem esse materialem, & corporeum.
à num. 23. usque ad 33. Solvuntur oppugnationes.

1. De igne æterno.

PECCATO finitima pœna est: eique dæmones addicti sunt, expulsi à regno Cœlorum, privati gratia, & inferorum igne damnati. De hoc igne disputari solet an sit materialis & corporeus, & an futurus sit sempiternus. Et hæc quidem postrema quæstio dogma Catholicum est certissimaque fide tenendum adversus Origenem, qui, ut scribunt Epiph. in Epist. ad Joan. Jerosolymitanum, & Hieronymus Epist. 55. ad Pammachium, negavit pœnas dæmonum esse æternas. Altera autem quæstio de Igne corporeo, si à gehennæ & inferorum loco præscindas, communis quidem est inter Romanæ communionis Catholicos, & excepto Catharino vix aliquem invenies qui defendat oppositam, imo & ex Novatoribus quidam in eamdem nobiscum sententiam conspirant, repugnantibus tamen quamplurimis; sed videtur nullum de hac extare decretum.

Notandum. Dixi autem, *Si à gehennæ & inferorum loco præscindas:* hunc enim adversus Calvinum, Bezam, & nuperos Unitarios materialem esse firmiter credendum est. De hujus infra terram incolatu tractat in Psalm. II. Hilarius, Tertullianus lib. de Anima cap. 55. & quamquam definire locum Inferni noluerint veterum aliqui, & nonnulli extra hunc mundum statuerint; *Infernum sub terra esse nemo jam ambigit*, inquit in Epistolam ad Ephesios cap. 14. Hieronymus. Augustinus vero, qui in lib. XII. de Gen ad lit. cap. 32. anceps videtur, & in eam opinationem propendet, quod inferorum substantia spiritalis sit, non corporalis, in II. libro Retract. cap. 24. *De inferis*, inquit, *magis mihi videor docere debuisse, quod sub terris sint, quam rationem reddere cur sub terris esse credantur, sive dicantur, quasi non ita sit.* Et quidem cap. XI. Matth. 23. Capharnao dictum accipimus, *Usque in infernum descendes:* quod dictum etiam de Babylone apud Esaiam XIV. 15. non solum ad significandam urbium & murorum eversionem, sed etiam civium interitum atque pœnam. In Apocalypsi quoque in abyssum detrudendum serpentem antiquum, qui est Diabolus & Satanas, & una cum eo mittendos in stagnum ignis quotquot scripti non erunt in libro vitæ, legimus cap. XX. v. 2. & 14. Atque ne loca omnia producam, Paulus ad Philipp. II. 10. scribens, *In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum*, aperte indicat triplicem animarum locum in cœlis, in terra, & in inferis. Nolumus idcirco de hac re dubitare: Sed his paucis præmissis, quæ ad refellendum Calvinianum errorem possunt sufficere, priores illas quæstiones, nimirum de æternitate, & qualitate infernalis ignis aggredimur.

2. Propositio I. ignis infernalis est æternus.

PROPOSITIO I. Perpetuus atque æternus erit ignis, quo dæmones & damnati torquentur.

Probatur ex S. Scriptura.

Origeniſtarum error ex Platonicis hauſtus, ut ſcribit in lib. XXI. de Civit. Dei cap. 13. S. P. Auguſtinus, quamquam Plato in fine Gorgiæ, & Virgilius etiam in 6. Aeneid. non omnium omnino iniquorum ad temporalem emendationem pœnas poſt mortem duraturas eſſe pronunciant; ſed ille ſceleſtioribus ſempiternas infligi, is infelicem Theſeum aſſerit ſedere, æternumque ſedere: Origeniſtarum, inquam, error ſacris literis, Patrum auctoritate, ac ſyllogismis, id eſt, ductis à ratione argumentis convellitur. Ex Scripturis hæ ſunt apertiſſimæ: Iſaiæ LXVI. 24. *Ignis eorum non extinguetur.* Danielis XII. 2. *Et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, & alii in opprobrium ut videant ſemper.* Quo in loco legunt hebræi quidam, עוֹלָם לִדְרָאוֹן *ad opprobrium ſempiternum,* & Græci εἰς ὀνειδισμὸν ϗ αἰσχύνην αἰώνιον, *in convitium, æternumque pudorem.* Matthæi XXV. 41. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum,* & infra 46. *Et ibunt hi in ſupplicium æternum.* Lucæ XVI. 26. *Chaos magnum inter nos, & vos firmatum eſt: ut hi qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare.* Eo pertinent teſtimonia, quibus aſſeritur improbos nunquam fore cœleſti regno potituros; ut Marci III. 29. *Qui blaſphemaverit in Spiritum Sanctum non habebit remiſſionem in æternum:* Pauli in 1. ad Corinth. 6. 9. & 10. *iniqui regnum Dei non poſſidebunt:* Et 2. ad Theſſalon. 1. 9. *Pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini.* Apocalypſis denique XX. 10. *Cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum.*

3. Eliſio reſponſi origeniſtarum.

Hæc ſimul conjuncta elidunt reſponſum Origeniſtarum autumantium ſupplicium damnatorum dici æternum quod diu, non autem ſemper duraturum ſit. Quod ſane ineptum eſt, mentitum, dictisque repugnans. Principio enim licet tam hebraicum עוֹלָם, quam græcum vocabulum τὸ αἰὼν, pro ſæculo, pro mundo, & pro diuturna duratione nonnunquam accipiantur: αἰώνιον tamen nonniſi pro æternitate, ſive nunquam deſitura ſucceſſione deſuper uſurpatur: unde Auguſtinus contra Priſcillian. cap. 5. ait: *Αἰὼν autem græce aliquando æternum, aliquando ſæculum ſignificat: tamen quod ex hoc nomine derivatur, & appellatur αἰώνιον, nec ipſi græci quantum exiſtimo ſolent intelligere, niſi id quod non habet finem.* Præterea ita ignis inferni æternus dicitur, ut extingui non debeat, apud Eſaiam 66. 24. unde Auguſtinus ibidem cap. 6. ait: *Qualiscunque pœna ſignificata ſit nomine vermis, atque ignis; certe ſi non morietur, neque extinguetur, ſine fine prædicta eſt.* Rurſus tam capite III. Danielis, quam XXV. Matthæi ex æquo dicitur æternum opprobrium ac ſupplicum impiorum, & æterna vita bonorum: hanc vero finem habituram eſſe non credunt Origeniſtæ. Ad hæc: ſi finis miſerrimi apud inferos incolatus expectari poſſet quodammodo; haberetur tandem omnium peccatorum remiſſio, & poſſet Epulo ad ſortem Lazari tranſmeare; quod cæteris teſtimoniis evincitur eſſe contrarium. Denique in XX. Apocalypſeos dicuntur improbi cruciandi *in ſæcula ſæculorum.* At neminem latet hanc Latinorum emphaſim, quemadmodum Græcorum εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Hebræorumque מֵעוֹלָם עַד־עוֹלָם terminum exitumque prorſus excludere: ut animadvertit S. Pater lib. XXI. de Civ. Dei cap. 23. Quod vero alii reponunt ignem quidem futurum æternum, at non æternum ſupplicium, iisdem momentis retunditur; præſertim cum Matthæi XXV. v. 41. & 46. ſimilis occurrat repetitio vocis αἰώνιον, ſicut & in XII. capite Danielis. Ut ergo erit æterna requies Sanctorum, & æternus ignis inferni; ita æternus erit cruciatus impiorum, æterna combuſtio, æternumque ſupplicium. Præclare Auguſtinus de Fide & Operibus cap. 15. *Neque illud dici hic poterit, in quo nonnulli ſe ipſos ſeducunt, ignem æternum dictum, non ipſam combuſtionem æternam; cum & hoc prævidens Dominus ſententiam ſuam concluſit dicens ſic, Ibunt illi in combuſtionem æternam, juſti autem in vitam æternam. Erit ergo combuſtio æterna ſicut ignis.* Atque de Civit. Dei loco nuper laudato: *Si utrumque æternum, profecto aut utrumque cum fine diuturnum, aut utrumque ſine fine perpetuum debet intelligi. Par pari enim relata ſunt: hinc ſupplicium æternum, inde vita æterna. Dicere autem in hoc uno eodemque ſenſu, vita æterna ſine fine erit, ſupplicium æternum finem habebit; multum abſurdum eſt.*

Cum Auguſtino eadem cæteri Eccleſiæ PP. tradiderunt. Chryſoſtomus hom. 2. de Lazaro, Epiphanius hæreſi 59. contra Catharos, & Auctor QQ. ad Orthodox. q. 60. docent improborum animas non poſſe poſt exitum quicquam emolumenti per-

4. Probatur 3. ex Patribus.

percipere. Cyprianus Tractatu 1. ad Demetrianum 22. ſcribit: *Quando iſtinc exceſſum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus eſt, nullus ſatisfactionis effectus.* Habet conſimilia lib. de Bono Mortis cap. 2. Ambroſius. Tertulliani, Minutii, & Lactantii profert inſignia teſtimonia etiam H. Gortius tom. 2. p. 240. Gregorius Nazianz. in Carm. de rebus ſuis ait: *Poſt hanc vitam omnia eſſe vinculis adamantinis alligata.* Hieronymus in caput Matthæi quintum ac viceſimum hæc graviter, ſane, & probe conſcribit: *Prudens lector adverte, quod & ſupplicia æterna ſint, & vita perpetua metum deinceps non habeat minarum.* Greg. Magnus lib. XXIV. Moral. cap. 16. totus in hoc argumento verſatur. Quid me in ſylvam abſtrudo? *Firmiſſime tene, & nullatenus dubites iniquos omnes ituros in combuſtionem æternam*, inquit Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 43. & Symbolum Athanaſianum: *Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui vero mala, in ignem æternum.*

5. Probatur. 3. ex S. Aug.

Hujus vero dogmatis quintæ generalis Synodi, & earum, quæ conſecutæ ſunt, auctoritate definiti, cum etiam ratiocinationes poſſint afferri, ex Auguſtini libris aliquas mutuabor. Sit prima: Qui ſuper fundamentum, quod eſt Chriſti fides, ædificaverit *aurum, argentum, & lapides pretioſos*, ut inquit Apoſt. ad Corinth. epiſt. 1. cap. III. 14. *mercedem accipiet.* Si autem ſuperædificaverit *fœnum, ligna, ſtipulam*, id eſt cum fide, quæ per dilectionem operatur, quodam carnali præpeditus affectu deliquerit venialiter, *ſalvus erit per ignem*, ſive in hac vita per tolerantiam tribulationum, ſive in altera per ignem Purgatorii: qui vero fundamentum non habuerit, ſcilicet, fidem & dilectionem, atque *homicidium, adulterium, fornicationem, idololatriam, & ſimilia quæque commiſerit, non propter fundamentum per ignem ſalvabitur, ſed amiſſo fundamento æterno igne torquebitur:* ait S. P. Auguſtinus in libro Quæſt. ad Dulcit. cap. 1. Apoſtolicam ſententiam egregie pertractans. Illi ergo, qui hæc flagitia patrarunt, nec veraciter pœnitentiam egerunt, ſalutis fundamentum deperdunt, ſera & infructuoſa pœnitentia atque dolore inutili afficiuntur, neque emundari poſſunt per ignem, quo ſalvatur duntaxat quisquis ſuper fundamentum ædificat *ligna, fœnum, & ſtipulam.* At everſo, dirutoque fundamento ſalutis, concepta inutili cum deſperatione pœnitudine, & premente cruciatu ignis, qui non purgat aurum, non emundat lateres Jeruſalem, ſed Babylonem incendit, ac præterea nullo ſuperna gratiæ lumine coruſcante, & creatura rationali in termino conſtituta, ſtultiſſime non ſempiternum creditur inferorum ſupplicium. Alterum argumentum depromitur ex lib. XXI. de Civ. Dei cap. 23. & 24. In extremo enim Judicio hæc pro juſtis ſententia eſt: *Venite, percipite regnum*, in impios vero hæc alia, *diſcedite, ite in ignem æternum:* eaque lata *ibunt hi in ſupplicium æternum, illi autem in vitam æternam.* Sed utraque ſententia vera eſt, utraque extrema, utraque definit absque termino juſtis, reprobisque mercedem, vel pœnam: Ergo ſempiternum erit regnum electorum, & ſempiternum pariter damnatorum ſupplicium. Audias Auguſtinum cit. cap. 23. *An forte Dei ſententia, quæ in malos & angelos & homines proferetur, in angelos vera erit, in homines falſa? Ita plane hoc erit, ſi non quod Deus dixit, ſed quod ſuſpicantur homines, plus valebit. Deinde quale eſt æternum ſupplicium pro igne diuturni temporis non extimare, & vitam æternam credere ſine fine, cum Chriſtus in eodem ipſo loco, in una eademque ſententia utrumque complexus ſit: Ibunt iſti in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam?* Et proximo capite: *Cum dictum fuerit à judice vivorum atque mortuorum, Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi: & aliis e contrario, Diſcedite à me maledicti in ignem æternum: nimiæ præſumptionis eſt dicere, cuiquam eorum æternum ſupplicium non futurum, &c.* Vide & lib. ad Oroſium adverſus Priſcillianiſtas, & Origeniſtas cap. VI. His accedit, quod ſicut vera beatitudo non conſiſtit absque æternitate; ſive, ut etiam Cicero ſcribit de Natura Deorum, ſine animi ſecuritate: ita non eſſet damnatorum plena miſeria, ſi aliqua eis foret ſummi boni, cum magna pœna ſupplicioque, expectatio. De quo argumento vide Auguſtinum in XI. de Civit. Dei cap. XI.

Eorum, quæ objectantur, diſſolutio.

Objiciuntur adverſus Catholicam veritatem plura Scripturarum Divinarum teſtimonia, quæ ad tres claſſes reducenda videntur. I. Quædam ſunt, quibus Deus gratiam & gloriam pollicitus eſt fidelibus manducantibus corpus ſuum, & eleemoſynam largientibus. De fidelibus enim legimus in 1. ad Corinth. cap.

6. Objectiones tres.

cap. 3. salvos futuros, *sic tamen quasi per ignem :* Et Marci ultimo 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* De accedentibus ad Sacramentum Dominici Corporis habetur Joan. VI. 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam.* Et de stipem erogantibus constat ex eadem Judicis sententia Matth. XXV. v. 35. his regnum à constitutione mundi fuisse paratum : & cap. XIX. 21. *Da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* Hi ergo aliquando inferorum teterrimis subtrahendi erunt suppliciis. II. In altera classe locari possunt, quæ impiis pœnam parem delectationi, quæ transiit, minitantur, ut Apocalypseos XVIII. 7. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Eam ob rem cruciabuntur in inferis impii, *donec novissimum minutum reddant*, ait Lucas cap. XII. 59. atque *pro mensura peccati erit & plagarum modus*, ut habetur Deuteron. XXV. 2. Sed reddito novissimo quadrante debet cessare cruciamentum. In tertia sede locari possunt quæ maximam Dei misericordiam contestantur, ut Psalm. LXXVI. 8. 9. 10. *Nunquid in æternum projiciet Deus aut non apponet, ut complacitior sit adhuc ? Aut in finem misericordiam suam abscindet à generatione in generationem ? Aut obliviscetur misereri Deus ? aut continebit in ira sua misericordias suas ?* Et Psalm. CLX. 9. *Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur.*

7. Solutio. 1. Data opera hæc omnia expendit Augustinus in libro XXI. de Civit. Dei, in libro de VIII. Dulcitii quæstionibus, & in lib. ad Orosium contra Priscillianistas. Itaque eo duce ac Magistro ita prioris classis momenta expediuntur. Apostolus in I. ad Corinth. loquitur de iis, qui super fundamentum ædificant *fœnum & stipulam*, non de his, qui fundamentum amittunt, ut supra explicavi, & melius percipies si legeris q. I. Dulcitii, & cap. 26. laudati libri de Civit. Dei, & de fide & operibus cap. XIV. *Quid proderit, ait Jacobus, fratres mei, si fidem dicat se quis habere, opera autem non habeat ? Nunquid poterit fides salvare eum ? Dicit etiam, Quia fides sine operibus mortua est. Quousque ergo falluntur qui de fide mortua sibi vitam æternam pollicentur ? .... Falsa erunt illa, quæ obscuritatem, & ambiguitatem non habent : Si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum ?* Hæc, aliaque lectu dignissima Sanctus Pater. Ille ergo salvus erit, qui crediderit & baptizatus fuerit, ac præterea impleverit quod scriptum est Matth. XIX. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Qui autem manducant carnem filii hominis habent vitam æternam ; dummodo sint in ejus corporis unitate, id est, in Christianorum compage membrorum, & maneant in Christo & in corpore ejus, quod vivit in æternum per charitatem & gratiam ; unde manducare corpus Christi non tribuit vitam hæreticis, qui sunt ab unitate & compage membrorum separati, neque fidelibus, qui licet sint in unitate corporis, non manent in illo. Vide cap. XXV memorati libri de Civit. Dei. Eleemosyna pariter salvabit impium, *si prius eam facere incipiat à seipso. Indignum est enim, ut in se non faciat, qui facit in proximum, cum audiat dicentem Dominum, Diliges proximum tuum tanquam teipsum : itemque audiat, Miserere animæ tuæ placens Deo.* Inquit cap. 27. S. Pater.

8. Solutio. 2. Producta secundo loco solvuntur capite ejusdem libri XI. quippe *non propter æquale temporis spatium, sed propter vicissitudinem mali, id est, ut qui mala fecerit, mala patiatur*, est inter culpam, ac pœnam mensura. Alias injusta foret lex, quæ propter osculum fœminæ infixum jubet ad horam vapulare, punitque diuturno dolore suavitatem voluptatis exiguæ. Injusta, quæ ad vincula damnat servum, qui transeunte verbo Dominum lacessivit. Injusta, quæ pro gravi crimine brevi momento patrato hominem morte mulctat, eumque à societate viventium perpetuo divellit. Quæ exempla illic Augustinus fusiori stylo persequitur. Neque vero ipse Origenes temporis cum scelere mensuram potest exigere ; dum angelos pro uno actu superbiæ plurium sæculorum intervallo puniri fatetur. Est præterea in damnatis obstinata in malo voluntas ; atque dum actu peccarunt, optassent illicitæ voluptatis perpetuitatem. Habet ergo sempiternum supplicium etiam mensuram temporis comparate ad cupiditatem voluptatis præteritæ, & ad præsentis inflexibilitatem malitiæ. Neque obest versus 59. cap. XII. Lucæ ; primo enim hunc, & alium consimilem Matth. v. 26. rectissime possumus accipere de igne Purgatorio : deinde si concedamus dictum de infernali, respondebimus particulam *donec* interdum æquivalere adverbio *nunquam*, ut Genes. VIII. 7. *Corvus non revertebatur, donec siccarentur aquæ :* Et Matth. I. 25. *Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.*

Nam

Nam pro summo atque infinito debito ad ultimum quadrantem reddere, est res impossibilis. *Ad nummum solvere*, inquit etiam Cicero Epist. ultima ad Att. pro eo, quod est satisfacere pro summo jure.

9. Solutio 3. Quæ dicta sunt de magna Dei misericordia locum habent in his, qui resipiscunt, in pœnis quæ in hac vita infliguntur, & in vasis misericordiæ, non iræ, & vindictæ, *Omnium itaque misereretur vasorum misericordiæ. Quid est omnium? Et eorum scilicet quos ex gentibus, & eorum quos ex Judæis prædestinavit, vocavit, justificavit, glorificavit, non omnium hominum, sed istorum omnium neminem damnaturus.* Ait Augustinus cap. 24. ejusdem libri.

10. Objectio 1. ex S. Hieronymo. Objiciuntur deinde complura veterum Patrum testimonia, qui rationalem animam mortalem dixere, eamque putarunt in inferorum cruciatibus interire. Sed nullus est inter Ecclesiæ Patres, cujus auctoritate magis novi Origeniani in contentionem veniant, quam beati Hieronymi. Ex hoc maximo, præclarissimoque Doctore plura depromunt. Afferunt primo illius Commentaria in cap. 66. Isaiæ, ubi exponens ea verba: *Ignis eorum non extinguetur*, ait: *Porro qui volunt supplicia aliquando finiri, & licet post multa tempora, tamen terminum habere tormenta, his utuntur testimoniis, Cum intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus fiet: & iterum, Conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnium misereatur: & rursum, Benedicam te Domine quoniam iratus es mihi, avertisti faciem tuam à me, & misertus es mei: & Dominus ad peccatorem, Cum ira furoris mei fuerit, rursus sanabo; & hoc est, quod in alio loco dicitur, Quam magna multitudo bonitatis tuæ, Domine timentibus te, &c.* Ex quibus constat Hieronymum recitare, & non refellere, imo pluribus Scripturarum textibus confirmare Origenistarum opinionem. Lege tom III. novæ Paris. edit. pag. 514. Adverte etiam S. Doctorem hæc commentaria edidisse jam provectum ætate, adeptumque maturæ senectutis scientiam, ut in Præfat. demonstrat eruditus P. Jo. Martianæus. In hujus argumenti confirmationem accedunt quæ scribit in Epistolam ad Galatas to. IV. pag. 295. *Nullam rationabilium creaturarum apud Deum perire in perpetuum.*

11. Objectio 2. Possunt secundo loco produci ea loca, in quibus Hieronymus affirmat saltem animas omnium fidelium, & Christianorum aliquando ab inferni cruciatibus liberandas: in qua opinione illum perstitisse contendit Stanislaus Pannonius Anabaptista. Atque id ex duplici Hieronymi testimonio videtur evinci. Extat primum lib. XVIII. super Isaiam post recitata verba: *Sicut Diaboli, & omnium negatorum, atque impiorum, qui dixerunt in corde suo non est Deus, credimus æterna tormenta; sic peccatorum ac impiorum, & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt atque purganda, moderatam arbitramur, & mixtam clementiæ sententiam judicis.* Testimonium alterum atque illud apertissimum habetur in I. adversus Pelagianos dialogo, ubi non ex Origenis sententia, sed ex propria inquit: *Si autem Origenes omnes rationales creaturas dicit non esse perdendas, & Diabolo tribuit pœnitentiam; quid ad nos, qui & Diabolum & satellites ejus omnesque impios & prævaricatores dicimus perire perpetuo: & Christianos, si in peccato præventi fuerint, salvandos esse post pœnas?* Itaque saltem Christiani sempiternis gehennæ tormentis non cruciabuntur.

12. Objectio 3. Alia sunt, quæ ex Comment. in caput I. Nahum opponi possunt, etiam præcedentibus duriora. Docet ibi Hieronymus, probatque ex verbis Prophetæ versu 9. *Non consurget duplex tribulatio*, salutem fuisse consecutos etiam habitatores Sodomæ & Gomorrhæ, qui temporalia supplicia fuerunt perpessi. *Quod si vobis* (inquit) *videtur Deus crudelis, rigidus, & cruentus quod in diluvio genus delevit humanum: super Sodomam & Gomorrham ignem & sulphurem pluit: Ægyptios submersit fluctibus: Israelitarum cadavera prostravit in eremo; scitote ideo ad præsens reddidisse supplicium, ne in æternum puniret.* Addit fidelem, *si deprehensus in adulterio decolletur*, æternos evadere cruciatus: ac de omni peccatore concludit, *Si quis autem punitus sit, ut ille in lege, qui Israeliticis maledixerat, & qui in sabbato ligna collegerat, tales postea non puniri; quia culpa levis præsenti supplicio compensata est.* Sempiternæ itaque non erunt pœnæ damnatorum, si aut fidem servarunt, aut puniti fuerunt supplicio aliquo temporali.

13. Responsio ad 1. Resp. nihil adversus Catholicum dogma evincere sententias PP. qui aut animas dixere mortales, aut inferni pœnas mortem atque interitum appellaverunt. Quo enim sensu anima mortalis dicatur, exposui supra capite III. Mors autem & interitus appellatur pœna gehennæ etiam in sacris literis ubi dicitur sem-

sempiterna; ut liquet ex prima hujus thesis demonstratione, idque per oppositionem ad felicitatem Sanctorum, quæ ob Dei consortium dicitur *vita æterna*. In his ergo non opus est immorari. Veniamus itaque ad Hieronymum. Is quidem Comment. in Esaiam sententiam Origenis recitat, nec refellit; sed illam alibi impugnat, atque hic sequitur consuetudinem suam plura aliorum placita etiam erronea propriæ aliorumque Catholicorum sententiæ permiscendi. Nec refert quod producat aliquos scripturarum textus, qui confirmare videntur errorem Origenis. Nam tota illa Orationis complexio ad verbum reperitur in Origene ipso to. 11. hom. 9. super Matthæum; ideoque recitatur à Hieronymo, non probatur. Omnia vero, quæ Origenes ex scripturis deprompsit, adducta supra Augustini interpretatione expunguntur. Idem dicendum de Comment. in Epist. ad Galatas præsertim cum post verba, quæ opponuntur, adjecerit: *Hucusque Origenes.* Hæc respondent Doctores Scholastici, necnon Sixtus Senensis lib. IV. Bib. S. v. *Hieronymus*, Vellosillus Adv. in v. tomum ejusdem Hieronymi q. 3. ac summa eruditione noster Alphonsus Mendoza in Controversiis Theologicis quæst. 1. de numero Prædestinatorum.

14. Confirmatio responsionis.

Nititur hæc responsio apertissimæ D. Hieronymi in Apologia 1. ad Ruf. protestationi. Cum enim illi Rufinus objecisset, quod circa inferni cruciatus Origenianis adhæreret erroribus, respondet S. Doctor cap. 4. *Ego in Commentariis ad Ephesios sic Origenem, & Didymum, & Apollinarium secutus sum, qui certe contraria inter se habent dogmata, ut fidei meæ non amitterem veritatem*, additque censendum non esse reum, *qui in uno opere quod edisserit expositiones posuerit plurimorum.* Habet similia de suis super Epistolam ad Galatas Commentariis, in Epistola ad S. P. Augustinum XI. nunc LXXV. num. 4. Et revera quid tradat Hieronymus ubi proprio loquitur sensu apparet ex ejus verbis super cap. XXV. Matth. tom. 4. pag. 124. de quibus supra. Accedit Sancti Doctoris præclara sententia in cap. III. Jonæ, ubi adversus illos, qui asserebant Diabolum in die Judicii pœnitentiam acturum, ideoque illius figuram fuisse expressam in Rege Ninive, & in Nabuchodonosor, *Sed hoc*, inquit, *quia sacra Scriptura non dicit, & evertit penitus timorem Dei, dum facile homines labuntur ad vitia, putantes etiam Diabolum, qui auctor malorum est, & omnium peccatorum fons, acta pœnitentia posse salvari, de nostris mentibus abjiciamus. Et sciamus peccatores in Evangelio mitti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus: de his dici, Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Et post pauca: *Si omnes rationabiles creaturæ æquales sunt, & vel ex virtutibus, vel ex vitiis sponte propria aut sursum eriguntur, aut in ima merguntur; & longos post circuitus, atque infinitis sæculis restitutio fiet, quæ distantia erit inter virginem, & prostibulum? quæ differentia inter Matrem Domini, & quod dictu quoque scelus est, victimas libidinum publicarum? Idem Apostoli, & Dæmones? Idem Prophetæ, & Pseudoprophetæ? Idem Martyres, & persecutores? Finge quod libet, annos & tempora duplica, & infinitas ætates congere; si finis omnium similis est, præteritum omne pro nihilo est: quia non quærimus quid aliquando fuerimus, sed quid semper futuri simus.* Ex Hieronymi itaque protestatione, & tam expressa de perpetuis gehennæ cruciatibus sententia manifestum est alibi Origenianam hæresim retulisse, non approbasse.

15. Responsio ad 2.

Quod secundo loco opponebatur, diluitur hac responsione. Dum ait Hieronymus pœnas fidelium aliquando finiri, accipiendus est de fidelibus, qui cum solo venialium peccatorum reatu decesserunt, ut animadvertit citato loco Mendoza. Atque in Commentariis ad Esaiam videtur aperta S. Doctoris sententia, dum loquitur de peccatoribus Christianis, *quorum opera in igne probanda sunt, atque purganda.* In Dialogo etiam contra Pelagianos, cum aperte scribat *omnes prævaricatores perire perpetuo*, docet Christianos salvandos esse post pœnas, nisi *prævaricatores* fuerint, & reatu graviorum criminum inquinati. Licet hæc sufficiant pro solutione argumenti; ad retundendam Hæreticorum in carpendis Sanctorum Patrum traditionibus intemperantiam atque impudentiam, paucis Hieronymianæ sententiæ vim, gravitatemque demonstro. Cum Pelagius assereret posse hominem propriis viribus vitare omne prorsus peccatum, illud etiam opinabatur consequi ex omni peccato in hoc sæculo non remisso sempiternam animarum damnationem. Hinc in Palestina Synodo, & in libello exhibito adversus eumdem Pelagium sancto Episcopo Eulogio accusatus est, quod hanc propositionem protulerit, *In die judicii impiis & peccatoribus non esse parcendum, & æternis eos ignibus exurendos.* Verum callidus

Hære-

Hæreticus respondit hoc se dixisse secundum Evangelium, ubi de peccatoribus legitur, *Ibunt in supplicium æternum;* atque ita damnatus non est à Christianis judicibus, *his absentibus, qui libellum contra Pelagium dederunt, & quando nullus urgebat, ut peccatores per ignem salvandos à peccatoribus æterno supplicio puniendis distingueret;* ut refert S. P. Augustinus de Gestis Pelagii cap. III. num. 9. Ea igitur propositio. *In die judicii iniquis & peccatoribus non parcendum, sed æternis eos ignibus exurendos*, alioquin Catholica & Evangelica, in ore Pelagianorum non distinguentium inter peccata & peccata, blasphema est, atque Hæretica. Ergo Hieronymus adversus Pelagianos disputans dum ait *Christianos, si in peccato præventi fuerint, salvandos esse post pœnas*, loquitur de peccato veniali tantummodo. Atque id etiam ex verbis Hieronymi comprobatur. Principio enim ponit in ore Critobuli referentis personam Pelagii illam propositionem: *In die judicii iniquis & peccatoribus non parcendum*, iisdem omnino vocabulis, quibus expressa est in Synodo Palestina: quod sat est, ut quisque percipiat Hieronymum sensa Pelagiana insectari. Deinde distinguit inter peccatorem & impium, affirmans non omnem peccatorem impium esse; & impietatem, cui sempiterna pœna respondet, *ad eos pertinere qui notitiam Dei non habent, vel cognitam transgressione mutarunt.* Affirmat deinceps iniquitatem & peccatum recipere sanitatem, sed ea adhibita cautione, *pro qualitate vitiorum.* Addit, quod si vera est Pelagiana sententia, *solus salvabitur qui nunquam fuit, nec est, sed futurus est, & forsitan nec futurus;* quia scilicet perpauci sunt, vel nulli, qui sine aliqua veniali culpa decedant. Addit tandem verba, quæ nobis opponuntur, *Si autem Origenes &c.* quibus affirmans *impios & prævaricatores perire perpetuo, & Christianos, si in peccato præventi fuerint, salvandos esse post pœnas*, exponendus est de Christianis, qui præventi sunt in culpa levi, nec Dei notitiam gravi *transgressione mutarunt.*

16. Responsio ad 3. Quæ objiciuntur ex Comment. in primum caput Nahum, si aliquid probarent, probarent neminem eorum damnari, qui temporalia supplicia subierunt, etiamsi scelestissimi, quales fuerunt habitatores Sodomæ, & Gomorrhæ, ideoque ad præsentem quæstionem non attinent. Respondemus tamen breviter, eo loci impugnare Hieronymum errorem Marcionis affirmantis Deum auctorem legis crudelem esse, & iterum sumere de peccatis supplicium. Falsum id S. Doctor demonstrat, quoniam Deus peccatoribus pœnas irrogat temporales, ne puniat in æternum; si tamen à Deo in hoc sæculo puniti agant scelerum suorum pœnitentiam. Nam si moriantur impœnitentes, non tam commissa flagitia, quam ipsa impœnitentia, & voluntaria obduratio suppliciis punitur sempiternis. Nec aliter possunt intelligi verba Hieronymi scribentis in caput I. Sophoniæ: *Certe in finem mundi, & in consummatione lugebunt qui suum baptisma non servaverunt; lugebunt qui non egerunt pro peccatis dignam pœnitentiam.*

17. Objectio ultima. Objiciunt præterea, in die judicii Sanctorum intercessione Deum esse placandum: & Sanctos tunc pro miseris oraturos facile suadetur. *Si enim* (inquiunt Origeniani apud Augustinum citato libro de Civit. Dei cap. 18.) *orabant pro illis, quando eos patiebantur inimicos, quanto magis quando videbunt humiles, supplicesque prostratos? Neque enim credendum est, tunc amissuros Sanctos viscera misericordiæ, &c.* Quod si Sancti pro reprobis intercedant, profecto quod rogaturi sunt, impetrabunt. Nam historiæ tradunt precibus Magni Gregorii Trajani animam ab inferis revocatam, & Falconillam sine lavacro & fide sepultam ab inferis Theclæ orationibus fuisse servatam. Plura sunt in libris Metaphrastæ istiusmodi: necnon Historiographi nostrates scribunt Nicolai Tolentinatis intercessione defuncti patruelis spiritum incendia gehennæ evasisse.

18. Solutio. Augustinus autem recte sapienterque cap. 24. respondet, Ecclesiam *nunc propterea pro eis orare, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus est pœnitentiæ fructuosæ.* Ubi ergo pœnitentiæ locus non erit, neque orabunt Sancti; de quibus ait Psalm. XXI. 7. *Pro impietate peccati mei orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno.* Hac de causa fit; *ut nunc Ecclesia non oret pro malis angelis*, inquit eo loco Augustinus. Quod de Falconilla & Trajano quidam scripserunt decepti, ut arbitror, Pseudosermone Damasceni pro defunctis, est inter aniles fabulas rejiciendum. Trajanum quippe etiam puerorum deliciis captum, auctoribus Dione, Spartiano, & Suetonio, nec inter minores Deos ad convivium admittendum censuit Julianus, nisi prius in custodiam tradito Ganymede. Jactatum igitur de Trajano com-

commentum cordati quique refellunt, & ad ludibrium Ecclesiæ in vulgus dispersum queritur Cl. Annalium Parens ad annum 100. n. 17. & ad annum 604. num. 30. Acta quoque Sanctorum, maxime quæ collegit Metaphrastes, judicio eruditorum virorum sunt à pluribus quisquiliis purganda. Quod autem de Ordinis nostri Divo, & Ecclesiæ Patrono Nicolao narratum est, si quæ consimilia leguntur, aut in historiis antiqua credulitate inserta sunt, aut eorum, qui à gehenna liberati dicuntur, fuit à summo Judice sententia suspensa, ut Sanctorum precibus, quibus certo credimus prædestinationem nostram juvari, aliquibus ad vitam revocatis pœnitendi gratia sit data, aliquibus vero in extremis laborantibus vehemens peccatorum contritio: atque hoc modo patratum à Nicolao miraculum scribit in gestorum ejus Narratione §. IX. pius ac disertus Orator Aegidius Crapols Bononiensis. Cæterum in Inferno nullam redemptionem esse sacra nos docent eloquia; fuitque Origenianis sapientior qui scripsit in Ibin.

Nec mortis pœnas mors altera finiet hujus,
Horaque erit tantis ultima nulla malis.

Sed de priori quæstione hactenus.

19. Propositio 2 ignis inferni est materialis & corporeus.

Propositio II. Exploratum theorema est, non tamen ad fidem spectans, inferni ignem materialem esse & corporeum.

Probatur 1. ex Scriptura.

Sunt theorematis partes duæ: quarum priorem initio Scripturarum locis firmabo. Hujusmodi sunt: Deuter. XXXII. 22. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima.* Eccli XXI. 10. *Consummatio illorum flamma ignis.* Esaiæ XXXIII. 14. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis.* Matth. XXV. 41. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & angelis ejus.* 2. Petri III. 7. *Igni reservati in diem judicii, & perditionis impiorum hominum.* Appellatur etiam infernus Matth. V. 22. *Gehenna ignis.* Apocalyp. XX. 15. *Stagnum ignis.* Ps. XX. 10. *Clibanum ignis:* ut sexcenta istiusmodi missa faciam.

20. Probatur 2. Theologice.

Ex quibus hæ Theologicæ rationes depromuntur. Recepta est ab omnibus regula, Scripturarum verba, quæ ubique cohærent invicem, eademque phrasi non solum in propheticis, verum etiam in historicis libris efferuntur, nisi cum aliis pugnent, esse proprie ac literaliter accipienda; servatis tamen regulis aliis, quas tradit in III. de Doctrina Christ. S. P. Aug. cap. X. & seqq. Cum ergo omnes ferme Divinæ literæ ignem in inferis ardere testentur, neque alicubi offendatur oppositum, idque perhibeant etiam historicæ narrrationes; quis, nisi velit ad eludenda & extorquenda oracula quæque Divina latissimam viam sternere, asserere audeat infernalem ignem tropice & figurate enunciari? Deinde quis, nisi forte quærat patrocinia peccandi, Judicem postremam sententiam coram universa justorum, impiorumque multitudine pronunciantem, metaphoris uti crediderit; præsertim cum in hujus sententiæ complexu nullum sit vocabulum, nullus apex, in quo non appareat plana, accomoda, gravisque locutio? Ulterius eodem igne dæmones, & damnatorum corpora fore concremanda, ex eadem Christi sententia colligitur: ignem vero corpora comburentem, quisnam negat esse corporeum? Tandem quid opus erat infernum comparare gehennæ, id est Valli Hinnom, & Topheth, ubi idolo Moloch pueri incendebantur, ut ait cap. VII. 31. Jeremias; & vocabulo *gehennæ* addere alterum *ignis*, ut fieret hypallages & phrasis hebraica; quæ, ut acute notavit Erasmus, significat *gehennam incendium, gehennam ardentem?*

21. Probatur 3.

Negari ergo non potest in inferis verum ac proprium esse ignem tortorem spirituum, ac sensuum; qui, cum fuerint plurium delictorum instrumenta, æquum est, ut simul cum animabus excrucientur. Porro Patres ignem hunc materialem esse tradiderunt. Hieronymus enim epist. 59. Origenem arguit, quod ignem inferni metaphorica translatione explicaverit. Gregorius lib. IV. Moralium cap. 29. percunctanti Petro, num ipse infernalem ignem fateretur corporeum, respondet: *Ignem gehennæ corporeum esse non ambigo, in quo certum est corpora cruciari.* Atque ut alios prætermittam, S. P. Aug. posteaquam lib. XXI. de Civit. Dei cap. X. plura differuit, hæc demum pronuntiat: *At vero gehenna illa, quod etiam stagnum ignis & sulphuris dictum est, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum, aut & hominum & dæmonum, solida hominum, aerea dæmonum, aut tantum hominum corpora cum spiritibus, dæmones autem spiritus sine corporibus hærentes sumendo pœnam, non impertiendo vitam corporalibus ignibus. Unus quippe utrisque ignis erit, sicut veritas dixit.* De priori ergo thesis parte Ecclesiæ Doctores, sacræ literæ, & petita inde argumenta hoc constituunt.

Alte-

22. Probatur non esse de fide ignem inferni esse materialem.

Alteram partem certam mihi reddunt hæc tria. Primum, quod nulla extet de igne corporeo Ecclesiæ definitio scribunt Cl. Theologi, Vasquez disp. 243. cap. 1. Petavius lib. III. de Ang. cap. 5. L'Herminier Tom. 2. pag. 539, quamquam aliqui veritatem Catholicam esse tradant, ut Cardinalis Gotti Q. IX. de Angelis Dub. 3. At veritatem Catholicam non faciunt privati homines, neque numerus Theologorum exiguus. Alterum, quod in Florentino Concilio Græci, qui asserebant Purgatorii ignem materialem non esse, in Ecclesiæ communionem recepti sunt, neque tamen hic error in definitione fidei, quæ habetur sess. ult. damnatus est; cum illic sint Græcorum errores alii proscripti. Tertium, quod Catharinus secutus est sententiam, quam præter Origenem quidam Ecclesiæ Patres tenuerunt; inter quos beatissimus Ambrosius, qui eadem ferme Origenis verba mutuatus lib. VII. in Lucam cap. 14. ait: *Ergo neque corporalium stridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis est corporalis: sed hæc ideo, quia sicut ex multa cruditate, & febres nascuntur, & vermes; ita si quis non decoquat peccata sua, veluti quadam interposita sobrietate abstinentiæ, sed miscendo peccata peccatis tanquam cruditatem quamdam contrahat veterum, & recentium delictorum, igne aduretur proprio, & suis vermibus consumetur.* Itaque sententia Catharini licet minus probabilis altera, nequit absolute appellari damnata & hæretica: esset tamen, si, ut ignem, etiam reliqua ad inferos pertinentia, locum videlicet, atque æternitatem pœnarum negavisset.

Ad quædam in contrarium argumenta.

23. Objectio 1.

Contra priorem propositionis partem opp. 1. Esaias cap. LXVI. 24. de reprobis ac damnatis ait: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Atqui vermis spiritaliter & metaphorice accipitur pro syndereſi, & angore conscientiæ. Ergo etiam tropice, & figurate erit accipiendus ignis, & ardor.

24. Solutio.

Resp. 1. Posse negari minorem, nam etiam vermis literaliter ac proprie accipiendus videtur, tametsi etiam significet figurate aculeum, & vexationem conscientiæ. Habetur enim in Eccles. cap. VII. 19. *Vindicta carnis impii ignis, & vermis.* Et Judith. XVI. 21. *Dabit enim ignem & vermes in carnes eorum, ut urantur, & sentiant usque in sempiternum.* Quare S. Basilius in Psalmum 33. ait: *In inferno vermium innumerabilium genus venenosum, & carnivorum erit*: quod & alii plures asserunt apud Corn. à Lap. Comment. in hunc locum. Neque repugnat, quod alii permulti scribant vermis nomine significari malæ conscientiæ agitationem & stimulum: eadem enim Scripturæ verba sensum cum literalem, tum mysticum patiuntur. Respondeo secundo, non eamdem esse vermis, ignisque rationem. Ille quippe, cum sit animal vivens, excruciat corrodendo, & partes alienæ substantiæ discerptas vorando ac dilaniando: ideoque non est proprie vermis spirituum, qui divellendas partes non habent, neque corporum, quæ licet habeant modo, erunt tamen post resurrectionem incorruptibilia, neque distrahi poterunt, vel discerpi. De verme itaque sentias, ut lubet; at ignem firmiter corporalem esse teneto. *Eligat quisque quod placet, aut ignem tribuere corpori, animo vermem, hoc proprie, illud tropice: aut utrumque proprie corpori:* inquit S. Pater lib. XXI. de Civit. Dei cap. IX. exponens prædictum Eccli. *Vindicta carnis impii ignis, & vermis.*

25. Solutionis roboratio.

Ut autem argumenta istiusmodi, quæ varia esse possunt, E. G. *de aquis nivium*, quas commemorat Job. XXIV. 19. & de *stridore dentium*, in parabola Matth. XIII. 50, quibus utitur Catharinus, verbo uno exsufflentur; memini me cap. XVI. usum fuisse regula Tichonii; qua docemur in scripturis, quæ literaliter de uno, figurate de altero sunt accipiendæ, non omnia utrique pariter convenire; quam etiam regulam in parabolis tenendam esse neminem fugit. Ergo Esaias literaliter prænuntiat interitum eorum, qui in partibus fuerunt Antiochi, μυξιπως diem judicii, & illorum quidem vermes corpora insepulta vorarunt, & in oppidis incensis *ignis* usque ad consumptionem permansit. Quare necesse non est, ut etiam in damnatis tam *ignis*, quam *vermis* literaliter intelligantur; sed proprie accipitur solus *ignis*, quoniam de igne fit repetitio in Judicis sententia, quæ proprie, & historice pertinet ad damnatos. Atque hoc pacto quæ in Jobo, in Psalmis, & in variis Evangeliorum parabolis conscripta sunt, ad eamdem sententiam Judicis erunt exigenda, & quæ in illam apte & per omnia quadrabunt, transferri non poterunt ad Metaphoram.

26. Obiectio 2.

Secundo loco objiciuntur PP. auctoritates. Nam Hieronymus Comment. in Esaiam recitata opinione Origenis, nulla eam censoria virgula notat. Gregorius lib. xv. Moralium cap. 17. *Gehennæ ignis* inquit, *cum sit incorporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inextinguibilis.* Damasc. in fine libri IV. de Fide Orthodoxa docet *ignem æternum non materialem esse qualis est apud nos, sed qualem novit Deus.* Augustinus denique in XXI. de Civit. Dei cap. x. scribit posse congruenter responderi, *talem fuisse illam flammam*, in qua apud inferos dives ardebat, *quales oculi, quos levavit, & Lazarum vidit, qualis digitus Lazari, &c.* Quo testimonio nonnulli adversarii prægestiunt; & Vellosillus ait Augustinum efficaciam illorum verborum *Crucior in hac flamma* infirmare.

27. Solutio circa S. Gregorium.

Resp. autem Gregorii sententiam manifestam esse ex lib. IV. cap. 29. de quo supra: unde incorporeum dixit ignem inferni, quatenus non eget fomentis, neque per congesta ligna nutritur, ut colligitur ex recitatis ipsius verbis. Ac præterea probabile est in his legendum esse *cum sit corporeus*, ut habetur apud S. Thomam in IV. Sent. dist. 44. q. 3. Sixtum Senensem lib. IV. Bibliothecæ, Vellosillum in Advert. in tom. I. Gregorii quæst. VI. & Petavium lib. III. de Angelis cap. 5. Damascenus, quem inurbane scribit Durandus errasse, ait duntaxat non esse materialem qualis est noster, qui indiget pabulo, certisque proprietatibus ab infernali igne secernitur. Et Hieronymus refert quidem opinionem Origenis, at illam nequaquam approbat, ut vidimus supra.

28. Solutio circa S. Augustinum.

De verbis Augustini facit me honor Patris magis solicitum: & breviter demonstro, disertissime ab illo ignem inferni affirmari corporeum, & de verbis divitis *Crucior in hac flamma* concinnam, veram, & absolutam tradi interpretationem. Primum enim à cap. II. ejusdem libri usque ad IX. impugnat incredulos asserentes non posse damnatorum corpora in ustione ignis esse perpetua, exemplis quorumdam animalium, quæ vivunt in ignibus, ut salamandræ stellatum quoddam genus lacertæ, & adamantis aliarumque gemmarum, quæ neque igne, neque ferro teruntur, necnon vermium, qui stant sine ulla læsione in aquis per venas sulphureas defluentibus, quarum fervorem nemo impune contrectat; asseverans mirabilius esse vivere in ignibus nec dolere, quam dolere in ignibus & tamen vivere. At quorsum tam perpolita & exacta disputatio, quorsum allatæ comparationes, si non est in inferis ignis corporalis, quo corpora, qualia nunc sunt hominibus, quamprimum redigerentur in cinerem? Capite autem IX. *ignem* proprie accipiendum semel atque iterum declarat; cum de *verme* ob varia Doctorum placita sentire nobis permittat quod magis libet. In X. etiam, in quo explicat quomodo corporali igne spiritales dæmones adurentur, in principio & fine capitis animadvertit eumdem ignem corpora damnatorum, ac dæmones concremare. Quæstionem vero solvit juxta antiquorum Patrum diversas sententias, scilicet, quoniam aut dæmones aerea corpora habent, aut si non habent, poterunt *pœna corporalis ignis affligi*, quomodo *spiritus hominum & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insoluhiliter alligari.* Atque ita incredulis omnem evadendi aditum præcludit, sive corpora tribuant Angelis, sive non: de qua altera quæstione propterea ait non esse *contentiosa disputatione certandum*, cum, quidquid Origeniani sentiant, eorum error de spiritali igne, & hæresis de temporali damnatorum supplicio apertissime ex illis verbis, *Ite in ignem æternum*, refellatur. Ex qua prædictorum Capitum Synopsi arbitror satis apparere, quam scite & circumspecte Augustinus pro veritate, ac fide certaverit.

29. Solutio circa divitem Epulonem.

Circa narrationem divitis exclamantis, *Crucior in hac flamma* quidam putaverunt parabolam esse, non historiam; in qua sententia fuerunt Theophylactus, & Euthymius in Lucam, & Auctor quæstionum apud Athanasium quæst. 21. Alii historiam agnoscunt, ut Ambrosius, & Beda, & idem Augustinus Tractatu XXXIII. contra Faustum cap. v. Itaque hanc sententiam præponens in cap. x. laudato, ait: *Dicerem quidem sic arsuros sine ullo suo corpore spiritus, sicut ardebat apud Inferos ille dives, quando dicebat, Crucior in hac flamma.* Quod si dicamus, historiam, non parabolam esse credentes; non erit consequens flammam non esse veram corporeamque, ut corporalis non est lingua, digitus, manus: quoniam certissimum est partes corporis non posse enunciari de animabus atque spiritibus, nisi per metaphoram: ignis vero & flamma non describuntur ut partes ac membra divitis, sed ut locus,

in

in quo cruciatur; nec repugnat ſubſtantiam ſpiritalem eſſe violenter in loco corporeo, eique alligari. Quæ ut vera ſint, ſapientiſſimus Auguſtinus animadvertens quosdam Catholicos opinari, quod in cap. 6. Lucæ narratur, non hiſtoriam, ſed parabolam eſſe, aut, ſi hiſtoria eſt, viſionem ſaltem fuiſſe imaginariam, cum hæc quoque ſententia ſit probabilis, noluit propriam aliorum auctoritati præferre; ideoque è veſtigio addidit, *convenienter reſponderi, talem fuiſſe illam flammam, quales oculi, quos levavit, &c.* nimirum, non proprie viſum à divite Lazarum, ſed ecſtaſi quadam, ut ſunt viſa dormientium, in quibus res incorporales cernuntur habentes ſimilitudines corporum. At poſt hæc ad quæſtionem propoſitam reverſus, de ſententia Dominica, *Ite in ignem æternum*, perſpicue, & absque hæſitatione concludit: *At vero gehenna illa, quod etiam ſtagnum ignis & ſulphuris dictum eſt, corporeus ignis erit, &c.* Abeant ergo mali interpretes, rigidique Auguſtinianorum librorum cenſores.

30. Objectio quomodo ſpiritus igne corporali torqueantur, & an etiam in aere.

Facit denique adverſus nos, quod percipi nequeat quomodo ſpiritus igne corporali torqueantur, & quod in aere, ubi dæmonum turmæ diſcurrunt *ferant ſecum tormenta flammarum ſuarum*, ut inquit Gloſſa in cap. 3. Jacobi. Neque enim credibile eſt dæmones infernalem ignem ſecum deferre; ſi non volumus continua miracula perfici, dum mali ſpiritus circumſepti materialibus ignibus corpora omnia quantumvis concreta ac denſa pervadunt, dum regiones quas tranſmittunt minime incendunt, & dum viventium corporibus, in quibus commorantur, incendia facesque non inferunt.

31. Soluio circa ignem corporalem.

Contorta & difficilia ſunt hæc, nec uno modo à Scholaſticis diſſolvuntur. Quantum enim ad primum pertinet, ſunt qui putant dæmones ad ignis præſentiam ſola apprehenſione torqueri: aliqui confici affirmant per ſpeciem ex igne illis impreſſam: quidam arbitrantur elevari flammam, ut Divinæ juſtitiæ inſtrumentum, ad phyſicam in ſpiritus incorporeos efficientiam; nonnulli contendunt produci ab igne qualitatem ſpiritualem, quæ etiam dæmones & impiorum hominum animas ſupplicio mactat. Quarum ſententiarum primam ſectatur D. Bonaventura & Albertus Magnus: alteram Aegidius, & Okamus: tertiam recentiores quidam Thomiſtæ; quartam poſt Henricum Gandavenſem cum aliis Junioribus Suareſius. Verum his omiſſis, dico ſpirituales ſubſtantias cruciari igne corporeo per alligationem, quam invitæ patiuntur, & à qua digredi ſponte non valent. Ita namque videtur docere Auguſtinus citato capite x. his verbis: *Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi, ſi ſpiritus hominum etiam ipſi profecto incorporei & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari? Adhærebunt ergo, ſi eis nulla ſint corpora, ſpiritus dæmonum, imo ſpiritus dæmones, licet incorporei ignibus cruciandi, non ut ignes ipſi, quibus adhærebunt eorum junctura inſpirentur & animalia fiant, quæ conſtent ſpiritu & corpore, ſed, ut dixi, miris & ineffabilibus modis adhærendo accipientes ex ignibus pœnam, non dando ignibus vitam.* Et revera nulla ex præmiſſis ſententiis mihi plane ſatisfacit. Non prima, nam in ea non ſalvatur dæmones revera torqueri igne, cum tamen Scriptura teſtetur hunc Diabolo, & Angelis ejus fuiſſe paratum: quamquam vera & realia tormenta ſentiri poſſint etiam in malis imaginariis, quorum ſpecies gerimus, ut ſcripſerat idem Auguſtinus in XII. de Gen. ad lit. cap. 32. At jam inferni ignem imaginarium non eſſe, reddimur ex ipſomet Auguſtino certiores. Illorum autem opinio, qui cenſent immitti ab igne aliquam ſive ſpeciem, ſive qualitatem, eo titulo falſa eſt, quod ſi qualitatem dixerint ſpiritalem, hæc ab igne materiali proficiſci non poteſt; ſi corporalem ſenſibilemque, eadem de igne, ac de qualitate iſta emerget dubitatio. Sed & ignem cauſam eſſe inſtrumentalem juſtitiæ Dei, nullus inficias ibit: at elevationem, quam plures tutantur, non poterunt omnibus venditare. Reſpondebunt enim docti viri, nullam rem ut inſtrumentum ad aliquid efficiendum aſſumi, niſi habeat in illud ſuapte natura præviam aliquam operationem; quam nullam eſſe in igne materiali relate ad ſpiritus videtur ſatis manifeſtum. Et erunt forte, qui dicant ſe legiſſe apud S. Thomam in IV. contra Gentes cap. 90. hæc verba: *Subſtantiæ incorporeæ non habent naturam corporalem, ut poſſint à rebus corporeis immutari, neque etiam formarum ſenſibilium ſuſceptivæ ſunt, niſi intelligibiliter. Talis autem ſuſceptio non eſt pœnalis, &c.* Hoc vero teſtimonium non videtur quadrare quorumdam Thomiſtarum opinioni, qui cum Goneto diſput. XIV. de Ang. art. 2. §. 2. docent ita ignem eſſe Divinæ vindictæ inſtrumentum, ut efficiat *formam realem ad prædicamentum qualitatis pertinen-*

tinentem. Illam quippe qualitatem spiritus per D. Thomam corporaliter nequeunt suscipere, suscipiendo autem intelligibiliter nullo afficiuntur dolore. Ideo instrumentum est quidem ignis inferni justitiæ Dei, quatenus eidem spiritus alligantur, quod aliis rejectis opinationibus ibidem Thomas affirmat: sed hoc instrumento formam aliquam aut qualitatem supernaturaliter produci, quæ saltem sit causa effectrix pœnarum, pugnat cum allatis verbis Angelici Præceptoris. Nam si dicas formam illam ab igne productam esse intelligibilem, non corpoream: *talis susceptio* (inquit S. Doctor) *non est pœnalis.* Tenebo igitur Augustinianam de alligatione sententiam. Objicienti autem sequi ex hac, quod dæmon patiatur etiam ab aere, à glacie, & à quocunque alio corpore, cui sit intime præsens, respondebo falsam esse illationem, quoniam his corporibus non est violenter alligatus, ita, ut aliquando non possit alio divertere, quomodo devinctus est in tenebris exterioribus & in ardoribus sempiternis. Atque hæc de priori parte objectionis.

32. Sententia aliquorum rejicitur.

Quod ad alteram attinet; fuerunt, qui assererent dæmones, qui extra inferos degunt, nondum pati ignis cruciamenta, sed iis macerandos esse post diem judicii. Nitebantur hi Theologi quorumdam Patrum auctoritate, & ipsorum dæmonum testimonio, qui dum ab hominibus ejicerentur, Matthæi VIII. 29. clamaverunt: *Quid nobis, & tibi, Jesu Fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos?* Hanc vero sententiam damnatam non esse scribit Feuardentius in Scholiis ad Irenæum lib. v. cap. 26. & Petavius in III. de Angelis cap. IV. 21. eamque videtur tenuisse Cajetanus in Comment. ad 2. Epist. Petri. Econtra Bellarminus lib. de Sanctorum beatitudine cap. 6. ait, ab errore vindicari hanc opinionem non posse. Atque falsissima quidem & erronea à me judicatur, propterea quod Angelis Sanctis statim ac perseverarunt data est plenitudo beatitudinis; ideoque etiam Angelis malis inflicta est, nulla interposita mora, pœna peccati. Priorem ergo opinionem tenentibus respondeo post diem judicii dæmones in inferno acerbiori pœna esse plectendos, tum quia cum sint *nocendi cupidissimi*, ut ait Augustinus de Civit. Dei lib. VIII. cap. 22. non poterunt amplius humana corpora invadere, justisque insidias moliri: tum etiam, quod, cum illiciantur superstitiosis signis *herbarum, lignorum, animalium & rituum*, ut idem S. P. inquit lib. XXI. cap. VI. non recipient ulterius ab idololatris & maleficis honorem aliquem; sed erunt omnibus ludibrio & despectui: quod maximum supplicium est superborum. Quæ sane causa est, ut quidam ex PP. scripserint, nondum dæmones plecti supplicio, quo afficientur post diem judicii; atque ut expulsi ab hominibus clamorem illum profuderint: *Venisti huc ante tempus torquere nos.*

33. Dæmones extra infernum igne torquentur.

Ea itaque opinatione rejecta, dicendum est Dæmones quoque extra inferos igne torqueri, non quod illum perpetuo secum deferant, aut impressam sensibilem qualitatem disjuncti à flamma retineant, sed quoniam sciunt sibi alligationem ad ignem deberi; ut etiam docet Sanctus Thomas q. 64. art. 4. ad 3. non enim angor ac tristitia minuitur reo in vinculis, aut ergastulo diligentissime asservato, si ad tempus inde emittatur apparitoribus stipatus, & absque spe libertatis. Imo magis sentit squalorem carceris dum videt loci amplitudinem, quam in arctam, asperrimamque custodiam voluntario scelere commutavit. Neque minor est Sanctorum Angelorum lætitia & gaudium, quando animarum regnorumque tutelæ præsident, & cœlestis patriæ domicilium ad tempus relinquunt. Ergo sicut isti *semper vident in cœlis faciem Patris*, ut ait Evangelista cap. XVIII. 10. neque tamen secum trahunt materialem locum Empyrei; ita dæmones excruciantur in aere flamma infernali, tametsi non ferant extra gehennam ac tartarum ignes corporeos. Atque hæc de pœna æternarum flammarum,

Quas Pater, horrendi barathri per stagna profundi,
Dæmonis horrendi sociis, ipsique paravit;

inquit libro IV. Hist. Evangel. Juvencus Presbyter.

CA-

CAPUT XVIII.

De Sanctorum Angelorum, Dæmonumque Exercitibus.

SUMMARIUM.

1. Oſtenditur, in cæleſti Hierarchia novem eſſe ordines Angelorum.
2. & 3. Prædictos novem ordines in tres dividi Hierarchias aſſeritur.
4. & 5. Probatur, ſeraphinos probabilius non tenere ſupremum locum, & Angelos infimum.
6. Propugnatur, omnes Angelos cujuscunque ordinis à Deo mitti.
7. & 8. Defenditur, frivola eſſe ea, quæ de exercitibus Angelorum Thalmudiſtæ conſcripſerunt.

De Exercitibus Angelorum & dæmonum.

SANCTORUM ANGELORUM EXERCITUM appellant græco vocabulo Ἱεραρχίαν, *Hierarchiam*, id eſt, ſacrum principatum: quo nomine plurium ordines ad ſacra miniſteria obeunda diſpoſiti ſignificantur. Iccirco in dæmonibus ordinem quidem aliquem ac principatum adſtruere poſſumus, ſed non *hierarchiam*: quam vocis etymologia demonſtrat in cœleſti tantum, & militante Hieruſalem eſſe admittendam, in illa Angelorum, in hac vero Clericorum. Quamobrem recte dicimus Hierarchiam cœleſtem, Hierarchiam Eccleſiaſticam, non Hierarchiam infernalem; & de Angelorum dæmonumque ordinibus diſſerentes utimur nos communiori vocabulo *Exercituum*.

1. De cæleſti Hierarchia Angelorum.

In cæleſti itaque *Hierarchia* ſunt novem ordines Angelorum, quorum numerum recenſet poſt Dionyſium Gregorius Papa hom. 34. his verbis: *Novem Angelorum ordines diximus, quia videlicet eſſe teſtante ſacro eloquio ſcimus Angelos, Archangelos, Virtutes, Poteſtates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, atque Seraphim.* De nomine Angelorum, Cherubim, & Seraphim dictum ſatis cap. 1. Archangeli, ut inquit eodem loco Gregorius, ſunt, *qui ſumma annuntiant*, & legatione quadam ſpeciali mittuntur, quales ſunt Michael, Gabriel, & Raphael. Alia quinque nomina more Orientalium pronunciantur, id eſt, uſurpando abſtracta pro concretis; atque videntur originem habuiſſe à Perſis, inde vero translata ad demonſtrandas beatorum Spirituum claſſes. Nam in Perſico Imperio, ſub quo olim fuerunt Hebræi, Optimates vocabantur Principatus, ut conſtat ex cap. v. Dan. 2. in quo Hebræi legunt רברבני, Græci ἀρχαὶ, Latini *Optimates*. Item Dan. xi. 5. habetur in Hebraico משלות, in Græco κυριότητες, in Latino *Dominationes*. Occurrunt quoque in libris Eſdræ, & Eſther, in quibus de Chaldæorum ac Perſarum Regibus frequens eſt ſermo, apud Hebræos vocabula שלטנין־שרין, apud Græcos δυνάμεις, ἐξουσίαι, apud Latinos *Virtutes*, ac *Poteſtates*; atque his nominibus regni proceres, & Magiſtratum gerentes in Imperio Perſarum ſignificantur. Throni denique appellantur, quaſi Reges quidam in Thronis conſidentes, prædicta Orientalium conſuetudine. At quamquam hæc ſit origo nominum; decipitur tamen Theodorus Beza, qui Comment. in Epiſt ad Epheſ. negat cap. 1. v. 21. his vocabulis ab Apoſtolo eximias Angelorum claſſes notari: cum in Epiſt. ad Coloſs. cap. 1. v. 16. deſignentur quæ ſunt *inviſibilia*, id eſt, in mundo ſupremo, iisdem omnino vocabulis, quæ habentur citato loco ad Epheſios: & Chriſtus de cujus exaltatione ac principatu loquitur Paulus, non ſolum terrenorum Regnorum ordines, ſed etiam claſſes Angelicas antecellat. Neque enim repugnat Angelos Principum & Poteſtatum vocabulis denotari, quemadmodum eximii viri deſcribuntur nominibus Angelorum.

2. Diviſio novem chororum in tres Hierarchias.

Prædictos novem Angelorum choros in tres Hierarchias Dionyſius cap. 3. diviſit, quem ſequutus eſt q. 108. S. Thomas, & hunc Scholaſtici fere omnes. In ſuprema itaque Hierarchia locantur I. Seraphim, id eſt Spiritus charitate ardentes, quos inquit Bern. ſerm. 19. in Cantica, *Charitas Dei in eumdem rapuit ſanctæ affectionis ardorem, ut unus cum Deo ſpiritus eſſe videantur.* II. Cherubim, in quos Deus ſapientiæ plenitudinem profudit. III. Throni, in quibus tanquam *in ſede Divina majeſtas reclinatur*, inquit Collat. VIII. cap. 13. Caſſianus. Spiritus autem ad hanc Hierarchiam pertinentes, ſunt quibus Deus ſua conſilia pandit, & qui Deo ſemper aſſiſtunt, neque ad exercenda erga homines miniſteria mittuntur. Ad alteram Hierarchiam ſpectant Dominationes, Virtutes, & Poteſtates. Atque Do-

Dominationes Gregorius nominari existimat, quod eis ad obediendum cætera sint subjecta. Virtutum appellatio per Dionysium est Angelorum illorum, per quos signa & miracula frequentius patrantur. Potestates vero sunt Angeli, qui malos spiritus arcent, ne prævaleant adversus homines. In tertia Hierarchia sunt Principatus, quibus regnorum cura, præsertim vero principatuum institutio, & directio commissa est, ut docent Bernardus, & Theodoretus. Sequuntur Archangeli, id est, inter nuntios digniores ac principes, qui summa annunciant: atque ultimum locum tenent Angeli, qui ad custodiendos homines, & ad minima annuncianda mittuntur.

3. Probabilia sunt ista.

His omnibus, quæ probabilia esse fatemur, inconcussam plenamque fidem habere non possumus: sed tamen novem illos ordines agnoscimus, Scripturis ac Patribus contestantibus. Nam Angelos passim legimus; Archangelos etiam in 1. ad Thessalonicenses cap. IV. 5. & in epist. Judæ v. 9. Seraphim apud Esaiam cap. VI. 2. Cherubim in x. Ezechielis v. 7. & 9. cæteras cœlestium Spirituum classes in epist. ad Ephesios cap. 1. 21. & ad Colossens. cap. 1. 16. quarum & meminerunt Ecclesiæ Patres Ignatius in epist. ad Trallianos, Irenæus lib. II. cap. 54. Augustinus contra Priscillian. cap. XI. Dionysius, Gregorius, & Bernardus paullo supra laudati. Numerum ergo novem ordinum Angelorum, quem Scripturæ ac Patres insinuant, præceps ac temerarius est qui repudiat.

4. De sublimiori loco Seraphinorum

Verum an Seraphimi sublimiorem teneant locum, Angeli vero, & Custodes hominum infimum, & utrum in unaquaque Hierarchia recensito ordine singuli sint dispositi, id mihi (quod absque odiosæ arrogantiæ nota dictum velim) valde non probatur. Etenim ex Scripturis talem esse Angelorum dispositionem non liquet: imo ex his colligitur Cherub missum Gen. III. 24. *ad custodiendam viam ligni vitæ:* & Seraphim Esaiæ VI. 6. volavit ad Prophetam: ideoque aut Cherubim & Seraphim ad supremam Hierarchiam non attinent, aut falsum est Angelos illius Hierarchiæ nunquam mitti. Tobiæ etiam XII. 15. ait Raphael Angelus: *Ego sum unus ex septem, qui astamus ante Dominum.* Ex quibus constat Raphaelem, quem Archangelum esse nullus ignorat, esse unum ex Spiritibus assistentibus, non communi quadam ratione, quatenus Divinam essentiam immediate videt, ut explicant quidam Theologi cum D. Thoma q. CXII. art. 3. sed adstantem intime, & peculiari titulo, quomodo adstant septem spiritus, de quibus cap. 1. Apocalypsis v. 4. & cap. VIII. 6. Inquit enim Raphael: *Ego sum unus ex septem, &c.* Michaelem quoque non ad ultimam Hierarchiam, sed ad primam pertinere colligitur ex cap. X. Danielis v. 13. *Et ecce Michael unus de Principibus primis*, id est, *supremis*, ut legunt Hebræi השרים הראשנים. Custodes etiam Electorum aliqui putant esse Angelorum præcipuos; quod arbitrantur comprobari ex cap. XVIII. Matth. v. 10. ubi de Angelis pusillorum legitur: *Semper vident faciem Patris.* Nam *videre faciem Patris* non solam contemplationem Divinitatis significat, sed etiam præcipuum honorem, classemque eorum, qui assistentes nuncupantur; alias primitias regni sui in pueris figuratas non satis apte assereret Christus contemnendas non esse, quoniam Angeli eorum semper vident faciem Patris; cum fruantur visione Dei etiam Custodes reproborum. Erit ergo idem *videre faciem Patris*, atque esse inter Angelos insigniores, ut exponit Chrysostomus: quem propterea male quidam ajunt intelligendum esse de supremis in ordine infimo. Porro videre faciem, & adstare ante Deum dicitur de supremis ordinibus: uti *videre faciem regis*, & *stare* coram illo non de singulis ministris, sed de Satrapis, regnique proceribus. Atque his quadrat pia quorumdam sententia, quod Custos Deiparæ fuerit Angelus summæ & dignioris classis. Si ergo non repugnat Scripturis, saltem ex his non roboratur præmissa Angelorum ordinum, ac munerum dispositio.

5. Elucidatio.

Neque ad hanc adstruendam nos traditio Patrum impellit. Dionysium enim, ex quo alii mutuati sunt illam Hierarchiarum distributionem, esse illum Areopagitam, non juniorem aliquem Scriptorem quinti aut sexti sæculi, non facile omnes fatebuntur. Irenæus lib. II. cap. 54. his eam Angelorum divisionem recensет, ac primum numerat, *Principia, Potestates, Angelos, Archangelos, Dominationes, & Virtutes:* deinde *Angelos, Archangelos, Thronos, Dominationes, Principatus, Potestates ac Virtutes*, Seraphimis, Cherubimisque prætermissis. Seraphimos etiam ad infimos ordines pertinere asserit vetus Syrorum & Maronitarum traditio, ut constat ex Ritu Ordinationis Archipresbyteri apud Morinum de Sacris Ordinat. P. 2. pag. edit. Parisiensis 411. & pariter ex ritu ordi-

ordinandi Presbyterum p. 407. Ecclesia ipsa Romana in Festo omnium Sanctorum ad Canticum *Magnificat* primum Angelos & Archangelos, postremo Cherubim, & Seraphim memorat, non ex infimo ordine ad supremum, sed ex supremo ad infimum digrediens, si in censendis Ordinibus Angelorum idem praestat, quod de Sanctorum hominum Classibus, numerando post Seraphimos proxime Patriarchas, ultima autem sede positis Anachoretis. Quod si affirmemus, convenit mirifice Latinorum Ecclesia cum Syrorum; & Angelica cum Ecclesiastica Hierarchia, & Sacerdotes omnes Angelis, Patriarchæ & Episcopi Archangelis, inferiores Clerici Seraphimis comparabuntur. At si placet priorem servare distributionem, liceat per me quidem. Hæc enim dicta sunt non ad illam rejiciendam, sed ad demonstrandum non esse plane inconcussam. Atque ne hanc opinationem meam aliquis carpat, repetam verba Augustini in libro ad Orosium cap. XI. *Esse itaque sedes, dominationes, principatus, potestates in cœlestibus apparatibus firmissime credo, & differre inter se aliquid indubitata fide teneo. Sed quo me contemnas, quem magnum putas esse doctorem, quænam ista sint, & quid inter se differant, nescio. Nec ea sane ignorantia periclitari me puto, sicuti inobedientia, si Domini præcepta neglexero.*

6. Omnes Angeli mittuntur.

Fidentius affero Angelos cujusque ordinis à Deo mitti; quod supra ex Scripturis affirmavi de Archangelis, de Cherubim, & de Seraphim. Hos vero *mitti ad eos, qui purgatione indigent*, diserte scribit Hieronymus ad Damasum. Atque de omnibus Angelis scribit Apostolus ad Hebræos I. v. 14. *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?* Quæ verba non de illuminatione, sed de missione; non de aliquibus, sed de omnibus Angelis esse accipienda tum ex litera constat, tum ex Apostoli scopo, qui est demonstrare Salvatoris nostri præ omnibus Angelis honorem, ac dignitatem. Quare omnes plane Angelos aliquando mitti extraordinaria saltem legatione fatetur maxima pars Theologorum, quos nominatim laudat in primo de Angelorum custodia libro Andreas Victorellus. Me non latet beatum Gregorium lib. XVII. Moral. cap. 9. distinguere inter Angelos assistentes ac ministrantes: verum & illos aliquando mitti commonstrat exemplum supra productum Angeli Raphaelis. Nec prætereundm est quod tandem scribit ipse Gregorius homilia quarta ac tricesima: *Sed quia in quibusdam Scripturæ locis quædam per Cherubim, quædam vero per Seraphim agi didicimus, utrum per se hæc faciant, an per subjecta agmina agantur, quæ, sicut dicitur, in eo quod à majoribus veniunt, à majoribus vocabula sortiuntur, nos affirmare nolumus, quod apertis testimoniis non approbamus.* Ergo nec Gregorius aperte negat mitti interdum à Deo etiam Seraphimos, & Cherubimos.

7. Thalmudistæ refutantur.

Utut hæc in utramque partem disceptari possint; frivolum, & pro libidine confictum puto quod de exercitibus Angelorum conscripserunt Thalmudistæ. Hi omnes Angelorum copias distinguunt in Mazaloth, El, Legion, Rihaton, Chirton, & Gistera. Et Mazaloth constare inquiunt XII. Angelis, nempe quot sunt signa Zodiaci. El dicunt esse triginta cohortes multiplicato numero XII. per 30. unde fiunt 360. Legion multiplicat numerum 360. per 30. unde resultant 10800. Hunc etiam per 30. multiplicant, fitque Rihaton constans ex 324000. Quo numero pariter per 30. ducto habetur Chirton conflatus ex 9720000. Aucto denique numero isto per 30. habemus Gisteram, scilicet exercitum Angelorum 291600000. Omnium vero summa est trecenta & unum millium millia sexcenta & quinquaginta quinque millia, centum & septuaginta duo. Hæc ergo est Tabula Thalmudistica:

Mezaloth.	12.
El.	360.
Legio.	10800.
Rihaton.	324000.
Chirton.	9720000.
Gistera.	291600000.
Summa.	301655172.

In dæmonibus Hierarchias statuere non possumus; agnoscimus tamen ordinem aliquem: & hunc arbitramur ipsos inter se constituisse, ut singuli quadam reipublicæ forma instituta in varias classes distributi ad eripiendum Deo honorem, animasque perdendas magis fierent intenti; sibique variis in locis Divinum, si possent, cultum compararent. Ita nos civitatis Babyloniæ regimen, non ex perfectione naturæ arbitramur esse institutum, sed ex amore proprio cum Dei odio & invidentia erga homines conjuncto. Cujus Reipublicæ principem appellant sacræ literæ *Beel-zebub*, sæculi, aerisque potestatem primariam. Est autem *Beel-zebub* idem ac *Deus musca*, idque significatur hebraica

In dæmonibus non dantur Hierarchiæ.

voce בעל־זבוב, & apud Plinium lib. 29. cap. 6. *Deus Myiodis*, nam Græci muscam vocant μυῖαν. Quo nomine appellatus est Diabolus, vel quod Idolum Accaron, de quo in IV. Regum cap. 1. 2, muscæ figuram habuerit, ut scribit adversus Julianum Nazianzenus; vel quod ex agro Ekron crederetur muscas arcere, quomodo apud Phrygios Apollo à fugatis muribus dictus est *Smintheus*: vel demum, quoniam Philisthiim ac Phœnices idolum suum appellabant *Beel-samen*, בעל־שמין, hoc est, *Deum cœli*; & illud Hebræi derisionis causa appellaverunt Deum Dominumque muscarum. Hunc principem dæmoniorum, quidam vocaverunt Serapidem, sive tricipitem canem: quia in tribus elementis aqua, terra, & aere nocumenta molitur: & ad eumdem pertinent versus illi apud Porphyrium:

Tu, qui sceptra tenes scelerata in pectora dæmon
Terrenos super, aerios, subterque recessus.

Dictus est autem Joan. XII. 31. *Princeps hujus mundi*, ob dispersam per orbem terrarum idololatriam; & ad Ephes. II. 2. *Princeps potestatis aeris hujus*, quod ei obtemperent dæmones, qui per aerem discurrunt.

8. Novem ordines dæmonum.

Ordines dæmoniorum ad instar cœlestium Hierarchiarum in novem classes distributos nonnulli scripserunt, præsertim Agrippa ab aliquo forte dæmone edoctus. Is, ut referunt, qui horrendos de occulta Philosophia libros legerunt, constituit in I. ordine *Pseudotheos* sacrificia, cultumque ab idololatris captantes; quorum princeps est *Beelzebub*. Collocat in II. *Spiritus mendaciorum*, qui oraculis ac divinationibus illudunt; & horum princeps vocatur *Python*: unde Apollo dicitur Pythios, & mulier divinatrix I. Regum cap. 28. Pythonissa. *Pythonis* vero nomen alii derivatum putant à Pytho Delphorum urbe; alii ab Hebræorum vocabulo בתן id est, *aspide*. Statuuntur in III. *Vasa iniquitatis*: id est spiritus malarum artium inventores, quibus præest *Belial*, ita nuncupatus quasi בלי־עול *absque jugo*. Sunt in IV. ordine *Ultores scelerum*, quorum princeps dicitur *Asmodeus*, videlicet, *Iaciens judicium*. Tenent V. classem *Præstigiatores*, quibus imperat *Satan*, & hi fictis miraculis homines decipiunt. Habent VI. *Aereæ potestates*, quibus cura est terræ & mari nocere, eisque præses est *Mirirm*, vel ut in Psalmo XC. 6, שר־צהרים, *Dæmonium Meridianum*, sive spiritus æstuans & furens in meridie. VII. mansione stant *Furiæ*, id est, dæmones discordiarum bellorumque Auctores: quorum dux appellatur græco nomine Ἀπολλύων, hoc est, *Vastator*. In VIII. stant *Criminatores*, & *accusatores* hominum: eisque præsidet *Diabolus*, scilicet, *Calumniator*, vel *Astaroth*, hoc est, *explorator*. Habent locum ultimum *Tentatores*, aut mali Genii, qui singulos homines ad malum illiciunt: eorumque agmen ducit *Mammon*, qui interpretatur *Lucrum*, vel *Cupiditas*. Hæc an vera sint, ignoramus. Sunt nihilosecius omnia hæc vocabula in sacris literis: quarum explicationi etiam hæc, quæ scripsimus de Republica dæmoniorum, deserviunt nonnihil.

CAPUT XIX.

Quo pacto Angeli ad Animarum custodiam vigilent, & Dæmones ad perditionem illarum?

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. 3. & 4. Propugnatur, Angelum custodem à Deo omnibus fidelibus, imo probabilius cæteris etiam hominibus deputari.
5. & 6. Respondetur ad argumentum Calvinianorum.
7. usque ad 10. Probatur, universis hominibus probabilius etiam Angelum malum delegari, non quidem à Deo, bene tamen à principe dæmoniorum.
11. 12. & 13. Solvuntur objectiones.

1. Custodia Angelorum & infestatio dæmonum.

De custodia Angelorum, atque dæmonum infestatione nunc simul dicturi sumus: quantum enim illi ad salutem animarum excubant, tantum hi habent de illarum exitio solicitudinis & negotii. Et singulis quidem hominibus deputari tam bonum, quam malum Angelum, cum Ethnici Scriptores, tum Veterum Patrum permulti tradiderunt. At plures etiam, custodes Angelos singulis, non autem dæmones instigatores adesse, arbitrantur. Sunt & plurimi qui docent fidelibus tantum, justisque Angelos sanctos assistere: quas omnes opiniones suis libratas momentis jam subjicimus.

PROPOSITIO I. Deputatur Angelus Custos à Deo omnibus fidelibus, ac probabilius cæteris etiam hominibus. 2. Propositio.

Inni-

Probatur fideles habere Angelum custodem.

Innititur pars prima Divinis literis, Patrum testimonio, & rationi. Adfuisse enim Angelum Jacobo constat ex cap. XLVIII. Genes. v. 16. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* De Angelo Judith legimus cap. XIII. 20. *Custodivit me Angelus ejus.* De custode puellæ Rhode habetur Act. XII. 15. *Angelus ejus est.* De pueris, quos humiles Christi sectatores designare est valde probabile, Matth. XVIII. 10. *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Hæc sane est Patrum omnium sententia. Origenes enim Hom. XX. in Num. ait: *Adest unicuique nostrum, etiam minimis, qui sunt in Ecclesia Dei Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui moveat, qui gubernet, &c.* Eusebius in XIII. de Præp. Evang. & Basilius in III. adversus Eunomium idem adstruunt. Augustinus cap. 17. Soliloquiorum: *Magna cura,* inquit, *& solicitudine Angeli adsunt nobis.* Atque Ambrosius lib. de Viduitate: *Angeli nobis ad præsidium dati sunt.* Idem subodorati sunt etiam Scriptores Ethnici, Menander apud Eusebium citato libro cap. 16. Censorinus cap. 3. de die Natali, Horatius Epist. 2. Virgilius, & Servius in VI. Aeneidum, Seneca Epist. XC. & fere omnes Platonici apud H. Grotium Comment. in Matth. p. 174. Huetium in Concordia, & Petavium lib. II. de Angelis cap. 6. Suffragatur & ratio. Primo quoniam in hoc visibili mundo omnia per rationales spiritus disponuntur, ut in tertio de Trinit. cap. 4. ait S. Pater; quod postulat etiam ratio providentiæ, à qua ita series rerum connectitur, ut inferiora à superioribus dirigantur, uti observarunt duo magni Theologi S. Thomas q. 110. art. 1. & Aegidius dist. 11. q. 1. art. 1. Deinde homines indigent Angelorum custodia pluribus titulis: præsertim vero, ut contra impugnationem dæmonum præsidium habeant, ut à periculis: quæ passim occurrunt, eruantur, ut bonæ illis inspirentur cogitationes, ut denique eorum oblationes ac preces in sublime altare Dei ab Angelis deferantur. Quæ omnia late persequitur Estius lib. 2. Sent. dist. XI. §. 2. Igitur saltem fidelibus omnibus adesse Vigilem & Custodem, sacræ literæ, traditio, & ratio ipsa demonstrant.

3. Probatur etiam alios homines habere Angelum.

Iisdem momentis altera pars roboratur. Et scripturis quidem; nam quæ superius productæ sunt, phrasi quadam justorum, puerorumque Angelos commemorant, ut singulis hominibus sui Custodes videantur adscripti. Quippe ea verba *Angelus ejus, Angeli eorum,* peculiares propriosque Præsides indigitant, ad differentiam reproborum, quibus forte deputantur Angeli inferiores. Præterea Esaiæ v. 5. de reprobis prænuntiatum est: *Ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ: auferam sepem ejus, & erit in direptionem.* Hanc vero sepem Glossa, & PP. Angelorum custodiam interpretantur. Quos Angelos omnibus omnino præsidere scribit citato loco Eusebius, Anselmus in Elucidario, Bernardus lib. V. de Cons. cap. 4. Et pervulgata sunt verba Hieronymi in cap. XVIII. Matth. *Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu suæ nativitatis in custodiam sui Angelum deputatum.* Eo quoque pertinet ratio à Divina Providentia desumpta, quæ omnium hominum saluti prospicit largiendo communia saltem ac generalia adjumenta: & ideo singulis hominibus suum destinari Custodem est pariter rationi, auctoritati, & scripturæ cohærens.

4. Pars 2. tantum est probabilis.

Hanc tamen partem absolute non definivi, sed probabiliorem esse affirmavi, primo quoniam scripturæ nullibi aperte custodes Angelos universis præsidere demonstrant, sed pueris, fidelibus, ac Deum timentibus; necnon Regnis, Provinciis, atque exercitibus, ut non obscure ex Josue v. & Danielis x. capite infertur. Deinde quia solis fidelibus deputari Custodes, tradunt Basilius absque ulla verborum ambiguitate in Psalmum XLVIII. Hilarius Canon. XVIII. in Matthæum, Anastasius Sinaita libro in Hexamer. quinto, & Chrysostomus hom. 49. in Matth. Rursus quia liquet ex Ritu baptizandi, quem servat Romana Ecclesia in tingendis sacro baptismate adultis, custodiam Angelorum deputari regeneratis, quemadmodum constituta fuit filiis Israel cum educerentur de Aegypto: quod in Opusculo XXIII. cap. 4. docet luculenter Petrus Damiani. Atque hæc argumentum faciunt probabile, sed prædicta nequeunt convellere; cum postrema hæc possint aut de alio peculiari Angelo exponi, quem in locum prioris Deus deleget baptizatis, substituto in his, pro Angelo infimi ordinis, præside digniore, aut de singulari effectu, quem antistites fidelium Angeli studiosius Deo jubente exequuntur.

Responsio ad argumentum Calvinianorum.

5. Objectiones Calvinistarum.

Singularem Angelorum custodiam deridet in Psalmum XC. Calvinus: eaque posset impugnari versu hujus Ps. 11.

Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Quæ sane angelicæ custodiæ effecta vix aliqui experiuntur electi. Manifestius cap. 1. Epist. ad Hebræos v. 14. legitur, Angelos *in ministerium mitti propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Ergo illi saltem, qui regni hæredes non sunt, præsidio angelico destituuntur. Deseri quoque ab Angelis homines obduratos, colligitur ex cap. v. Esaiæ v. 5. & 11. v. 9. Jeremiæ. Itaque ad nullos, vel saltē perpaucos custodia Angelorum extenditur. Quod si hanc adversus Calvinum adstruere lubet; quid opus est singulis hominibus singulos Angelos delegare, cum possit unus spiritus plurium mortalium regimini præsidere?

6. Solutio. Hæc vero nullius pene momenti sunt. Nam in Psalmo xc. non de singulorum hominum custodia agitur, sed de peculiari electorum, qui, ut nos, quæ habemus charissima, gestamus manibus, maxima ab Angelis servantur cura, ne in peccata, saltem finaliter, prolabantur. Id vero commune in cæteris præsidium, clientumque regimen minime tollit: quamquam istud in universis omnino constituere fide, & auctoritate certissima non compellimur. Atque hac eadem Psalmi sententia Angelorum saltem erga aliquos clientela contra Calvinum comprobatur. In Epist. autem ad Hebræos exprimitur præcipuus Angelorum effectus, qui est electos ad salutem perducere, quo carent reprobi propria culpa. Præterea multa largitur Deus etiam reprobis propter electos, quorum omnia esse scribit idem Apostolus in priori ad Corinth. cap. 3. v. 22. Ideo ad Hebræos potius ait omnes Angelos in ministerium mitti *Propter*, quam *Ad* eos, qui salutis capiunt hæreditatem, usus præpositione significante causam finalem. De perversis obduratisque, videtur nobis eos aliquando Angelorum cura, & sollicitudine destitui, quod de Templo & Urbe Jerusalem factum legimus manifesto miraculo: unde D. Bern. Serm. 1. de S. Michaele de peccatoribus ab Angelo derelictis exponit verba Prophetæ: *Et qui juxta me erant, de longe steterunt.* Etsi autem illorum curam remittunt; adstare credimus opem allaturos supplicibus, neque alumnos deserere, donec penitus de illorum salute actum est; quemadmodum nec animas Purgatorii, cum præcipua sit Angelici muneris pars, nos ad gloriæ hæreditatem perducere. Unum Angelum pluribus hominibus præsidere docet probabiliter Magister in 11. Sent. dist. xi. num. 2. eoquod etiam *uni hominum plurium custodia deputetur, ita ut eorum quisque suum dicatur habere Dominum.* Sed respondere possumus singulos singulis delegari ad demonstrandam liberalissimam Dei providentiam, dignitatemque animarum.

7. Propositio 2. omnes homines habent Angelum malum. Propositio II. Probabilius est universis hominibus etiam Angelum malum delegari, non quidem à Deo, sed à Principe dæmoniorum; ita ut nequeat homines exercere, nisi quatenus Deus permittit vel ad meritum electorum, vel ad pœnam reproborum.

Probatur. Magister citato libro 11. eademque distinctione docet unicuique tam bonum, quam malum angelum deputari, quam opinionem jam omnes plane recentiores Scholastici exuerunt, tanquam ex fallaci traditione derivatam. Sed ut hanc paullulum expendi, visum mihi est longe probabilius medium incedere: & cum Magistro malum genium singulis adstare, cum Theologorum caterva hunc à Deo minime deputari, sed à Beelzebub destinari, affirmate pronuntio. Ac primam partem demonstro. I. Quoniam quæ de Angelis sanctis sacræ literæ affirmant, eadem fere narrant de contaminatis impurisque. Esse nobis colluctationem, *adversus principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*, monet Paulus ad Ephesios VI. 12. Petrus Epist. 1. cap. VIII. ait vigilandum esse, *quia adversarius diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Satanam *perambulare terram*, habemus quoque in 1. & 11. capite Jobi. Inhiant ergo, totisque nervis in perniciem animarum incumbunt dæmones invidi, ac truculenti. Iisdem tradentibus Scripturis didicimus Dæmones ad exemplar cœlestium Exercituum propriam Rempublicam conformasse. Nam regnum aliquod, & supremum ducem habere constat ex Lucæ XI. 18. Eorum principatus & potestates legimus ad Colossens. II. 15. Virtutes etiam ad Romanos VIII. 38. & in priori ad Corinthios XV. 24. Igitur quomodo in supernis Hierarchiis Vigiles Animarum, ita in Satanæ familia Instigatores ac Tentatores esse putamus, imo & singulos dæmones id muneris assumere, avideque captare stimulis invidiæ percitos & concitatos.

8. Probatur ex traditione. Deinde satis explorata mihi videtur traditio, aptaque ad faciendum argumentum saltem probabile. Nam esse antiquissimam traditionem non Chri-

Christianorum modo, sed etiam Hebræorum, quod singuli homines habeant quoque malum angelum, à quo impugnentur, scribit Joannes Maldonatus in cap. XVIII. Matthæi, & Alardus Gazæus in Comment. ad Cassiani Collat. XIII. cap. 12. Atque hæc traditio probatur ex vetustissimo libro Pastoris lib. II. Mandato VI. ubi legimus: *Duo sunt Genii cum homine, unus æquitatis, & unus iniquitatis.* Habentur similia in Epistola Barnabæ num XVIII. scribentis: *Duæ sunt viæ doctrinæ ac potestatis, una lucis, altera tenebrarum: differentia vero multa duarum viarum; uni siquidem præpositi sunt lucis conciliatores angeli Dei, alteri vero angeli Satanæ.* In quem locum plura erudite adnotavit Cotelerius. Idem tradit lib. II. Instit. cap. IV. Lactantius. Tertullianus in Apolog. & lib. de Anima cap. 39. & 57. Origenes etiam pluribus in locis, præsertim Hom. X. in Lucam, & prope finem lib. ultimi adversus Celsum. Serenus Abbas in Collatione VIII. Cassiani cap. 17. & Ab Cheræmon in collat. XIII. cap. 12. Et quoniam solent istiusmodi Auctoritates parvipendi, principio postulo, ut recitentur oppositæ antiquorum sententiæ, quas certe nondum legimus: sed adversarii duntaxat reponunt Patres alios silere, hos vero quos laudavi, aut apocryphos esse, aut auctoritatis exiguæ. Verum Epistola Barnabæ, necnon Pastor Hermæ, licet catalogo Divinorum Scriptorum non sint inserendi, debito tamen honore excipiuntur, ut dixi lib. VII. cap. 5. Atque Origenis, Tertulliani ac Lactantii hac in parte dogmata à nullo Veterum censoria virgula notari comperimus; ut non diffitemur de pluribus, quæ merito abjiciuntur, & refutantur. Præterea non hos tantum proferre possumus, sed alios plures, ut Bedam in Act. Apost. XII. 15. & Auct. Imperf. Hom. V. in Matth. Sufficit tamen vetustæ traditionis testem compellare Gregorium Nyssenum, qui lib. I. de Vita Moysis ait: *Est sermo ex Majorum traditione fidem sibi vendicans, qui dicit postéaquam natura nostra in peccatum decidit, Deum hunc lapsum nostrum providentia sua minime destituisse, sed angelum quemdam ex iis, qui naturam corporis expertem sortiti sunt, adhibuisse ad uniuscujusque vitæ tutelam, ac præsidium: at ex adverso naturæ corruptorem pari machinatione contraniti, & pravo quodam, ac malefico adjuncto dæmone humanæ vitæ perniciem afferre.* Nostra ergo sententia videtur perantiqua traditione fulciri. Et quemadmodum de Vigilibus dictum supra, ita de malo genio consentiunt Gentiles, ut Empedocles apud Alexandrum ab Alexandro Genial. dier. lib. VI. cap. 4. Lucillius Sat. lib. 9. Censorinus de Die Natali, Servius in illud Virgilianum: *Quisque suos patitur manes, &c.*

Adstipulatur etiam ratio. Primo quoniam Dæmoniorum Princeps in Administratione regni sui studet Deum imitari, eique pro sua virili contraniti: & ideo quemadmodum Deus singulis hominibus Angelos, ita Beelzebub dæmones dicendus est delegare. Rursus sicut in Ritu baptismatis oratur Deus ut mittat Angelum suum, ne regenerationis & lavacri impediatur effectus, ita exorcismis expellitur dæmon: quod animadvertens lib. 4. Hist. Donatist. Optatus Milevitanus scripsit in baptismo per exorcismum dæmonem omnibus adstantem *depelli, & in loca deserta fugari.* Aut ergo Angelus custos præest fidelibus, & dæmon infidelibus omnibus: aut in baptismo deputatur à Deo peculiaris præses, cui devictus diabolus opponit spiritum nequiorem: quemadmodum insinuat etiam Evangelium Lucæ cap. XI. 24. Postremo illa ratio Exorcismorum adhibita in omni fere Eulogia, ad humanam perniciem dæmonia ubique invigilare demonstrat. At hæc de priori parte propositionis. 9. Probatur ratione.

Quod enim Deus malum dæmonem cuique non deleget, certum est, & hac in parte probo Scholasticorum assertum. Nam inprimis sicut Deus verax non potest per se, neque per alium fallere, ita Deus bonus non potest per se, nec per alium ad peccatum inducere: unde Jacobus in Epist. Catholica cap. I. 13. ait: *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat.* Ulterius in iis, quæ directe ad peccatum trahunt, Dei providentia permissive tantum se habet; quippe si in his ageret destinatione ac proposito, ei posset imputari peccatum; & sicuti delegatio Angelorum Sanctorum argumentum est providentiæ Dei Boni, ita deputatio tentatorum dæmonum fieret indicium Dei mali. Hinc apud Ethnicos, qui malum genium cum unaquaque anima produci arbitrabantur, unde à γεννάω, *gigno*, Genium nuncuparunt, facile est fermentum Manicheismi deprehendere. Ad hæc, ut Deus electorum suorum virtutem probet, aut reproborum patiatur interitum, sufficit si dæmoni ad nocendum hominibus satis proclivi permittat illos aggredi; præsertim cum *unusquis-* 10. Probatur Angelum malum datum hominibus à dæmone.

que tentetur à concupiscentia sua abstractus & illectus, ut inquit eodem loco Jacobus. In Scripturis denique ac Patribus nusquam legi dæmonem delegari à Deo, sed, ut Nyssenus inquit, *ab adversario, & naturæ corruptore.* Ex quibus constat frustra diabolum contraniti, nec posse ad homines accedere, eosque vexare, nisi Deo permittente: paratum tamen illum esse, ut data facultate adoriatur, decipiat, & perdat, quomodo liquet ex III. Reg. cap. ult. v. 21. Porro hæc Dei permissio rectissimam servat œconomiam, atque prohibet ne hostes pro lubitu desæviant; unde permisit primum ut Satanas diriperet Jobi substantiam, deinde etiam ut illum percuteret ulcere pessimo; hac tamen lege, ut parceret animæ ipsius. Interdum finit homines tentari, quo evadant humiliores, sicut de seipso testatur Paulus in II. ad Corinth. cap. XII. 7. Si dimittat improbos etiam ad interitum impelli; integerrimum est, rectissimumque judicium.

Contra primam propositionis partem objectio.

11. Objectio contra 1. partem.

Opponunt itaque adversus 1. partem Juenin differt. de Angelis q. 4. cap. 5. art. 4. Estius in 2. dist. XI. & alii. I. Hanc de dæmone singulis delegato opinationem derivatam esse à fabulis Ethnicorum, qui omnibus hominibus duplicem Geniurn, bonum, ac malum attribuunt. II. Falsissimam esse traditionem à nobis jactatam, cum libri Pastoris, & Origenis nullam habeant auctoritatem; Cassianus vero refutetur à Prospero in lib. contra Collatorem cap. 30. & adversus Magistrum pugnent omnes fere recentiores Theologi. III. Plures esse, qui dæmoni voluntarie serviunt, & omnes pravis concupiscentiæ fluctibus absque instigatore dæmone satis jactari. Cætera, quæ probant malum Angelum non destinari à Deo, non militant adversus sententiam nostram.

12. Solutio.

Resp. ad 1. Ethnicorum de Diis, & Geniis fabulas arte dæmonis ex sacris literis, permixta ad idololatriam spargendam falsitate, fuisse depromptas. *Omnia enim adversus veritatem de ipsa veritate constructa sunt, operantibus æmulationem istam spiritibus erroris;* ut recte inquit in cap. 47. Apologetici Tertullianus. In his ergo malis Ethnicorum Geniis verum à falso debemus secernere. Falsum est præesse gignendis rebus, falsum esse Deos Divini consilii participes, falsum ex necessitate homines malo Genio indulgere. Hæc adversus veritatem ex vera traditione de tentatoribus dæmoniis fuerunt constructa. At his rejectis remanet veritas inviolata; quemadmodum vera est Gentilium traditio de bono cujusque hominis Genio, refutata hujus superstitiosa divinitate. Primum itaque argumentum in Adversarios retorquetur. Sed & secundum; nam præter Pastorem, Cassianum, & Origenem plures alii sunt, ut ostendimus, hujus traditionis assertores; & Liber Pastoris immerito deprimitur. Tam enim Pastor, quam Cassianus in hoc tantum refutatur à Prospero: quod Collator ex libro Pastoris nitatur ostendere, *inter boni & mali contrarias suasiones ita omnem hominem propriæ discretioni esse commissum, ut ei non plus à Deo præsidii, quam à diabolo sit periculi, & iccirco manere in homine liberum arbitrium.* Hæc Prosper in Collatore redarguit, quæ revera docet Cassianus Collat. XIII. cap. 12. Si ergo ab hoc pernicioso errore abstineamus, quo & Christi gratia parvipenditur, & nimis liberum arbitrium extollitur; tenebimus traditionem veterem, & vitabimus Prosperi reprehensionem. Erimus pariter in Magistrum & Scholasticos obsequentissimi asserentes cum illo dæmonem proprium adstare hominibus, cum istis vero illum à Deo minime deputari. Et ad ultimum facilior etiam est responsio; quandoquidem Diabolus Dei πίθηκος, ad inclinationem & concupiscentiæ stimulos addit malorum hortatores, quemadmodum Deus ad gratiæ opitulationem vigiles Angelos.

13. Sequela.

Consequitur ex dictis dæmonem nec victum ab impugnatione desistere; ut constat exemplo Jobi, & ex cap. XII. Matthæi v. 44. & Lucæ XI. 24. Frequenti tamen oratione invitus recedit; & ideo ait Jacobus cap. IV. 7. *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis.* At continuo clamandum est ad Dominum: *Et ne nos inducas in tentationem*, dum Angelus Satanæ, postquam exivit ab homine, non inveniens requiem statim in domum suam, ex qua abierat, revertitur. Implorandum est etiam præsidium Sanctorum Vigilum: quos Hieronymus Vida in quodam hymno ita supplex alloquitur.

Adeste nobis: namque quos vos prælio
Fregistis hostes, nos premunt.
In nosque victi virus omne colligunt,
Et tuto inermes provocant.
Adeste: diris pestibus resistite
Non insueti laureis.

CA-

CAPUT XX.

Possintne domones naturali facultate mirabilia patrare?

SUMMARIUM.

1. & 2. Præmittuntur notanda circa statum quæstionis.
3. & 4. Probatur, naturalem virtutem dæmonum prodigia plura efficere, quæ tamen talia non sunt, si rerum ratio dignoscitur.
5. & 6. Ostenditur, Deum rectissimè subin etiam per improbos vera operari miracula.
à num. 7. usque ad 12. defenditur, mirabilia dæmonum à mirabilibus Dei pluribus characteribus distingui.
à num. 13. usque ad 15. demonstratur, miracula potestatem naturalem excedentia esse veræ Religionis notam.
à num. 16. usque ad 24 Solvuntur objectiones.

1. Mirabilium quatuor genera.

RERUM mirabilium quatuor sunt genera. Quædam naturalem virtutem, aut artem studio comparatam illius, à quo proxime efficiuntur, minime excedunt; mira tamen sunt, id est, in admirationem trahunt spectatores, qui ignorant latentem causam, rerumque naturam. Hujus generis sunt ostenta, quæ interdum in planetis fiunt, ut quod narrat Varro de stella veneris, apud Augustinum lib. XXI. de Civit. Dei cap. VIII. item monstra, quæ S. P. describit lib. XVI. cap. VIII. insolita etiam quorundam opera, ut Restituti presbyteri Calamensis, de quo lib. XIV. cap. 24. res denique gestæ à viris naturalium artium peritis, E. G. à Pico, Ficino, Sarcha, de quibus proximo capite. Quædam sunt sensuum nostrorum illusiones, quæ aut naturali magia perficiuntur, ut dum lychnis anguium adipe, herbarumque succis oleo permixtis animantia, & vireta conspiciuntur; aut fiunt dæmonum illusione modo, quo explicatum est cap. quartodecimo. Quædam mirabilia fiunt revera, & naturalem virtutem, artemque humanam superant, non autem vim effectricem superioris causæ: & hæc sunt in duplici differentia. Alia enim efficiuntur virtute dæmonis, cui permittente Deo corporalia quantum ad motum obediunt, ut si oraculum reddatur à simulacris, aut ignis de cælo descendat, vel maleficus in sublimem aerem feratur. Alia patrantur supernaturali virtute, neque ullatenus ab Angelo vel homine Deo non operante effici possunt, ut resurrectio mortuorum, scrutatio cordium, certa rerum contingentium vaticinatio, aliaque hujusmodi. Quæ omnia communi vocabulo compellari poterunt Portenta, ac Prodigia; singulis vero videtur nobis esse proprium tribuendum vocabulum. Itaque mirabilia primi generis appellabo (si lubeat) Ostenta: altera Magicas phantasias; tertia Præstigia, ultima tandem Miracula.

2. Notanda in mirabilibus causa, modus, & finis.

Oportet autem, ut in rebus mirabilibus causam effectricem, operandi modum, & finem inspiciamus, quibus potissimum mirabilia Sanctorum ab operationibus dæmonum secernuntur. Enimvero si quis ultra facultatis suæ vires aliquid perficiat, in exemplo, ignotis linguis loquatur, si desperatas sanitates extemplo reddat, si rapiatur in aera; erit id à causa superiore, scilicet à Deo, vel Dæmone. Atque si patrata opera angelicam superent facultatem, qualia sunt contuitus occultarum cogitationum, & revocatio mortuorum ad vitam, erunt vera reapse miracula. Atque hac ratione plura per efficientem causam poterunt à præstigiis & magicis illusionibus distingui. Ut vero distinguantur à modo, tene Augustini regulam traditam in libro LXXXIII. Q. q. 79. his verbis: *Magi per privatos contractus, boni Christiani per publicam justitiam, mali Christiani per signa publicæ iustitiæ miracula faciunt.* Qui ergo utitur signis, characteribus, verbisque ignotis, aut superstitiosa aliqua libaminis, suffiminis, ritusque irreligiosi ceremonia, erit præstigiator & maleficus: qui Christi nomen invocat, & signo Crucis, vel reliquiis Sanctorum mira perpetrat, sed male vivit, erit illis comparandus, de quibus Matth. VII. 22. *Multi dicent mihi in illa die: Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Qui eximia fide ac sanctitate prodigia faciunt, & per publicam justitiam, ut inquit S. P. hi boni probique censendi sunt. Quapropter miracula quantumvis maxima nullum erunt sanctitatis indicium, nisi primum rectitudo, & virtus eximia fuerit comprobata. Præstigia denique finem habent aut promovendi idololatriam atque superstitionem, aut impiorum hominum vitia magnificandi, aut humano generi, præsertim vero justis nocendi; cum vera miracula Dei cultum,

tum, religionis augmentum, justitiæ comendationem respiciant: quod S. Pater animadvertit memorata quæstione, & lib. de Civit. Dei x. cap. 12.

Primum itaque in hoc capite demonstraturi sumus, virtute dæmonum plura mirabilia patrari, & quidem vera, quæ si vis eorum inspiceretur, neque laterent nos rerum causæ, mira profecto non essent. Deinde ostendemus etiam sceleratos homines supra vires proprias aliquando vera miracula facere, virtute quoque Divina. Tertio agemus iterum de discrepantia mirabilium, quæ fiunt Dei efficientia, vel Dæmonis. Postremo probabimus miracula Sanctorum esse certissimam veræ religionis notam, non fieri ope ac virtute Dæmonum, neque à Deo posse fieri in confirmationem erroris. Tabulæ ergo manum apponamus.

3. Propositio de mirabilibus dæmonum.

Propositio I. Naturalis virtus Dæmonum prodigia ac portenta plura efficit, aut adverso rerum corporalium motu, aut illusione sensuum, aut causarum ac seminum applicatione; quæ omnia mira non sunt, si rerum ratio dignoscitur.

Probatio ex S. Scriptura.

Demonstratur auctoritate Scripturæ, testimonio Augustini, & rei etiam experimento. Res enim mira est quod loco virgæ appareat statim & efficiatur verus coluber, quod aqua vertatur in sanguinem, quod ranæ super terram illico educantur, quæ omnia nedum Moyses patravit virtute Dei, sed etiam malefici Aegyptii incantationibus suis, ut narrat cap. 7. & 8. liber Exodi. Signum etiam magnum est, si ignis de cœlo descendat, quod facturum esse Antichristum prædicitur in xiii. Apocalyp. v. 13. Deinde Augustinus lib. xxi. de Civit. Dei cap. 6. disputans de lucerna inextinguibili Veneris, ait: *Sunt ergo facta eorum plurima, quæ quanto magis mirabilia confitemur, tanto cautius vitare debemus.* Affert eodem loco S. Pater experimenta quædam, cum memoratæ lucernæ, tum maleficæ fœminæ, de qua Virgilius in iv. Aeneidum ait, carminibus suis,

Ex S Augustino.

Sistere aquam fluviis, & vertere sidera retro.

Angelica ergo natura omnibus potentior animantibus plura efficit, quæ nos mirabilia esse fatemur; idque liquet è Scripturis, ex Augustino, ex ipsa rerum magistra experientia.

4. Ex rei experimento.

Hæc tamen, si rerum causæ à nobis noscerentur, nullatenus admirationem excitarent. Nam serpentes E. G. quos fecerunt incantatores Aegyptii, veri quidem fuerunt, neque, ut arbitramur, illuc dæmonum potentia translati; sed producti ex seminariis rationibus, è quibus, ut scribit S. P. quæst. 21. in Exod. cum data fuerit opportunitas temporalis, & causalis, prorumpunt species debitæ, suis modis, ac finibus. Dæmones ergo, qui has seminarias rationes optime norunt, cum serpentes, tum arbores, & alia, quæ suis gignuntur seminibus possunt producere, applicando, ut Scholastici loquuntur, *activa passivis*: nec proinde majus miraculum est, quam dum agricola jactis seminibus segetes, arboresque producit. Operantur autem Angeli absque longa temporis mora, quoniam noverunt, ut dixi, præbere opportunitates, & causas, unde ista citius nascantur; quemadmodum arte & industria agricolarum sæpe arbores citius crescunt, & fructus reddunt. In hujusmodi ergo signis, si aliquid mirabile evenit, tribuendum est Deo, qui solus creator est, & rationes illas seminarias rebus inseruit, collata Angelis potestate supra res quasque visibiles. Ea ratione facile est Angelis sistere aquam, dejicere ignem, sidera etiam vertere, si Deus permittat; cum ad hæc sola requiratur corporum motio, quæ facultatem angelicam non excedit. At hæc visibilium rerum materia transgressoribus Angelis ad nutum nequaquam servit, ut recte observat S. Pater in iii. de Trinit. cap. viii. alias, ut sunt hominibus infensissimi, ad interitum mortalium omnium elementa commoverentur, fierentque in nostram perniciem ostenta nimium frequentia. Privato ergo jure nequeunt de ulla re creata disponere, sed uti tantum facta sibi à Deo potestate, quæ seriem universi immutare non valet; in particularibus autem corporibus quantum possit, difficillimum est definire. Lucernas vero, quas perpetuas vocant, docet S. Pater esse mechanicum opus ex lapide Asbesto: sed candelabrum Veneris, de quo supra, tantam fortasse lucem fundebat, dæmone per radiorum percussionem intuentium oculos fascinante.

5. Propositio 2. de mirabilibus impiorum.

Propositio II. Homines etiam improbi mirabilia aliquando patrare possunt, non solum ea, quæ non superant naturalem Dæmonum potestatem, sed etiam majora, & vere Divina: atque rectissime Deus permittit præstigia, rectissime ipse per improbos vera operatur miracula.

I. Probatur ex Scripturis; nam Lucæ ix. 49. legitur quemdam nomine Christi invocato ejecisse dæmonia, cum ta-

tamen Christum non sequeretur. Matthæus VII. 22. ait etiam reprobos in Christi nomine virtutes multas quandoque facere; quod etiam liquet ex cap. IX. Marci v. 38. II. Probatur ex Augustino scribente in quæst. 78. superius laudata, *quædam miracula etiam scelerates homines facere, qualia Sancti facere non possunt.* III. Probatur experimentis; narratur enim miracula patrasse etiam Paulum Episcopum Novatianum, non quidem in confirmationem hæresis suæ, sed in commendationem Baptismi: ut animadvertit doctissimus Bellarminus de Notis Ecclesiæ, not. XI.

6. Duplex causa, cur impii mirabilia patrent.

Duplici autem causa Deus miracula operatur etiam per impios. Primum ut Deus Satanam debellando etiam per ministros ipsius magis fidei virtutem extollat, & adversarii deprimat arrogantiam. Deinde ne pernicioſissimo errore decipiantur infirmi, existimantes in talibus factis majora dona esse, quam in operibus justitiæ, quibus æterna vita comparatur. Quod si mirabilia operentur Dæmonum potestate, permittit hoc Deus juste omnia moderans, ut pro cupiditatibus & electionibus suis, servitutes eorum, libertatesque distribuat. Non enim frustra dicit Apostolus, *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.* Hæc citata quæstione Augustinus.

7. Propositio 3. Distinctio inter Dei & dæmonum mirabilia.

PROPOSITIO III. Mirabilia Dæmonum à mirabilibus Dei pluribus characteribus distinguuntur.

Regula 1.

Etsi videantur specietenus similia mirabilia Dæmonum, & mirabilia Dei, V. G. miracula Moysis, & præstigia Incantatorum Aegypti; sunt tamen quædam regulæ, quibus possunt vera miracula à falsis discerni, & opera Diaboli à virtutibus Deo auctore patratis. I. sit quod Deus non operatur mirabilia, nisi per publica signa justitiæ, aut publicam virtutem, E. G. invocatione Divini Nominis, & religionis Christianæ argumentis: unde Marci IX. 38. ait Christus: *Nemo est enim, qui faciat virtutem in nomine meo, & possit cito male loqui de me.* Si quis ergo Evangelio abrenunciet, mysteria fidei deneget, sacris rebus abutatur, dum actu res miras efficit; harum Satanas erit auctor.

8. Regula 2.

II. Si dissolvantur opera Diaboli carminibus, ritibus ac signis superstitiosis, quibus Dæmones avide Divinum honorem captantes alliciuntur, E. G. si energumeni *per occultos*, ut Augustinus loquitur, *contactus* sanentur, aut maleficia solvantur, nullum est miraculum, sed dæmon sponte à nocendo desistit, & corporis sensibus parcit, ut animæ majori triumpho dominetur. Cujus ratio est, quod Satanas non potest Satanam ejicere, alias regnum Beelzebub divideretur, & pugnaret Dæmon adversus Dæmonem. Quare maledictis & exorcismis Dæmones solent à viris Christianis expelli.

9. Regula 3.

III. Idem de vaticiniis & futurorum eventuum prædictionibus dicendum est. Si enim quis futura prænunciet ut avocet à Catholica Religione, vel ad turpia alliciat, & tamen, ut prædicta sunt, eveniant, prævisa erunt virtute dæmonis una vel altera ratione ex his, quas attuli duodecimo capite, neque Deus hujusmodi eventus impe\et, sed illos ad fidei nostræ tentationem, probationemque permittet. Quod admonet Apostolus in I. ad Corinth. cap. XII. v. 3. his verbis: *Nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu.* Et Auctor Deuteronomii cap. XIII. *Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum, atque portentum, & evenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus, & sequamur Deos alienos quos ignoras, & serviamus eis; non audies verba prophetæ illius, aut somniatoris; quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiet utrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra.*

10. Regula 4.

IV. Patratur ab omnipotenti Deo prodigium illud, quod non potest virtute dæmonis superari, quando præsertim agitur de idololatriæ destructione, quam invitus patitur diabolus. Quare non est ambigendum fuisse mirabilia Dei, quæ operatus est Moyses in Aegypto, cujus opera non potuerunt ab incantatoribus superari: unde hi cum non possent educere sciniphes, *Dixerunt ad Pharaonem, digitus Dei est hic:* Exodi VIII. 19. Similiter Ignis, qui ad nutum Eliæ Regum III. cap. XVIII. 38. cecidit de cœlo contranitentibus idem agere prophetis Baal, divinitus ad voranda holocausta, ligna, lapidesque descendit.

11. Regula 5.

V. Dæmonum illusiones ac præstigia possunt pluribus notis deprehendi. Etenim si appareat v. g. & è sepulchro mortuus excitetur, neque corpus habeat palpabile, spectrum erit, & phantasma; quoniam objecto reali certæ insunt proprietates, quibus expoliari non debet. Hinc phantasma non erat Christus redivivus à mortuis, qui corpus suum palpabile exhibuit; neque Lazarus, qui postquam è monu-

mento surrexit, loquebatur & epulabatur. Deinde spectrum erit & magica illusio, si à pluribus eadem res sub diversa conspiciatur imagine; nisi objectum talibus partibus instructum sit, ut radiorum inflexione diversas imagines pariat. Rursus transmutationes in volucres, lupos, aliaque animantia, si arte dæmonum fiant, erunt imaginationes aut somnia epoto veneno, sive alia arte ad inducendam falsam phantasiam materia disposita; nisi dæmon illudat sublatis corporibus, aliisque priorum loco substitutis. Quæ demum aut curiositati deserviunt, aut fiunt ad nocendum insontibus, satis de se ingerunt suspicionem, quod à malo, & nocendi cupidissimo spiritu efficiantur.

12. Quodnam sit verum miraculum.

Liquet ex dictis vera miracula ea esse, quæ superant omnem naturalem facultatem etiam angelicam, quæ vere ac manifeste talia sunt, non sola imaginatione; & quæ ordinantur ad Dei cultum, ad reipublicæ utilitatem, atque ad incrementa virtutum.

13. Propositio 4. de veris miraculis.

PROPOSITIO IV. Istiusmodi miracula, quæ naturalem potestatem excedunt, veræ religionis sunt nota & character, neque Deus talia operari potest per Cacodæmonem in argumentum erroris vitiorumque commendationem.

Probatio ex Scriptura.

Hanc thesim adversus Novatores 1. Scripturarum auctoritate demonstro. Nam Josue III. 10. loquens de prodigiis Arcæ Domini, quibus Chananæorum, Hethæorumque evertenda erat idololatria, ait: *In hoc scietis, quod Dominus Deus vivens in medio vestri est.* Elias quoque devicturus miraculo ignis Prophetas Baal III. Regum 18. 36. inquit: *Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israel, ostende hodie, quia tu es Deus Israel, & ego servus tuus.* Ipse Christus Lazarum suscitaturus Joan. XI. 42. oravit ad Patrem: *Ut credant quia tu me misisti.* Atque de ejus Apostolis in fine Evangelii Marci legimus: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Scripturis igitur patet, miraculis Dei legem, Christi divinitatem, & Evangelii prædicationem fuisse confirmatam.

14. Probatio ex S. Augustino.

Secundo propositionem demonstro auctoritate Augustini, qua potissimum, ut magnum sibi arrogent patrocinium, Heterodoxi abutuntur. Ergo S. Pater in libro de utilitate credendi cap. 17. inter veritatis Catholicæ notas miracula connumerat, traditque hæreticos *partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatos.* Et quoniam scripserat hoc loco, miracula olim facta, non suo tempore; ne quis opinaretur putari ab Augustino incantamenta aut præstigia, quæ Deus identidem ad gloriam Sanctorum operatur, in I. Retract. cap. 14. testatur se id protulisse, quoniam *non fiunt tanta, nec omnia modo.* Illa namque ætate Donatistæ, quos S. Pater *mirabiliarios* appellat, innumera portenta à se fieri jactitabant; quæ profecto talia non erant, ut scribit Tractatu in Joannem XIII. Libro quoque X. de Civ. Dei cap. 17. ubi enarratis mirabilibus divinitus factis, scribit eadem fieri, *ut nos ad Deum colendum, eique cohærendum excitemur.* Atque cap. proximo ait conari Cacodæmones ut falsis portentis Divina imitentur, quoniam *non aliter se colendos esse persuaserunt, nisi mirabilibus operum effectibus, quorum historia gentium testis est, quarum Dii se ostentare mirabiles potius, quam utiles ostendere potuerunt.* Atque hanc diaboli calliditatem magno cum dedecore sectari tentarunt Polychronius Monothelita, Timotheus Eutychianus, Calvinus quoque & Lutherus, quos non permisit omnipotens Deus, qui mirabilia facit solus, ad falsa dogmata confirmanda virtutes facere, ut laudatus Bellarminus demonstrat. Sed ne ab Augustino discedam; memorato lib. X. cap. VIII. describit mirabilia per Abraham ac Moysem patrata *ad corroborandam*, ut inquit, *fidem piorum*: & cap. 8. libri XXII. ait *miracula necessaria fuisse priusquam crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus.* Addit *etiam nunc miracula fieri in Dei nomine, sive per Sacramenta ejus, sive per orationes, vel memorias Sanctorum:* narratisque nonnullis quæ circa eadem tempora contigerunt, Mediolani ad tumulum Sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, Carthagine ad suas & Alipii preces, Hippone ad Memoriam viginti Martyrum, apud Aquas Tibilitanas reliquiis Martyris gloriosissimi Stephani, aliisque apud Cæsaream Cappadociæ; initio proximi capitis, *Cui*, inquit, *nisi huic fidei attestantur ista miracula, in qua prædicatur Christus resurrexisse in carne, & in cœlum ascendisse cum carne? Nam & ipsi Martyres hujus fidei martyres, id est hujus fidei testes fuerunt . . . . Pro hac fide præcessit eorum mira patientia, ut in his miraculis tanta ista potentia sequeretur.* Sunt ergo per Augustinum miracula testimonium Catholicæ fidei invictissimum.

Ratio-

15. Probatio ex ratione.

Ratione denique confirmatur assertum. Verum quippe miraculum, quod omnium creaturarum potestatem excedit, solius Dei opus est. Deus autem, qui est summa veritas, nequit sive per se, sive per alium in errorem inducere. Nam sæpe Deum operari miracula etiam per impios, & paganos, nos præcedenti Propositione concessimus, ut fatetur etiam Estius in II. dist VII. §. 19. & Joan. Gersonius serm. XIX. post Pentecosten, qui incivilis, gravisque temeritatis notat Scriptores omnia idololatrarum ac gentilium prodigia in dubium revocantes. In quorum historiis sunt quidem multa ab hominibus inventa, quemadmodum alibi dictum est; sed plura tamen, quantumvis mira, credi possunt, dummodo ad adstruendam idolorum divinitatem non dicantur esse patrata. Talia quippe necesse est falsa sint, aut præstigia diabolica, nunquam Deo mirabilibus suis errorem aliquem approbante. Quod explicat illic Gersonius exemplo principis, cui nullus credere teneretur, *si falsarias literas sigillo suo consignari scienter, & absque ulla contradictione permitteret.* Utitur eodem exemplo Cl. Theologus Gummarus Huigens Tomo Brevium Observationum 2. & Juenin Q. VII. de Angelis Concl. 3. Itaque, ut sapienter Augustinus ait in libro contra Epistolam Fundamenti cap. IV. justissime nos tenet in Ecclesia *auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata.*

Oppositionum dissolutio.

16. Objicitur 1.

Faciunt primo adversus hanc propositionem, quæ in duabus prioribus fuerunt concessa. Etenim Magi Pharaonis plura similiter fecerunt, quæ Moyses Propheta Domini; verterunt enim virgas in serpentes, & aquam in sanguinem. At hæc in Moyse fuerunt vera miracula, Ergo etiam in Aegyptiis Incantatoribus, qui proculdubio ea patrabant, ut veri Numinis impugnarent Divinitatem. Insuper ejusdem generis est prodigium Antichristi, de quo Apocalyp. XIII, & miraculum Eliæ, de quo III. Regum cap. 18. Erit ergo utrumque Divinum opus, aut utrumque falsum miraculum. Præterea si possunt ejicere dæmones, & virtutes facere impii, de quibus Matth. cap. VII. & etiam qui Christum non sequuntur, ut ille, de quo cap. IX. Marci, necnon Judæi quidam in Act. Apost. cap. XIX. v. 13. Eccur his miraculis horum mores & religio non confirmantur?

Hæc ex dictis dissolvuntur facillime. Et quidem Moyses vera operabatur miracula, primo quoniam hæc non erant opera diaboli, quandoquidem adversus idololatras pugnabat, nec Satanas præliatur adversus Satanam; deinde quia Satanæ virtutem superavit, devorante virga Aaron virgas incantatorum, atque his minimo in signo deficientibus: præterea quia Moyses invocato palam Dei nomine, & per publicum justitiæ signum faciebat prodigia, Magi vero *incantationibus suis*, privato contractu, tacitoque susurro. Porro quod Incantatorum præstigia non excederent naturalem dæmonis potestatem, ostendi supra. Idem discrimen reperitur inter miraculum Eliæ, & portentum Antichristi: nam Elias & adversus Baal decertabat, & Pseudoprophetas ejus devicit; ideoque uti non poterat adversus dæmonem ope dæmonis. Præstigia vero Antichristi vires Satanæ non excedunt; etenim ignem cœlo devocare, quod etiam fecit Apollonius apud Philostratum, nihil est aliud, quam corpus violenter impellere: & loqui per imaginem bestiæ, sive per simulacrum vocem emittere, quod in umbra Achillis pariter contigisse scribit Eusebius in libro contra Hieroclem, fieri potest sola aeris percussione. Itaque miracula Antichristi erunt talia tantum hominibus latentem causam ignorantibus, & forsitan sensuum illusiones, cum ab Apostolo in II. ad Thessalon. cap. II. 9. dicantur *Signa & prodigia mendacia*, Quamquam Augustinus lib. XX. de Civit. Dei cap. 19. non audet definire an futura sint prodigia mendacii, *quoniam Antichristus mortales sensus per phantasmata decepturus est, ut quod non facit facere videatur; an quia illa ipsa etiam si erunt vera prodigia, ad mendacium pertrahent crediturus.* Vera autem prodigia dixit, non quia miracula vera futura sint, sed quia non erunt phantasmata: & revera ignis de cœlo cadet, ut quando cecidit assumpsitque familiam & greges Jobi, ac turbo irruens, domumque dejiciens filios ejus occidit: quæ utique fuerunt opera Satanæ, hominibus mirabilia, non phantasmata; nec tamen miracula. Atque hoc exemplum affert eodem loco Augustinus. Quæ ultimo objecta sunt, veritatem Catholicam magis firmant: virtutes enim factæ in nomine Christi, illius potestatem demonstrant, qui diaboli quoque ministris diabolum invitum expellens majorem refert de adversario triumphum. Divinum quippe nomen dæmo-

17. Solutio.

nes exturbat ac percellit; & filiis Scevæ illos adjurantibus per Jesum prædicatum à Paulo respondit spiritus nequam: *Jesum novi, & Paulum scio; vos autem qui estis?* Id vero dæmoni Christi virtutem, & Pauli Evangelium reverenti credendum est, scribente Tertulliano in suo Apologetico: *Nemo ad suum dedecus mentitur.*

18. Objicitur 2. Adversatur præterea Catholico dogmati quod nihil mirabilius est mortuorum resurrectione, quam semper Romana Ecclesia existimavit maximum divinumque prodigium. At suscitare mortuos non supergreditur dæmonum facultatem. Potest ergo dæmon qualecunque prodigium pro lubitu facere, eoque homines decipere. Minor probatur celebri facto Pythonissæ, quæ 1. Regum cap. XXVIII. 11. excitavit Samuelem, qui Sauli pugnæ exitum miserandumque finem prædixit.

19. Solutio. Huic argumento, quod perdifficile aliquibus visum est, clara est, & expedita Augustini responsio quæst. 3. lib. 11. ad Simplicianum. Quid enim absurdum est, *ex aliqua dispensatione Divina permissum fuisse, ut non invitus, nec dominante & subjugante magica potentia, sed volens atque obtemperans occultæ dispensationi Dei, quæ & Pythonissam illam & Saulem latebat, consentiret spiritus prophetæ Sancti se ostendi aspectibus regis Divina eum sententia percussurus?* Hæc Augustinus. Quæ responsio tum hoc titulo vera est, quod traditur à tanto viro; tum etiam quia non repugnat Deum patrare miracula etiam dæmonum ministerio ad punitionem impiorum, suique nominis exaltationem: neque detrahitur honori Prophetæ, quod evocatus venerit ad prophetandum, cum viri plerique boni vocati ad malos veniant servato decore virtutis suæ, ut agant quod officium postulat æquitatis. Itaque quod Samuel *exaltavit vocem suam de terra in prophetia*, judicium Dei est punientis impium, & gloria Samuelis prophetantis etiam post mortem: atque ideo commendatur ab Eccles. cap. XLVI. 23. Falsum præterea est suscitatum à dæmone Samuelem; nam aliud est revocare animam ad informandum cadaver, quod miraculum est; aliud vero dæmonem cum spiritu hominis loqui, eumque de abditis receptaculis Deo permittente transferre: quæ utique dæmonis non superant potestatem. Quippe Satanas etiam Dominum, quando ei placuit allocutus est, assumptumque super pinnam templi constituit. Insuper ad præsentiam Saulis exaltasse Samuelem vocem suam ac prophetasse scribit utique Ecclesiasticus; at non evocatum, suscitatumque. Denique fortasse qui apparuit, fuit spiritus fallax & versutus simulans personam prophetæ, nuncupatus Samuel, quoniam illius figuram induerat, quemadmodum omnes fere imagines rerum earum, quarum imagines sunt, nominibus appellantur: Ita tabulam intuentes dicimus, ille Cicero est, ille Salustius, ille Achilles, ille Hector. Sed legite Augustinum citato loco, & prope finem libri de Anima Tertullianum.

20. Objicitur 3. Ulterius opponi possunt miræ metamorphoses, hominumque conversiones in varia bestiarum genera, sola arte dæmonum factæ; quæ si miracula non sunt, nescio quid mirandum ac portentosum dicendum sit. Recenseri principio poterunt, quæ narrat S. Pater lib. XVIII. de Civit. Dei cap. 16. de Sociis Diomedis conversis in volucres, quas Servius in 2. Georgicorum scribit barbaris navibus infestas esse, & Græcis lætas occurrere, memores generis sui, ducisque ab Illyriis interempti. In libro etiam eodem, capite proximo, & 18. narrat Augustinus Apulejum sumpto veneno factum Asinum, ut idem Apulejus fatetur in libris, quos *Asini aurei* titulo inscripsit. Italiæ quoque mulieres stabularias viatores in jumenta commutasse, versam Iphigeniam in Cervam, Ulyssis socios, apud Homerum in x. Odysseæ, in porcos à Circe commutatos, Arcades, Neurosque in Lupos conversos, scribit eo loco Augustinus, Olaus Magnus lib. XVIII. cap. 32, & ex veteribus Solinus, & Mela. Lindorum Catanensem in varia animalia se transformasse, narrat Hyacinthus Gimma p. 3. differt. Accadem. cap. 7. Sagas demum transferri ad conventus nocturnos versas in bruta, & exutis aliquando propriis corporibus, vox est popularis.

21. Solutio. Quamquam hæc inter fabulas sunt amandanda; diluuntur singula hac generali responsione, quod dæmoni haud difficile est translato humano corpore serinum supponere, & cibo, potuque venefico adeo hominum phantasiam perturbare, ut videatur ipsis, pelle setisque animalium se indutos esse, membrisque belluarum circumdatos. In particulari autem repono, socios Diomedis perdentibus illos ultoribus Angelis periisse, & fulicas, sive, ut aliis placet, ciconias, eo asportatas; quæ agente dæmone blandæ Græcis accesserint, ut superstitiosa, divinitatisque prodiga gens Diomedem crederet Deum factum. Apulejus, nisi velimus dicere illum

illum Latinas reddidiſſe fabulas Luciani, fatetur ipſe verſum ſe in Aſinum unguine magico delibutum, quo veneficio facile potuerunt ſenſus ejus perverti, ut etiam crederet Aſinum colloqui cum ſtatua Byrrhenæ: quod ſibi contigiſſe ipſe refert. Hinc magicæ artis accuſatus fuit apud Claudium Maximum Africæ præfectum; quem Coquæus noſter Comment. in lib. VIII. de Civit. Dei cap. 19. Chriſtianum eſſe putavit. Perfecta eſt eodem modo magia Italicarum mulierum, quæ malis artibus imbutæ venenum caſeo viatoribus propinabant. Circem ſociis Ulyſſis *commiſcuiſſe pani venena nocentia*, ait citato libro Homerus. Neuros fieri Lupos cerviſiæ poculo à magis propinato, quo ebibito invadit illos lupina rabies, & ſpiritus nequam illos velociſſimo motu per ſylvas exagitans, narrat idem Olaus, & tom. 2. Chron. Hirſaug. Trithemius. Quod Gimma ſcribit de Lindoro Siculo, ejusdem farinæ eſt, phantaſma ſcilicet deluſorium, aut animalium pro homine ſuppoſitio; ut lepida ſimul & nefaria Cicchi Aſculani, (ita hominem maleficum etiam latine appellant,) facinora. Pro regis Agamemnonis filia ſuppoſitam cervam putat Auguſtinus; nec repugnat narratio fabulæ, nam cerva ſubſtituta, Iphigenia in Tauricam Cherſoneſum adducta traditur. De ſagis denique, ſive de loco in locum à dæmone, cui ſe mancipia dederunt, permittente Deo, moveantur; ſive immiſſo ſopore, & in ſomnis phantaſmata eis obverſentur; nihil prodigioſum auditur, ſed tantum ærumnoſa captivitas, perniciosa dementia, horrendum execrandumque flagitium. At ſtudioſe lectitandus Auguſtinus cap. 16. 17. & 18. memorati libri duodevigeſimi.

22. Objicitur 4. Sunt hujus generis mirabilia quædam partim fabuloſa, partim deluſoria, quæ de immundis ſpiritibus enarrantur, & quibus forſitan imperitis videri poteſt, eos etiam virtutem procreandi res omnes ad miraculum poſſidere. Ajunt genitos ab illis homines tam ingentis ſtaturæ, ut cranium quoddam Drepani inventum plura contineat frumenti modia, excedatque corporis altitudo ducentos cubitos. Quod non ſolum tradunt Sicularum rerum Scriptores, verum etiam in IV. Genealogiæ Deorum libro Jo. Boccaccius Certaldi & Etruriæ decus ſingulare. Accedit quod arte dæmonis procreantur etiam homunculi elementares, qui non tantum ſpiritum habent vitæ, ſed etiam divinationis virtutem. Hos Nymphas, Gnomos, Salamandrios, & Sylphos Paracelſus, & Borrus appellavere. Etiam gemmas aurumque cultoribus ſuis afferre dæmonem, & lutum, vel plumbum in margaritas commutare ſuadet ſibimetipſi delira anus, rudisque plebecula.

Cæterum & hæc ſunt magna errorum portenta. Gigantes ex ſtirpe Cain genitos arbitramur: & ſi aliquando concubitu dæmonum nati ſunt, factum id humano ſemine ab incubo ſpiritu ad mulierculas delato, ut ſcribit ad caput 6. Geneſeos in Sacro Bibli. Theatro Laurentius à S. Franciſca Scriptor Auguſtinianus. Excedunt vero communem ſtaturam humana corpora, ſi plurimis ſpiritibus affluat, ſitque craſſa & calidiſſima ſubacta materies. Hac ratione, & naturali etiam concubitu gigni poſſunt viri proceri, formæque amplioris; eosque non eſſe figmenta poetarum demonſtrant inventa plerumque oſſa, ut repertus in litore Uticenſi dens molaris, de quo lib. XV. C. D. cap. 9. Aquila ingeniorum Auguſtinus. Superat tamen captum noſtrum amplitudo Cranii non procul à Drepano inventi: Goliath enim Gigas Magnus Philiſthiim ſex cubitos, & palmum non excedebat, & Og rex Baſan, cujus lectus ferreus ſervabatur apud Ammonitas, ut legimus cap. III. Deut. v. 11. habebat novem cubitos longitudinis. Lectos etiam tertia parte longiores fuiſſe ſcribit apud Grotium Maimonides. Cum ergo Gigantes, qui alios corporis proceritate antecellebant, fuerint viri ſexcubitales, illas plurium jugerum exuvias credimus fabuloſas. At elementares Theophraſti Paracelſi homunculi nihil ſunt præter dæmones; quos arte Perſpectivæ peritos, aptosque ad fingendum ludicras illas imagines hoc eodem libro demonſtravimus. Tametſi dæmon verum aurum & gemmas efficeret applicando, & invicem nectendo particulas quæ lapides & metalla componunt, mirum profecto non foret: ſed videmus fieri his fidentes pauperum plebisque ludibrium. Non latet præterea dæmonem locus, ubi theſauros ferax natura produxit, aut ſordida condidit avaritia. Chymica arte fieri aurum quidam opinantur, eisque blanditur quod narrant de Raymundo Lullo, & Arnoldo de Villanova. Extat apud Huetium in libro de rebus ad ſeipſum ſpectantibus inſigne de hac arte viri doctiſſimi teſtimonium, tenentibus poſſibilitatem Chryſopœjæ compluribus Auctoribus. Experimentorum, quæ hi commemorant detegit fallaciam venu-

23. Solutio.

stus ac festivus liber, cui inscriptio Democritus ridens.

24. An manifestetur Ecclesia per miracula.

Restat ut moneamus quare Augustinus in lib. de Unitate Ecclesiæ cap. 16. ait, *non ideo manifestari Ecclesiam, quia in ea miracula fiunt;* quæ verba opponunt nobis Heterodoxi. Itaque Sanctus Pater eo loci demonstrat Ecclesiam in sola Aphrica non consistere adversus Donatistas, qui eam esse apud se autumabant ob mirabilia quæ fecerant Donatus & Pontius. Primo ergo docet ista fuisse, *vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum.* Ait deinde, quod *Satanas transfigurat se tanquam Angelum lucis, & multos seduxerunt somnia sua.* Addit aliquando etiam Paganos & Judæos & Hæreticos exaudiri à spiritibus seductoribus, sive etiam ab ipso Deo, *vel ad pœnam malitiæ, vel ad solatium miseriæ, vel ad monitionem quærendæ salutis æternæ.* Post hæc, Donatistis Divinas Scripturas recipientibus, inquit veritatem, quæ agnoscitur in Canonicis libris, quærendam non esse, *in variis hominum rumoribus, & opinionibus & factis & dictis & visis.* Deinceps narrat opposita fidei Donatistarum argumenta, tradita ab Episcopis igni instrumenta Divina, furiosas mortes Circumcellionum, commissa ad eorum sepulchra vagorum vagarumque flagitia. Recensitis demum credibilitatis fidei nostræ argumentis, inter quæ enumerat *mirabilia exauditionum vel sanitatum*, in eam sententiam prorumpit: *Quæcumque talia in Catholica fiunt, ideo sunt approbanda, quia in Catholica fiunt: non ideo ipsa manifestatur Catholica, quia hæc in ea fiunt.* Horum ergo verborum sensus est, unitatem Ecclesiæ Canonicis scripturis probatam non posse labefactari mirabilibus, quæ Donatistæ jactabant; quoniam hæc vel erant portenta fallacia, vel præstigia dæmonum, vel patrata à Deo ad pœnam impiorum, aut solatium miserorum, non ad fidei veritatem firmandam, vel plurimis errorum portentis commaculata, vel mirabilibus Catholicæ Ecclesiæ minime comparanda. Ideo judicare, & distinguere inter istiusmodi miracula ipsam Catholicam, non his Catholicam dijudicari. Manifestum arbitror eo pertinere Augustini verba, ut obstruatur os loquentium mendacia, neque à Catholica Fide maximis jam miraculis confirmata quispiam novorum signorum occasione avertatur. Nam possunt pluribus titulis esse signa mendacii, atque de genere illorum, de quibus mihi videor satis disceptavisse.

CAPUT XXI.

De licita, & superstitiosa Magia, hujus origine, usuque execrando.

SUMMARIUM.

1. & 2. Probatur, dari aliquam magiam.
3. Propugnatur, dari aliud genus magiæ, cujus effecta naturalia non sunt.
4. Ostenditur, magica opera ab iniquo spiritu effici.
5. & 6. Defenditur, quodlibet magicæ artis portentum habere in se idololatriæ crimen, cultúmque dæmonis.
7. & 8. Asseritur, magicam artem incepisse cum idololatria.
9. Demonstratur, profiteri artes magicas esse detestabile scelus.

à num. 10. usque ad 13. refelluntur oppugnationes.

De Magia licita & superstitiosa.

QUANDOQUIDEM de mirabilibus dæmonum sermo nuper est institutus; persequar affine, proximumque argumentum de Magia, cujus effecta causasque varias Franciscus Victoria, Martinus Delrio, Guilelmus Parisiensis, Joannes Thomas Castaldus, aliique docti viri tradiderunt. Sed nos hoc postremo capite dicta ab eis stylo fusiori, & alia fortassis jucundiora, brevi contractoque expediemus. Magi ergo nomine intellexerunt Veteres genus sapientum & doctorum, quod habebatur in Persis, ut de Divinat. ait Cicero; eosque putat eruditus Ordinis Scriptor Fortunatus Scacchus Fanensis Myrothec. 1. cap. IX. Magoam regionem habitavisse. Nunc vero eo utimur nomine ad significandos homines, qui nova & mirabilia operantur, accepto potius in partem deteriorem. Et de magia quidem hæc sunt à nobis constituenda.

PROPOSITIO I. Datur aliqua magia, per quam arte, vel naturali scientia plura præter consuetum, & omnibus compertum naturæ ordinem efficiuntur. I. Propositio I. Datur magia naturalis vel artificialis.

Id 1. Probatur quoniam inditæ sunt ab Auctore naturæ singulis rebus virtutes non omnibus perviæ. Ut aliqua producam exempla; nesciunt plurimi magnete ferrum attrahi, lapide theama- Probatur 1.

de

de ex adverso propelli, serpentario sanari venena, assio leniri podagram, hæmatite oculorum abstergi lacrymas, samio, & ætite partum ac decidentem uterum contineri. Sunt & in herbis occultæ virtutes. Ajunt enim plantaginis semina confestim curare vulnera, apium rusticum strumas discutere, dictamnum infixas sagittas evellere, fulmine laurum non tangi, artemisiam itineris tædium suo odore dispellere. Ferunt & Axium Macedoniæ fontem lanarum mutare colorem, Sibarim capillos tingere, Lycum lucernas accendere. Quanta insuper Perspectivæ arte periti lucis inflexione faciant apparere, vel solum prisma demonstrat. Ingenio præterea, atque experimento tantam agendi facilitatem nonnulli acquirunt, ut aliquando ab ignaris malefici etiam habeantur. Gigis annulum, quo se occultabat, naturali arte perfectum non solus testatur Cicero in Officiis, sed & Gregorius Nazianzenus in Monodia. Confici pelves & annulos ad curandas ægritudines utilissimos demonstrat Petrus Crinitus libro IX. de Honesta disciplina cap. 5. Legimus Galenum Medicorum principem ægrotis quæ antea contigissent, & futura pariter enunciasse, & iccirco de consuetudine dæmonum fuisse suspectum. Hac nota non caruit vir doctissimus ac sanctissimus Severinus Boetius, ut in 1. de Consolatione ipse refert. Quanta hominum admiratione digni fuerint Albertus Magnus, Picus Mirandulanus, & Marsilius Ficinus, nullus ignorat. Statuas mathematica arte elaboratas moveri, demonstrant per Italiam pinacothecæ. Ludit etiam aliquando natura partibus suis singularem proprietatem largiendo. Esse homines qui aures movent vel singulas vel ambas simul, aut qui immoto capite totam cæsariem deponunt ad frontem, qui etiam voces avium imitantur, & eorum, quæ voraverunt præcordiis contractis, tanquam de sacculo integerrimum quod placuerit proferunt, scribit lib. XIV. de Civit. Dei cap. 24. Augustinus. Natum olim in Germania puerum, cujus objectum corpus clausa ostia protinus aperiret, auctor est in tertio de motibus animalium Albertus. Puerum quemdam in agro Mutinensi impune venenata animantia tractasse, septimios, ut vocant, contactu manuum sanare tumores, nonnullos eximiis viribus præditos esse, docent naturalium historiarum Scriptores. Ergo quisquis vel à natura insigni aliqua facultate donatus, vel philosophicis disciplinis imbutus, vel studio aut casu cognita vi herbarum lapidumque, insolita & prodigiosa patrabit, is minime damnandus erit magicæ artis superstitiosæ & maleficæ.

Possunt pariter à vehementissima animi apprehensione præter consuetum naturæ modum effici plura, quæ ignarum vulgus censet quandoque diabolica. Ne dicam de maleficiis, quæ sæpenumero suspicatur in puellis amore insano deperditis, perrara quippe sunt veneficia amatoria; legimus ex accepto tragicæ victoriæ nuncio repente Sophoclem, & Dionysium Siciliæ tyrannum corruisse: atque dum Crœsum regem nudato ferro quidam ex Persis aggrederetur, mutum filium linguam ingenti percussum metu solvisse. Hæc licet magica non sint, quatenus arte & nota causarum applicatione non fiunt, non sunt tamen vera miracula, neque præstigia dæmonum reputanda. Confirmatio.

PROPOSITIO II. Datur genus aliud Magiæ, cujus effecta naturalia non sunt, sed à spirituali aliqua separata substantia proveniunt. 3. Propositio 2 datur Magia spiritualis.

Historicis momentis, & manifesta ratione demonstratur. Etenim Numa Pompilius quid esset circa res sacras constituendum, audivit per hydromantiam, id est imagines apparentes in aqua: quo genere superstitionis à Persis derivato etiam Pythagoram usum fuisse Varro commemorat. Evocari etiam spiritus referentes imaginem mortuorum, quod Græce vocant Necromantiam, scribit S. Pater de Civit. Dei capite ultimo libri Septimi; in quem locum Ludovicus Vives cæteras magicæ superstitionis species, illarumque Auctores enumerat. Dari spiritus Pythones, quibus incantationibus nefarii homines Divinare præsumunt, sacræ quoque literæ commonstrant. Non semel in elementaribus corporibus dæmones conspici, & homines alloqui narrant Psellus, Cardanus, Kircherus. Omnia hæc nequaquam fieri virtute cœlestium corporum, nec sola imaginatione, suadet manifestissima ratio. Primo namque si idola hæc, & homunculi loquuntur, & occulta revelant, à spirituali aliqua substantia moveri debent; loqui enim & abscondita prodere est naturæ intelligentis officium. Deinde nemini res imaginariæ apparent, nisi interveniat exteriorum sensuum alienatio: hujusmodi vero locutiones fiunt interdum ad homines exterioribus sensibus libere utentes. Præterea non potest ex sola imaginatione acquiri intellectualis cognitio, ultra naturalem proprii intellectus facultatem, sive partam an- Probatur.

antea notitiam; quemadmodum constat ex somniis. Responsa ergo accepta à magicis simulacris, quibus occulta scelera, furta, & thesauri deteguntur, nequeunt in naturalem causam referri. Quod valet pari jure de omni ligatione, vel maleficio, in quo causæ prorsus disparatæ illud efficiunt, quod vi sua præstare alia ratione non possunt; ut dicam Propos. IV.

4. Propositio 3. Magica opera per dæmonem.

PROPOSITIO III. Magica opera ab iniquo & contaminato spiritu efficiuntur.

Probatur.

Etsi hæc propositio ex capite præcedenti consequitur; tamen ne quis plane rudis mira artis magicæ à Deo, vel Angelo bono operari arbitretur, eam ratione, historiisque confirmabimus. Vera enim miracula, quæ ad Dei cultum ac religionem pertinent patrari non possunt ope dæmonis, quoniam Satanas Satanam non ejicit; neque regnum Beelzebub stare potest, si ejus virtute corroboratur religio idololatriæ, & superstitioni contraria. Ergo nequeunt ex opposito portenta magica fieri Auctore Deo, vel bono Angelo, quoniam Dei virtus non potest adversus semetipsam pugnare, neque cultui idolorum & superstitioni conferre. Quamobrem Magicæ artis professores maximo odio Christianam Religionem semper prosecutos fuisse, narrant Ecclesiasticæ Historiæ. Videatur Sozomenus lib. II. cap. XI. ubi commemorat, quanta adversus Episcopos & Sacerdotes olim moliti sint Magi persæ. Celeberrimum Maruthæ apud Isdigerdem cum Magis conflictum describit Socrates lib. VII. cap. VIII. Persecutionem Valeriani suscitatam consilio perditissimi Magi Aegyptii, auctor est Dionysius Alexandrinus apud Baronium ad annum Chr. CCLVII Legimus Julianum Apostatam usum familiarissime Aedesio summo Ethnicæ superstitionis antistite, Chrysantio Sardiano, Prisco, & præsertim Maximo, quo diabolica carmina admurmurante simulacrum Hecatis renidebat. Ut ergo Moysi Incantatores Aegyptii, ita Christo Magicæ artis periti atrocissima bella indixerunt, Theodas primum, de quo Act. Apost. cap. v. 36. & Joseph xx. Antiq. cap. 2. postea Simon, aliique præstigiatores.

5. Propositio 4. Magicum portentum Idololatria est.

PROPOSITIO IV. Quodlibet Magicæ artis portentum habet in se idololatriæ crimen, cultumque dæmonis, aut expressum, aut interpretativum.

Probatur.

Cum enim Diabolus sit Divinorum honorum avidissimus, magiam instituit, ut hujus adminiculo sibi cultum & obsequium hominum captivaret. Quod duplici ratione callidus, invidusque serpens consequitur, expressa, tacitaque pactione. Ad illam vel per se, vel perditissimorum hominum ministerio trahere studet infirmiores atque scelestiores. Hi vel Catholicam Fidem audacter denegant, vel ore impurissimo Deo, Virginique Deiparæ maledicunt, vel jurejurando sese Diabolo devovent, vel turpi aliqua ceremonia frontem illiniunt quasi abradentes baptismum, vel impresso aliquo in carne stigmate captivorum, aut pecorum more obsignantur. Hæc sunt, quæ pactum cum dæmone explicitum appellare solent Theologi. Qui vero ad tantam impietatem & insaniam flecti non possunt, alliciuntur ad magiam notis aliis occultis, quas dæmones adinvenerunt, ut signa & characteres præstandi sibi honoris; quibus positis, quasi secreto contractu, intentum opus exequuntur: & hæc sunt pacti taciti argumenta. Igitur in omni magico eventu vel expressa, vel tacita conventione, exhibetur dæmoni honor, & cultus.

6. Probatur expressum vel tacitum cum dæmone pactum.

Expressum quidem cum dæmone pactum facile ex dictis dignoscitur. Erit tacitum, quotiescunque apposita signa non sint suapte natura ad productionem effectus ordinata, sed disparata potius, & omnino disjuncta. Sunt hujus generis pentagoni & circuli, inaudita Angelorum nomina, ignoti characteres, figuratæ laminæ, aliaque plura. Accedunt sacrarum rerum abusio, contortæ in alienum sensum scripturæ, Sacerdotalium indumentorum, lustralis aquæ, vel chrismatis malus usus, & execrabiliora sacrilegia, quorum vel nomen horremus. Hujusmodi sunt instituti in Religionis contemptum novi ritus, ut certus candelarum nnmerus, determinata corporis positura, illius situs vel horæ superstitiosa observatio. Consimilis est applicatio rerum, quæ omnino superfluæ sunt, ut ad expellendum dæmonem radere pilos, & incedere nudo altero pede, passisque capillis; uti ad maleficia laqueo suspendiosi, culcitra feretri, tædis sepulchralibus, vel denique ad conatum faciendæ amicitiæ ossibus, plumis, vittisque laneis: quæ omnia ex Gentilium superstitione derivasse liquet ex libro III. Propertii, ex IX. Lucani, & ex Ecloga VIII. Virgilii: in qua Alphesibœus commemorans quæ parabantur ad maleficia, ait:

Ducite ab urbe domum mea carmina, ducite Daphnim.
Terna tibi hæc primum triplici diversa colore
Licia circumdo: terque hæc altaria circum
Effigiem duco, &c.

PRO-

7. Propositio 5. origo Magiæ cum Idololatria. Probatur.

PROPOSITIO V. Simul cum idololatria magica ars cœpit exerceri: unde & ipsa à posteris Cham disseminata est.

Hinc exortum Polytheismum, aut saltem per orbem dispersum, opinio nostra est alibi confirmata. Polytheismi autem individuam esse superstitiosam magiam, atque ex posteritate Chami diffusam, hisce momentis demonstro. Idem Apulejus in Apologia 1. ait; *Magia est ars diis immortalibus accepta, colendi eos & venerandi prognata, pia, & Divina sciens:* Et Plato in Alcibiade, Magicam Zoroastri artem adinventam scribit, *ad plurium Deorum cultum.* Idem observat Lactantius lib. 2. de Origine Erroris cap. 17. Præterea Scriptores omnes Magiæ auctorem faciunt Zoroastrem; quem, licet Historici diversa tradant, firmissime arbitror esse, aut Cham, aut filium ejus Chus, aut filium Chus Nembrodum. Movet me primum auctoritas Veterum; Scriptor Recognitionum, quæ tribuuntur Clementi libro IV. num. XVII, Gregorius Turonensis lib. 1. Hist. cap. 5, aliique permulti. Deinde Rerum Aegyptiarum Scriptores animadvertunt Saturnum Aegyptium & Zoroastrem eumdem hominem esse: at Saturnum Aegyptium esse Cham filium Noe, videtur mihi satis manifestum ex columna, quam, auctore Xenophonte, Semiramis Nino regi dicavit, in qua legitur hujus mulieris patrem fuisse Belum, Avum Saturnum Babylonium, id est Nembrod, Abavum vero Saturnum patrem Aegypti, id est, ipsum Cham, qui genuit Chus, & Mesraim; ut habetur Gen. x. 6. Quare si Zoroaster idem est ac Saturnus Aegyptius, nequit alius esse præter filium aliquem Noe. Idem conjicitur, ex quo antiquissimum numen Aegyptiorum appelletur Serapis; ut recte Clemens Alex. lib. 1. Strom. & S. P. lib. XVIII. de Civit. Dei cap. 5. Serapidem vero dictum arbitror à *Seraphi*, scilicet *ardentem splendidumque;* unde Macrobius Serapidem solem esse contendit. Existimabant enim antiquiores idololatræ defunctos Reges symbolis siderum, animalium, aliarumque rerum esse colendos. Porro idem fere significat nomen Zoroastris, quod communiter interpretantur *vivum & rutilans sidus.* Persas etiam Pyræum Deorum maximum habere, & in cultum solis ignem custodire, eique sacrificare Magos ante vaticinia, scribit de bello Persico lib. 2. Procopius: quod & asserit de Aegyptiis lib 3. de Præp. Evang. cap. 2. Eusebius. Valde ergo probabile est, Chamum errore imbutum à viris pessimis. qui perierunt diluvio, esse Idololatriæ & Magicæ artis propagatorem, dictum à posteris Saturnum, Serapidem, Zoroastrem.

8. An Zoroastres sit idem ac Moyses.

Neque aliquem movere debet, clarissimum Huetium in demonst. Evang. Prop. IV. cap. v. contendere quod Zoroastres sit idem, ac Moyses; & alios Scriptores illum etiam posteriorem Moyse fecisse, Ethnici enim ad sacram historiam gentis suæ origines addiderunt, ac veritatem cœnosis rivulis conspurcarunt, regibus, satrapisque suis Hebræorum Patrum datis characteribus. Inveniemus propterea non unum esse neque Saturnum, neque Serapidem, neque Zoroastrem. Scimus fuisse Zoroastrem Bactrianum, de quo Augustinus lib. XXI. de Civit. Dei cap. 14, & plures hujus nominis extitisse scribunt Plato in Alcibiade, Clemens in v. Stromaton, Vossius etiam in 1. de Idolol. & Cotelerius in Notis ad IV. Recognitionum. Antiquiorem autem Zoroastrem Chamo invenire non possumus, ideoque ab eo profectam magicam artem idololatriæ germanam, magna cum probabilitate asseruimus.

9. Propositio ultima. Professio & exercitium Magiæ scelus est. Probatur.

PROPOSITIO ULTIMA. Artes magicas maximum, & summopere detestabile scelus est profiteri, atque exercere.

Hanc propositionem præcedentium consectariam superfluum est demonstrare. Horrendum quippe crimen est Dæmonem coli, & obsequium præstari spiritibus invitatis: quod in omni Magica superstitione ostendimus evenire. Quapropter Levitici XX. legitur: *Vir sive mulier, in quibus Pythonicus, vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur: lapidibus obruent eos; sanguis eorum sit super illos.* Et, *Anima, quæ declinaverit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui.* Itaque jure, & merito Christiana Religio unius ac summi Dei veneratrix maleficam artem damnat, libros incendi jubet, & ariolis magisque extremum supplicium infligit.

REFELLITUR OBJECTIO.

10. Objectio.

In patrocinium magiæ illud objici potest, quod videtur etiam Moyses illam exercuisse. Celeberrimum Magum eumdem appellat in altera Apologia ad Claudium Maximum Lucius Apulejus, & Plinius lib. XXX. Hist. Natural. cap. 1. Et quidem parum à magica arte distare videntur virgæ usus ad mare trajiciendum adhibitus, gemina petræ percussio, ligni in aquam immissio, manuum ad percutiendum Amalecitam erectio, & serpens æneus exaltatus in pertica. Quin & Ma-

gicæ superstitionis insimulari possunt Christiani, Romanæ præsertim communionis, qui Martyrum ossibus ac cineribus, candelarum lumine, lustrali aqua, thurisque suffimento persæpe utuntur: non enim ista à magicis ceremoniis multum discrepant. Hinc ut Christiani in idololatris magiam damnant, ita ipsi apud Ethnicos tanquam magicæ artis professores audierunt; atque nuncupati sunt à Suetonio in Nerone, *Genus hominum superstitionis novæ, & maleficæ*; moresque illorum Tacitus lib. xv. Annalium appellavit *superstitionem exitialem*. Falsum præterea est magica opera effici dæmone opitulante. Inter gratias enim gratis datas justis, impiisque aliquando communes, connúmerantur dona linguarum ac sanitatum. Scelesti ergo impiique, dum morbos curant, aliaque mira operantur, nulla malefica arte hæc præstant, sed dono Dei. Postremo non omnes magi cultum dæmonibus exhibent, sed exorcismis ac ritibus suis eos compellunt, atque ut sibi obtemperent vi adigunt. Horum ergo artes absque fidei, ac religionis dispendio, dummodo in aliorum perniciem non vergant, permitti poterunt.

11. Responsio. Sane ista nullius propemodum sunt momenti. In Moysis enim portentis interfunt omnes veri miraculi characteres Prop. 3. recensiti capite præcedenti; maxime quod adversus idololatriam patrata sunt, neque potuerunt magicis incantationibus superari. Ex quo sequitur non esse opera dæmonum, quæ horum cultum, potestatemque fregerunt. Dictum quoque paullo supra, Mosaicam legem ariolos & Pythonicos mortis supplicio mulctare. Fallitur ergo Apulejus, & suomet testimonio refellitur; quippe in Apol. 1. definit Magiam, *artem colendi Deos:* & in religione Mosaica unum coli numen tradit etiam Tacitus in lib. Historiarum v. Plinius tum in his decipitur, cum etiam quod facit Moysen, & Jannem unius factionis, & secutus Hermodorum Platonicum ait Moysen fuisse multis millibus annorum post Zoroastrem. Virga autem, manuum erectio, serpens æneus, aliaque à Moyse adhibita, quoniam non poterant commendare idololatriam, erant signa veræ Religionis, & typus crucis, & mortis Christi. Is etiam, ejusque discipuli, cum dissolvant opera diaboli, nequeunt insimulari artis magicæ. Quamobrem usus reliquiarum, lustralis aqua, Crucis signum, & hujus generis reliqua, signa sunt veræ religionis: & his quoque monstratur non servari apud Novatores Ecclesiam Dei. At Suetonius, Tacitus, Plinius aliique Ethnici appellaverunt Christianos superstitiosos & maleficos duplici ex capite. Primum quia Christiani plurium Deorum cultum abjiciunt: deinde quoniam maleficia etiam Romanorum legibus damnata erant, ut referunt Seneca lib. III. Nat. quæst. cap. 7. & idem Plinius lib. XXVIII. cap. 2. & ideo hujus criminis Cristianos insimularunt, ut magis illos redderent odiosos.

12. An Magia sit gratia gratis data. Errore in magno versantur, qui Magiam quasi gratiam gratis datam honestant. Differunt gratiæ gratis collatæ à magicis artibus, quod illæ à Deo absque disciplina studioque donantur: magia vero comparatur lectione librorum, & Pseudomagistrorum institutione. Præterea gratiæ illæ non pendent à vanis observationibus, nec postulant media quædam indifferentia, cujusmodi sunt colligatio chartulæ, capillorum abrasio, florum manipuli, & cætera, de quibus Propos. IV. diximus tacitam cum dæmone habere pactionem. Sunt etiam gratiæ omnes Dei beneficia, imo, quædam motiones ipsius Dei supernaturaliter operantis, sive habitus supernarum virtutum, quibus ad maleficia nullus uti potest, quemadmodum magicis institutionibus. Fieri tamen potest, ut etiam improbis hujusmodi gratiæ à Deo conferantur, quod vidimus Prop. 2. cap. XX. & posteaquam auctore Deo mira evenerunt effecta, ita ab ingratis impiisque prædicari, quasi ad institutum vitæ eorum decorandum divinitus contigissent.

13. Magica incantatio non est Exorcismus Ecclesiæ. Rapiuntur pari jure in errorem, qui magica incantatione inquiunt invitum dæmonem compelli, ut probatis ab Ecclesia exorcismis. Adjurant enim spiritus per nomina diabolica, eaque etiam Divinis conjungere audent, quasi haberet potestatem eamdem Dei nomen, & Beelzebub: atque inter Angelos Dei etiam dæmones impurissimos ore sacrilego invocant. A quatuor mundi plagis nudo capite, thurisque fumigiis spiritus incestos allectant, & si appareant, salutem nunciant, sibique jurejurando devincunt. Ministros etiam Ecclesiæ habitu, incessu, ritibusque exprimunt ad impudentiæ ludibrium. Sunt ergo sacrificuli idololatræ mancipia Satanæ, necnon sacrorum irrisores ac mimi. Atque hæc est de Angelis, ac Dæmonibus disputatio nostra præposteta forsitan, & incondita, expleta tamen omnibus suis partibus.

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER UNDECIMUS,

In quo de rebus aſpectabilibus, earumque productione atque ætate, quid Candidatis noſtris tenendum ſit aperitur.

De rebus aſpectabilibus, earum productione, & ætate

POSTEAQUAM diſputatio inſtituta eſt de productione, poteſtate, ac miniſteriis Spirituum, contemplanda nobis occurrit rerum corporalium digeſta moles, ſive mundus iſte ſpectabilis. Hunc quidem, Auctore Eccl. III. 11, tradidit Deus diſputationi eorum, qui Dei opera non invenerunt; atque ideo plura commenti ſunt de anima, vel ſpiritu materiam univerſam pervadente, in eaque exercente vim plaſticam, permulta de mundi aut ſphærica aut indefinita extenſione, complura de ſyſtemate, atque de fluido, vel denſo cælorum corpore: in quibus convenire nequeunt Plato, Pythagoras, Ariſtoteles, Ptolomæus, Copernicus, Carteſius, cæterique duces Philoſophorum. Nos vero, his brevi expoſitis, aut penitus prætermiſſis, animadvertentes quod ſacræ proponunt literæ, unum eſſe altiſſimum Creatorem omnium, præterire, atque advenire mortalium generationes, & cuncta demum tempora trahſitura, contenti erimus pauca tradere de Mundi creatione atque interitu; ne Divina tractantes de fluxis incertisque nimium ſoliciti videamur.

CAPUT I.

Hiſtoriam Creationis ex libris Moyſis, non ex Ethnicorum fabulis eſſe deducendam.

SUMMARIUM.

1. Status quæſtionis.
2. 3. & 4. Probatur, narrationem Moſaicam de mundi primordiis eſſe cæteris omnibus præferendam.
5. usque ad 9. Solvuntur objectiones.

1. Unde ſummenda Hiſtoria Creationis.

ILLUD tantum in quæſtionem hoc loco vertimus, utrum ſervatis regulis Critices, perlectisque variis Aegyptiorum, Chaldæorum, Græcorumque Hiſtoriis, ubi plura de Mortalium origine, vetuſtate regnorum, temporumque diſtributione narrantur, Hiſtoriam, & Chronotaxim Moſaicam amplectamur; an profanam potius, vel ſæcularem; nam an libri Moyſis Divinam habeant auctoritatem, & ſint Deo afflante conſcripti, differendum eſt alibi.

2. Propositio. ex narratione Mosaica.

Probatur 1.

PROPOSITIO. Disputantibus de mundi, aliarumque rerum primordiis Mosaica narratio est cæteris omnibus præferenda.

Dum quæritur de rebus ab ætate nostra remotissimis, iis Auctoribus major fides debetur, qui sunt cæteris antiquiores, omnesque veritatis notas præseferunt. Ac talem esse Moysem comprobat veritas eliquatissima. Hujus antiquitas principio deprehenditur, quod nulla gens sit vetustior Hebræa, quemadmodum vel ipsa lingua demonstrat, parens, & genitrix cæterarum: Atque inter gentis hujus Scriptores nullus supereſt ipso Moyse antiquior, aut clarior. Verum prætermissa nunc Origine Gentis, Moysen Historicis omnibus antecessisse probant Clemens Alexandrinus in I. Stromateon, S. Cyrillus adversus Julianum, & in perpolito Opere demonstrat. Evangelicæ Prop. IV. doctissimus Abrincensis Episcopus: idque nos sequentibus argumentis ducti affirmamus. I. Diodorus diligentissimus rerum antiquarum scrutator ait Moysen primum omnium populis persuasisse, ut legibus scriptis uterentur: de quo Diodori testimonio vide memorato libro primo S. Cyrillum. Eupolemus & Artabanus tradunt fuisse Moysen literarum inventorem, & Mercurium illum, quem apud Græcos omnes Latinosque Scriptores constat literas gentem Aegyptiam docuisse. Hoc tamen de prima literarum inventione ego minime assentior, quamquam literas hunc habuisse auctorem vulgaris sit Nostratium, & Hebræorum opinio, ut affirmat Ludovicus Vives Com. in cap. 39. lib. XVIII. de Civit. D. & P. Haïe in Prolegomenis ad Bibliam Maximam. Institutorem tamen illum dicimus, ut Cadmum apud Phœnices, quod scribendi artem coluerit, exornaverit, omniumque mortalium primus in ejus exercitatione claruerit. Vide quæ de Moyse scripserunt apud Josippum in priori libro contra Apionem Manethos Aegyptius, & Hermippus viri circa omnem historiam diligentissimi. II. Ipse Apion Grammaticus in IV. Aegyptiarum Historiarum libro fatetur Moysem fuisse synchronum Inacho Argivo. Ex rebus autem Græcis sunt antiquiores Argolicæ, quæ originem ducunt ab Inacho, ut docet Dionysius Halicarnassæus de Temporibus: Argolicis autem recentiores sunt Atticæ quatuor saltem generationibus; & hæc novem Arcadicas præcesserunt. Cadmum quoque græcarum literarum institutorem Thebas adventasse tempore Lyncæi, & septima post Moysen generatione, probat S. Clemens Alexandrinus. Vetustior est ergo Moyses Scriptoribus omnibus, quos proferre potest Græcia mendax & loquentissima, fuitque cum nondum ipsa Grammatices nosceret elementa. III. Nullum Scriptorum, quos superstite fama celebramus præcessisse Moysis ætatem ex eorum chronologia facile comprobatur. Herodotus historiæ parens, ut in I. de Legibus appellatur à Tullio, vixit sub Xerse, & natus est Octennio post pugnam Marathoniam, quæ contigit anno I. Olympiadis LXXII. Hunc subsecuti sunt Thucydides, qui floruit tempore belli Peloponnesiaci, excitatus ad condendam historiam æmulatione Herodoti; Xenophon, quem floruisse Olymp. XCIV. scribit Laertius; proximus huic Anaximander Milesius, aliique posteriores. Inter Aegyptios antiquissimus est Berosus, quem ita dici placet Scaligero & Vossio, quasi Oseæ filium: & hunc natum biennio ante obitum Alexandri, librosque suos, quibus Chaldaica defloravit, obtulisse Antiocho Θεῷ filio Antiochi Soteris, demonstrat citatus Vossius lib. I. de Histor. Græcis cap. XIII. Post Berosum digessit Aegyptiorum tempora Manethos Sebenita hortante Ptolomæo Philadelpho, eaque perduxit ad Darium Codomannum, quem Alexander Macedo debellavit. Ex quo primum Julius Africanus temporibus Severi Imperatoris, postea Eusebius sub Constantino celebres Dynastias exscripserunt. Horum etiam scripta edita ab Annio Viterbiensi spuria & suppposititia esse, recte animadvertit Possevinus lib. I. Biblioth. Select. eaque Eruditi omnes tanquam commenta fluxæ fidei rejiciunt. Theodotus, qui memoriæ tradidit res Phœnicum est ætatis incertæ; sed meminit suis in libris Judæorum, ut constat ex libro I. Josephi contra Apionem. Historiam Romanam primus omnium soluta oratione scripsit Fabius Pictor, dictus à Livio lib. II. *longe antiquissimus auctor*. Neque poetæ sunt Hebræorum legislatore seniores. Homerum Suidas ex Porphyrio refert vixisse ante primam Olympiadem annis CXXX. Orpheus Linum paullo antecessit, Linus Herculem, Hercules, si credimus Tatiano, unius hominis ætate bellum Trojanum antevertit; sunt cæteri omnes juniores. Nullus ergo ante Moysem Historias aut edidit, aut incrustavit.

3. Probatur 2. ex Daniele Huetio.

Præterea, ut fruamur assiduis vigiliis, & summa eruditione Danielis Huetii; is demonstrat, ex libris Moysis Priscorum omnium doctrinam promanasse. Sanchoniathonem de rerum principiis, &

& mundi origine ex Taauto, scilicet Moyse narrationem hausisse; illum vero esse Trojanis temporibus longe vetustiorem: Homerum sexcenta narrare ex Moyse deprompta: Thaletem lucem posteriorem tenebris, & aquam principium rerum corporearum statuisse ex Theologiæ Moysis rudimentis: Pythagoram Hebræis præceptoribus usum, hominem ad Dei imaginem conditum definire, & prohibere esum morticinorum: Platonicam pariter, & reliquas Philosophorum sectas ex Judæorum doctrina manasse, quomodo apud Clem. Alex. in v. Stromatum ostendit Aristobulus Judæus: Manethonem tradere Israelitici populi historiam à Moyse conscriptam, quamquam fabulis pluribus infuscatam, hinc cæteros Scriptores singulos, corruptis ab Ethnicis fontibus, ebibisse: Moysem denique esse Mercurium, Osiridem, Bacchum, Serapidem, & quidquid Divinum Gentilium Theologia comminiscitur. Verum an talis revera sit antiquitas Sanchoniathonis, quem constat meminisse temporis conditæ Tyri, extructæ anno septuagesimo sexto ante cladem Trojanam: atque an Dii omnes in unam Moysis Personam sint referendi, ad præsens non attinet institutum. At de Moysis antiquitate otiosum erit verba plura prodigere.

4. Probatur 3. Ingenui autem Scriptoris notas in Moyse promptum & facillimum erit deprehendere. Has inter occurrit stylus non fucatus verborumque pigmento illitus, neque fimbriis luxuriantis orationis, & peregrino habitu incedens; sed simplex, gravis, necnon primigeniæ linguæ phrasi, sententiis, nativisque idiotismis confertus. Accedit humilitas, qua de se loquitur ubique demisse, narrans obscuram de domo Levi generationem suam, fugam ex Ægypto, murmurationem adversus se populorum, atque pœnam immissæ sibi mortis extra terram Chanaan, quoniam prævaricatus fuerat in Cades ad Aquas contradictionis. Non simulatum, nec fallacem ejus animum; sed sincerum rectumque, præfert aperta rerum gestarum narratio, criminis quoque patrati ab Aaron, cum vitulum aureum conflavit magno populi sacrilegio obsecutus: tametsi erat ille Pontificali honore condecoratus, & genitus eodem semine ac utero. Nec Mariæ sorori pepercit, ipsius murmur, & elephantiasin, molestum, fœdissimumque morbi genus, commemorando. Complectitur autem Historia Moysis res majorum traditione confirmatas, peractas coram ingenti multitudine, coram Pharaone & Optimatibus Aegypti, adversus hos, aliorumque Regnorum potentes, strenuosque proceres; qui fictas in gentis suæ dedecus fabulas in orc hominum vagari non permisissent. Quod ubi floreſcente jam Hebræorum Republica, aut post excidium Hierosolymitanum dispersa aliqui tentaverunt, fuerunt momentis invictissimis refutati. Tradunt insuper Moysis scripta omnium vetustissimarum Religionum integerrimam castissimamque, unius Dei cultum, idolorum contemptum, leges regendis populis percommodas, & reliquarum inviolatum exemplar, sanctissima ad officia virtutum monita, incitamenta majorum, scelerumque debitam pœnam, & definiendarum causarum aut puniendorum maleficiorum judicialia sine asperitate arbitrioque præcepta. Atque hæc illius veritatis, quæ non est à probitate & sanctitate divulsa, veritatis nempe nulla caligine erroris conspersæ monumenta sunt invictissima. Prætereundum non est librorum Moysis auctoritatem etiam Divinis miraculis elucescere; atque prætermissis aliis, hoc uno, quod tanta cura asservati inter Hebræorum clades, exilia, captivitates, & urbium ac templorum incendia ad nos usque pervenerint, asservatisque per orbem terrarum exemplaribus populorum omnium lingua translatis, concordia mirabili muniantur. Quæ si non videntur optimi Historici notæ; me fugit quænam auxilia ad veritatis confirmationem possimus ascisccre. Igitur nullum invenire possumus Generationis mundi Scriptorem præferendum Moysi, sive spectata hujus antiquitate, sive expensis notis Criticis veritatis: quod erat probandum.

Contrariæ argumentationis refutatio.

5. Objectio 1. contra Moysem. Moysem non esse antiquiorem cæteris Scriptoribus evincitur primo ex vetustissima Aegyptiorum origine, quæ Hebræorum nativitati multis annorum millibus anteccssit: quomodo vel è solis Dynastiis à Julio Africano, & Eusebio conscriptis poterit quisque conjicere. Deinde ex libris Mercurii Trismegisti, quos supposititios censent equidem morosi Critici, sed veteres Patres adversus Gentes sæpenumero laudant: quorum Auctor pluribus ante Moysen sæculis creditur floruisse. Ulterius legimus Act. VII. 22. ipsum Moysen eruditum fuisse *omni sapientia Aegyptiorum*: imo Philo libro 1. de ejus vita, etiam Græciæ doctissimos ait fuisse ad pueri insti-

tutionem accersitos. Mercurii columnas antiquissimorum temporum historiis inscriptas etiam Eusebius & Georgius Syncellus commemorant. Demum in Chronico ejusdem Eusebii legitur Moysem vixisse ætate Cecropis, ideoque tercentis ferme annis post Inachum. Non est ergo Historia Moysis tanti ob meritum antiquitatis facienda.

6. Objectio 2. Expers quoque est notarum, unde veritas elucescit. In sola enim Geneseos historia, (nam de cæteris libris disceptare nostra non refert) Auctor à mendaciis non temperat. Narrat cap. IV. 17. Cainum civitatem Henoch ædificasse, cum vix quatuor homines viverent. In XXXVI. capite v. 31. meminit Regum Israel, quorum primus fuit Saul inunctus circa annum 2909. & cap. XI. 6. mentionem facit Chananæorum, qui suo tempore nondum erant exterminati, tanquam populorum vix memoria superstitum. Joseph etiam Gen. XL. 15. ait sublatum se de terra Hebræorum; quando scilicet Chananæa nondum terra Hebræorum poterat appellari, vix una, vel altera familia Hebræa inter Chananæos commorante. Libros præterea legis Mosaicæ ab Antiocho concrematos & conscissos, habetur in I. Macchabæorum cap. I. 59. Ergo qui nomine Moysis circumferuntur spurii sunt, & spongia à mendaciunculis abstergendi. Accedunt argumenta Manichæorum, quæ probant librum Geneseos auctore Diabolo editum esse, cum innumera horrendaque scelera celebret, ut Loth cum filiabus concubitum, Judæ cum Thamar, Jacobi cum germanis sororibus, Abrahæ simul cum uxore & cum pellice, aliique plura apud Faustum. Ex quibus confectarium est, Scriptorem Historiæ Geneseos neque esse perantiquum, neque veracem, neque probum ac bene moratum.

7. Responsio contra Ægyptios. Resp. mendacissimam esse vanitatem Aegyptiorum, tanta annorum millia in supputatione ævi sui numerantium. *In quibus enim libris istum numerum collegerunt, qui non multum ante annorum duo millia literas magistra Iside didicerunt? Non enim parvus est in historia Varro, qui hoc prodidit, quod à literarum etiam Divinarum veritate non dissonat.* Hæc Augustinus lib. XVIII. de Civit. Dei cap. 40. Fuerunt autem Aegyptiorum anni quatuor duntaxat mensium, & dynastiæ collaterales, & implicitæ: quod ostendam inferius. Quare conciliari potest ipsa Aegyptiorum historia cum Sacra; & Mercurii Trismegisti antiquitas ad posteriora tempora coarctari. Vetustissimum Mercurium Huetius credidit ipsum Moysem: nos cultum hoc nomine à posteris Chami arbitramur Jubal patrem *canentium cithara & organo*, de quo IV. Gen. 21. Mercurii opera alibi ostendimus esse supposita: neque auctoritati Patrum minimum derogatur; quoniam cum veteres crederent Mercurium literas primo invenisse, Aegyptii Scriptores vetustissimi Mercurii titulo Commentaria omnia inscribebant, eique sapientiæ suæ consecrabant inventa, auctore in capite I. de Mysteriis Aegyptiorum Jamblico. Divinare propterea non possumus, à quo edita sint Mercurii opera à Clemente Alexandrino, aliisque laudata; nec tamen Pœmandrem tenemur agnoscere ut germanum Mercurii fœtum. In hoc enim libro exponitur mundi genesis ut refertur à Moyse: unde hujus Cosmopœeja Mercurii auctoritate nequit convelli. Mercurii columnas vel Sethi nepotes inciderunt, quomodo Josephus scribit in I. Antiq. cap. 3. vel nepotes Misraim, vel Aegyptii posteriores, qui in pretio leges Moysis habuerunt, quem etiam Osiridem hujus nominis tertium possumus cum doctis viris existimare. At vel genealogiam Patriarcharum, vel Hebræorum leges exhibuerint, fuerunt Mosaicis literis consentientes. Institutum Moysem omni sapientia Aegyptiorum, sive fuerint scientiæ Astronomicæ literis hieroglyphicis traditæ, sive aliæ etiam illuc à Joseph filio Jacob translatæ, neminem fugit: at in Aegyptiis nullam sapientiam fuisse contendimus hebraica antiquiorem, à Moyse ad hæc usque tempora custoditam. Philo autem Judæus Patriæ potius, quam Hebræorum honori consulit; & quidem male, quoniam ante septem Græciæ Sapientes, ac primam Judæorum captivitatem, nulla apud Græcos extitit Philosophia. Cecropi etiam Augustinus lib. XVIII. de Civit. Dei cap. XI. supparem facit Moysem: atque hac in parte Chronicon Eusebii probat Scaliger, damnat antilogiæ Georgius Syncellus; nil autem prohibet, ut asseramus plures extitisse hujus nominis, præsertim cum aliqui scripserint à Cecrope primum bovem fuisse immolatum, & illum victimas abdicasse testetur in Archadicis Pausanias.

8. Responsio ad menda in Genesi. Neque vero sunt in Genesi menda, quædigna sint ut litura tollantur. Quomodo Cain unam, & plures etiam potuerit condere civitatem, demonstrat in XV. de Civit. Dei cap. VIII. Ecclesiæ Sol Augustinus. Primorum quippe ho-

hominum vita tam longa fuit, ut unius hominis filii possent etiam urbes amplissimas constituere: neque Henoch fuit unicus Caini filius, sed ille, à quo magna ipsius & celebrior posteritas sata fuit. Refert in hunc Augustini locum Vives fuisse memoria patrum in Hispania haud exiguum vicum, cujus omnes incolæ erant à sene quodam adhuc vivente progeniti. Narrat Brussonius Hist. Ital. lib. 36. Pinem inventa insula ad Australem plagam spatio annorum viginti sexaginta filiorum suorum junxisse connubia, natosque ante obitum è semore suo numerasse 1789. cum ipse nondum expleſſet annum ætatis octogesimum. In Gen cap. 36. Reges Israel Moyses futuros prævidit, quod sibi fuisse à Deo revelatum liquet ex XVII. Deuteronomii 14. Duodecimo autem cap. v. 6. ait Chananæos in ea terra sedem fixisse, quando illuc appulit Abraham: id autem est verum, etiamsi scribente Moyse nondum fuissent expulsi. Sublatum se inquit Joseph de terra Hebræorum, ea videlicet, ubi posteri Abraham, & familia Jacob propinquis gentibus notissima commorabantur; & quodam possessionis jure fixerant domicilia. Ab Antiocho non omnes libros legis fuisse conscissos, sed publicos, & qui ad manus militum pervenerunt, constat ex eodem libro Machabaico cap. III. 48. & cap. XII. 9. Manichæorum argumenta diluentur, ubi de lege veteri disputabitur; nunc enim satis est, si ad ea, quæ facta videntur cum probro atque dedecore, respondeamus cum Augustino libro XXII. contra Faustum cap. 45. *Narrata ista sunt, non laudata.*

9. Unde Hebræi dicti.

Quoniam plura hoc loco de Hebræorum antiquitate dicta sunt, addam pauca de ipso nomine; cujus explicatio deservit diluendo alteri argumento adversus Pentatheuci veracitatem; quamvis de priori tantum libro instituta sit disputatio. Itaque Hebræos aliqui dictos putant ab Heber filio Sale, ac pronepote Semi, nonnulli ab Abraham, quidam ab עבר *Haber*, quod est *ultra*. Tenet priorem sententiam S. Pater lib. XVI. de Civit. Dei cap. XI. alteram lib. I. de Consensu Evangelistarum cap. 14. postremam q. 29. in Genesim. Et hæc quidem videtur probabilior, cum Abraham omnium primus Gen. XIV. 13. sit appellatus Hebræus quoniam profectus erat trans Euphratem. Idem est ergo Hebræus, ac *Transfluvialis*, sive, qui venit ultra fluvium. At particula עבר *Heber*, significat tractum, qui fluvio abluitur, sive citerior sit, sive ulterior, ut observarunt Pagninus, Buxtorfius, Junius, Glassius, & alii: eademque vis est græcæ præpositionis περαν. Nam Esaiæ IX. dicitur Galilæa עבר הירדן *trans Jordanem*: & tamen habita ratione Judææ est utraque Galilæa cis Jordanem. Et Joannis I. 28. Bethania dicitur περαν του Ιορδανε, *trans Jordanem*: licet & hæc sit citra flumen: quod antiqui Græci non animadvertentes pro Bethania *Bethabaram* posuere. His exemplis refelluntur qui conantur probare Moysem non esse Auctorem Pentatheuci, quoniam Deuteron. I. legitur: *Hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israel* בעבר הירדן *Trans Jordanem*, & ipse nunquam Jordanem pertransiit. Hoc enim loco denotat בעבר citeriora. Satis de Historia Moysis: jam ad instituta pergamus.

CAPUT II.

De acuta & ingeniosa sententia Augustini exponentis dies Geneseos per varias Angelorum perceptiones.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.

2 & 3. Probatur, non esse audiendos, qui carpunt Augustinianam de simultanea creatione sententiam.

à num. 4. usque ad 9. Propugnatur, eandem Augustinianam de simultanea creatione sententiam esse verè probabilem, imò propè certam.

10. Affirmatur, non debere Augustinianos sententiam præcedenti oppositam tanquam apertè falsam refellere

à num. 11. usque ad 23. enervantur oppugnationes.

1. Juxta S. Aug. sex dies Geneseos distinguuntur per diversas cognitiones SS. Angelorum.

ERGO Moyses Mundi creationem spatio sex dierum perfectam fuisse in sua Historia testatur; ita ut primo die Deus condiderit lucem, in altero firmamentum, & cœlum, in tertio terram, maria, & genus omne stirpium ac plantarum, in quarto solem, lunam & sidera, in proximo volucres, & reptilia, in sexto jumenta, & præstantissimum animal hominem: in septimo de-

ni-

nique ab omni opere requieverit. Quos dies naturales esse, & spatium 24. horarum percurrentes, sentit major numerus & Patrum, & Theologorum, & Interpretum. At Augustinus, qui data opera in eorum inquisitionem mentem omnem intendit, distinguendos putat per diversas cognitiones Angelorum Sanctorum, modo explicato in libro superiori cap. VIII. & IX. Atque Augustinianam sententiam nonnulli quidem, quasi erroneam & cum scriptis à Moyse aperte pugnantem damnarunt, ut Molina, Cornelius à Lapide, Arriaga, & Moraines; alii digna Augustino reverentia tanquam minus probabilem suo reliquerunt auctori, ut Estius, Natalis Alex. & alii juniores Thomistæ: non pauci etiam pro illa, tanquam pro aris focisque decertant, quorum nonnullos sum paullo post laudaturus. Mihi quidem non videtur necessarium pro ea tanta cum pervicacia pugnare, quum ipse Augustinus aliam oppositam defendi posse concedat, cum de Gen. ad lit. lib. IV. cap. 28. tum de Civit. Dei lib. XI. cap. 7. ubi tanquam probabile assertum præmittit, lucem, qua sine sole peracti sunt tres dies primi, fortassis fuisse lucem corpoream, unde postmodum ipse sol fuit accensus. Operæ ergo pretium me arbitror facturum esse, si ut Augustini discipulus illatam ei calumniam depulero; posthac argumentationes sententiæ suæ communiero animadversionibus meis, qualescunque illæ demum futuræ sint: & denique verum absque studio partium judicium de sententia contraria pronunciavero. Itaque sit.

2. Propositio I. Audaces sunt contrariantes S. Augustino.

PROPOSITIO I. Audaciæ potius & fidentiæ vitio, quam doctrinæ laude debent notari, qui maledico dente carpunt Augustinianam de simultanea creatione sententiam.

Probatur I.

Duplici argumento hæc assertio fulcitur. I. Mira est eloquiorum Divinorum profunditas, & qui eam humano ingenii acumine non attingunt, si falsitatis arguant aliorum interpretationem, eorum maxime, quibus & perspicaciorem intelligentiam Divinitus credimus fuisse concessam, & magnam Ecclesia tribuit auctoritatem; atque huic præferunt planiorem, sibique de cognita veritate mirifice plaudunt, sunt hi singulariter fastidiosi & inflati. Augustinianam sex dierum expositionem Molina, Arriaga, aliique perpauci falsam, erroneam, & hæresi proximam appellant, oppositamque literæ, ut ipsis videtur, conformiorem unice veram ac probabilem arbitrantur: quamquam Augustinus vestigationis acumine cautus, in Ecclesiasticis laboribus operosus, Doctorum præeminentissimus, columna & firmamentum veritatis; Augustinus, qui in exponendis sacris Scripturis omnes excessit, qui post Apostolos dispensandi Verbi Dei primus refulsit gratia, qui in elucidandis quæstionibus omnes Doctores excellit (hæc enim de Augustino alii Patres posteriores affirmant, his eumdem characteribus exornant) propriam sententiam acute formaverit, accurate expenderit, pluribus in locis examinaverit. Igitur in his, qui atro dente doctorem præstantissimum momorderunt, non specimen apparet eruditionis, non æqua altissimarum literarum ponderatio, non propriæ mentis libramentum; sed fidentia, inflatio, & inconsulta temeritas. Ipse Augustinus adversus futuros obtrectatores hanc sibi paravit apologiam in XII. Confess. cap. 25 *Illud* (inquit) *quod contendunt non hoc sensisse Moysen, quod ego dico, sed quod ipsi dicunt, nolo, non amo: quia & si ita est, tamen ista temeritas non scientiæ, sed audaciæ est, nec visus, sed typhus eam peperit.* Ideo & Augustini, & aliorum Patrum expositio tanti est à temperato Theologo facienda; ut ipsa veritas in concordia sententiarum viriliter defendatur, in discrepantia autem humiliter investigetur.

3. Probatur 2.

Deinde inconsulte opponitur censoriæ severitatis notatio alicui doctrinæ, quam alii vel sequuntur, vel plurimum commendant, vel nulla animadversione castigandam esse concedunt. Talem esse Augustini super Genesim expositionem nemo unus ignorat. Eamdem jam tradiderat lib. 6. Stromatum S. Clemens Alexandrinus, & ab ea non abhorruisse Athanasium observat lib. I. de opere sex dierum cap. V. Petavius. It in eamdem manibus pedibusque Isidorus lib. I. de Summo Bono cap. 8. Cassiodorus generis nobilitate, literisque clarissimus in I. Divinarum Institutionum cap. 22. Junilius Africanus in aureo super Genesim libello. Contendit Fridericus Gavardi quæst. I. in Hexam. art. X. neque ab illa recedere Ambrosium lib. I. in Hexam. cap. 3. & Magnum Gregorium lib. XXXII. Moral. cap. 10. Neque alii Patres, qui sex dies distinctos numeraverunt, illico censendi sunt Augustino adversari, nisi hanc dierum distinctionem repetant ex temporum intercapedine; quod faciunt revera plures: sed Augustinus de Genesi aggressus est peculiarem disquisitionem, quam Xistus Senensis lib. IV. Biblioth. S.

tam

tam sublimem & eruditam esse judicat, ut neque ante, neque post Augustini tempora talis unquam prodierit. Sunt autem in aliqua definienda quæstione ii Patres præponendi, qui, ut eam assequerentur, vim suam, nervosque omnes adhibuerunt. Quid vero de hac sententia Magistri ac Duces Scholasticorum? Albertus Magnus 1. p. q. XII. art. 6. *Videtur*, inquit, *Augustino consentiendum.* S. Thomas in 2. sentent. dist. XII. q. 1. art. 2. expositionem Augustini appellat *subtiliorem*; ait *magis ab irrisione infidelium scripturas defendere:* addit hæc plane verba: *Opinio Augustini mihi placet.* Atque in Summa p. 1. q. 58. art. 6. admittit in Angelis cognitionem vespertinam & matutinam, per quam S. P. sex dies Geneseos exposuit, illo & sequenti articulo egregie de hac re disputando. Quamquam q. LXXIV. art. 2. *ut neutri sententiæ præjudicetur*, utriusque rationibus respondendum existimavit. In quo & se Augustinianum probavit, & cæteris Theologis præclarum reverentiæ exhibuit erga omnes Patres exemplum. Eumdem imitatus est Aegidius Romanus in Hexamer. 1. p. cap. 26. & Cajetanus cap. 1. in Gen. Ex recentioribus in partes Augustini accesserunt permulti, Franciscus Macedo, Cardinalis Norisius, Ludovicus de Angelis, Hyacinthus Tonti, Emmanuel de la Cerda, Carolus Moreau, & alii apud Macedo 2. tom. Collat. col. VI. diff. 2. Disputavit in Academia Patavina non semel pro Augustiniana sententia notissimus P. Serry. Mitto Dionysium Carthusianum, Procopium, Philonem Judæum, aliosque complures. Nam satis liquet ex dictis sententiam Augustini clarissimos habere patronos, propugnatores acerrimos, atque ex omni classe Sanctorum Patrum, Sacrorum Interpretum, Scholasticorum Theologorum eximios laudatores: esse denique ranam in solem coaxantem, & corvum crocitantem prope Jovem, quisquis magni Augustini sententiam in circulis vellicat, & fugillat.

4. Propositio 2. probabilis est sententia S. Augustini.

PROPOSITIO II. Augustini de simultanea creatione sententia non solum ab omni animadversione immunis est, verum etiam probabilis & prope certa.

Probatur.

Multa Augustiniani huc argumenta congesserunt: sed notiora proferam; & ea (quod pollicitus sum) notulis meis collustrabo. Sit I. Postquam Moyses rerum aspectabilium creationem sex diebus peractam esse narravit, cap. II. 4. inquit: *Istæ sunt generationes cœli & terræ quando creata sunt, in die quo fecit Dominus cœlum & terram: & virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis antequam germinaret:* Ergo omnes generationes superius à Moyse enarratæ spectant ad unum, eumdemque diem; neque temporis spatium interfuit inter diem primam, in qua creavit Deus cœlum & terram, & diem tertiam, in qua fuerunt producta germina, & ligna. Et quoniam huic argumento reponunt ea verba *In die*, idem esse ac *in tempore*, & singulari numero plures dies significari ex Hebræorum usitatissima phrasi; noto primum apud Hebræos vocabulum יוֹם, *diem*, aliquando significare indeterminatum tempus, aliquando annum, aliquando diem verum ac proprium. Sed cum tempus designat, plurali numero effertur ut Gen. VIII. 22. Regum IV. XX. 1. Ps. CI. 12. CII. 15. &c. Quando usurpatur pro anno, tunc יָמִים repetitur sine addita voce numerali, ut Gen. XL. 4. Exod. XIII. 10. 1. Regum 1. 3. At citato textu non pro anno, & geminata, sine additione numeri, voce vocabulum יוֹם positum invenitur: nec plurali, sed singulari numero conscriptum est. Igitur verum, propriumque diem significat, non tempus ex pluribus diebus conflatum. Præterea cœlum, terram, & omnia enarrata cap. 1. Geneseos unico tantum die fuisse producta, insinuat Græcus codex, in quo laudatus versus legitur: *Hic est liber generationis cœli & terræ, cum facta sunt, qua die fecit Dominus cœlum & terram, & omne viride, &c.* ἡ ἡμέρα ἐποίσε, &c. Quibus verbis quænam proferri poterant clariora, ad demonstrandum stirpes & germina creata esse in die illa, in qua cœlum terramque condidit Deus, omnesque generationes peregit? Rursus sex illos dies ad unum corporeum spectare etiam manifestius colligitur ex prælaudato versu, ut legitur in quibusdam antiquis codicibus, videlicet: *Hic dies generationis cœli, & terræ cum facta sunt, qua die fecit Dominus cœlum, & terram, & omne viride, &c.* De qua lectione vide Ambrosium lib. VII. in Lucam cap. 15. & Notationes ad Biblia LXX. Vaticana. Hæc de priori argumento.

Alterum est: Solem Deus condidit quarta die. At ex luce solis naturalis dies constituitur. Ergo tres dies priores non fuerunt vere naturales. Cui argumentationi respondent, tres illos dies fuisse distinctos luce primigenia, quam Deus creavit prima die, splendorem suum diffundente, seque rursum contrahente, ut scribit Hom. 2. in Hexamer. S. Basilius. Ex qua luce postea quarta die luminaria, & sidera fuere producta. Verum, salva Basilii, aliorumque

5. Probatur 2. cum solutione instantiæ.

rumque reverentia, hæc pro Augustini argumentatione animadverto. Primum lucem prima die creatam, & Luminaria facta die quarto Hebraicus textus eodem vocabulo appellat אוֹר *Hor*, cum ad solem designandum habeant Hebræi etiam peculiare nomen שֶׁמֶשׁ *Scemesc:* unde Rabbini docent solem prima die fuisse creatum, ut recte observat Calmet, quod etiam demonstrat Eugubinus in Cosmopœeja cap. 11, tenentque alii etiam Interpretes, dicentes solem quidem initio primæ diei conditum, ejus tamen productionem recapitulatione quadam narrari die quarta, in qua fecit Dominus cætera corpora luminosa. Itaque solem magna probabilitate creatum ab initio possum asserere, ideoque primum & quartum diem esse unum: atque sex diebus recapitulatione à Moyse narrari, quæ in priori fuerunt simul perfecta. Deinde quænam est lux ista à sole distincta, cum sol dicatur, quia *solus* lucet, & ab eo astra omnia lumen splendoremque participent? Porro si primigenia illa lux corpus erat, cætera irradians, retrahens se, ac volvens, nisi Deus statim illud redegit in nihilum, quod de prima ac nobiliori re corporea absurdum est cogitare, illa lux erat sol; quippe nullum istiusmodi aliud corpus invenimus: si erat qualitas, aut lucidarum particularum effluvium, debebat à corpore lucido, quod sol est, emanare. Hinc est, quod Psalm. CXLVIII. ubi omnes creaturæ enumeratæ cap. 1. Genes. ad laudandum Dominum invitantur, principio Angeli, deinde immediate sol & luna, ante cœlum & superiores aquas commemorantur: quod observatum & in Danielis cap. 3, ubi principio Angeli, cœli, aquæ superiores, virtutes Domini, & sol & luna pariter invitantur ad Deum benedicendum. Lux in præfato Psalmo non enumeratur, & in Cantico puerorum ponitur inter sublunares effectus: ideoque Moyses nomine lucis ab initio productæ designavit Angelos & solem, à quo effluit lux per inferiores substantias diffusa. Ad hæc: dum legimus cap. 1. Gen. v. 6. *Fiat firmamentum: & dividat aquas ab aquis;* an non per Adversarios recte infertur ante productionem firmamenti nullam extitisse inter aquas divisionem? Utique. Igitur dum versu 14. legimus: *Fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem ac noctem:* optime intelligimus ante creationem majoris luminaris diem noctemque non fuisse divisas. Addit præterea eodem loco Scriptura: *Et sint in signa & tempora, & dies, & annos: ut luceant in firmamento cœli, & illuminent terram.* Legit eo loco Chaldæus: *Ut numerentur per ea dies, & anni.* Quare ergo dum compellimur ab Adversariis ad explicanda omnia verba Geneseos proprie & literaliter; fas non erit arguere: Ergo ante creationem solis & lunæ non erant tempora, non erant dies, non erat lumen aliquod in firmamento, non erat ulla terrenorum corporum illuminatio, non erat dierum numerus, vel distinctio? Sed pro secundo argumento jam satis.

6. Probatur 3. cum solutione.

Tertium, & illud vulgatissimum est. Eccli. XVIII. v. 1. legimus: *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* Si simul omnia producta sunt, non ergo plurium dierum intervallo. Obvia est responsio, quod omnia *simul* dicuntur creata, id est, *universaliter* & communiter, ut habetur in Græco: ἔκτισε τὰ πάντα κοινῇ: aut creata *simul* quantum ad materiam, non quantum ad speciem singularum productionem. At hæc postrema responsio etiam in sententia Augustini vera est. Quæ enim propagantur per speciem formamque distinctam, in prima conditione duntaxat creata fuerunt in rationibus seminalibus; & earum propagatio ad primam conditionem non pertinet: unde Scriptura, ut postea dicam, harum rerum duplicem creationem accurate distinguit. Priorem autem responsionem Theologi nostri dispellunt reponendo universitatem creaturarum satis exprimi per τὰ πάντα, *omnia;* & consequenter κοινῇ, *simul* non de rebus esse accipiendum, sed de tempore. Quibus è nostro exili penu hæc addimus. Primo etiam κοινῇ frequentissime significat apud Græcos, non solum *communiter*, sed etiam *simul*, ut constat ex Lexico Roberti Constantini: ideoque debile est illud ex Græca lingua præsidium. Deinde comparat eo loco Ecclesiasticus Dei omnipotentiam atque æternitatem cum infirmitate hominis, in quo inveniri nequeunt magnalia Dei; quoniam, inquit, *Cum consummaverit homo, tunc incipiet: & cum quieverit, aporiabitur.* Videlicet, non simul omnia perficit homo, sed uno opere consummato ad alterum peragendum convertitur, & hoc expleto *aporiatur*, scilicet obstupescit se multa prætermisisse. Ex hac itaque antithesi colligimus ita Deum sempiternum omnia simul creavisse, ut non incæperit aliquod novum opus perfecto altero, neque consummato uno, aliud fuisse aggressum; sed unico momento cuncta operatum fuisse, cuncta consummasse, cuncta statim expleisse.

Tan-

Tandem disputantibus Theologis de tempore; quo Angeli fuerunt producti, major illorum pars, nisi certum, probabilissimum sane argumentum profert ex verbis Concilii Later. IV. cap. I. definientis Deum *simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & humanam*, ad probandum Angelos eadem die fuisse creatos, qua Deus condidit cælum & terram, id est die prima, quomodo cum Augustino alii tradiderunt Latini. Non dissimili ergo ratione verba Ecclesiastici, *Qui vivit in æternum creavit omnia simul*, argumentum suppeditant, nisi plane invictum & palmare, saltem prope certum & plusquam verisimile, quod universa sempiternus Opifex condiderit eadem die.

7. Probatur 4. Quartum argumentum à me depromitur ex Orat. III. Athanasii contra Arianos pag. edit. PP. Bened. 528. tom. I. Dum Patres adversus hæreticos pugnant pro Catholicorum dogmatum veritate, eosque urgent auctoritate sacrarum literarum, vel traditione: planiorem & magis receptum sensum arripiunt, alias operam perderent, & Adversarios perperam lacessirent. Nullus contra Arianos decertavit validiori conatu, quam Athanasius defensor fidei, & famosorum palma certaminum. Is Orat. 3. postquam scripserat universam rerum aspectabilium naturam intra sex dies factam esse; ne quis dies acciperet spatio morarum temporalium discretos, addit constare è Scripturis omnia visibilia condita fuisse unico instanti, eodemque mandato; Verbum autem Patris ante omnia fuisse genitum. His vero præmissis ita comprobat Verbi divinitatem: Omnes creaturæ simul productæ sunt; Verbum ante omnia genitum est; Ergo Verbum non est creatura. Audias Athanasium: *Namque dicendo*, Ante omnes vero genuit me, *se alium ab omnibus esse declarat, cum ex supradictis constet, nullam è rebus creatis prius altera factam esse, sed res omnes factas uno eodemque mandato simul extitisse.* Profecto quænam esset ista Athanasii argumentatio, si una creatura primordio temporis extitisset ante aliam? Quo jaculo hæresim trajeciisset, si rerum aspectabilium simultanea creatio adversaretur Scripturarum & Patrum auctoritati? Qua dialectica versutissimi Ariani fuissent perculsi, si Athanasius deteriori opinationi, extortis sacris literis, & privatæ quorundam sententiæ, tantæ causæ præsidia superstruxisset? Fuit ergo ætate Athanasii Augustiniana sententia communior, & tanti viri judicio, testimoniis cum Scripturarum, tum Patrum magis consentanea.

8. Probatur 5. Postremum argumentum, (non enim nos singula persequemur) petitur à ratione. Ut sex dies spatio temporis distinguantur, necesse est quod singula in his diebus producta pariter distincta sint; quippe ex parte Dei nullum operationum potest haberi discrimen, & omnis differentia se tenet ex parte termini. At non sunt creaturæ omnes sex diebus conditæ discretæ invicem. Tertia enim die creavit Deus ligna fructifera herbamque virentem, sexta hominem, masculum simul & fœminam. Sed omne virgultum, & omnis herba producta die quarto nihil sunt aliud quam terra prima die creata cum semine omnium stirpium & germinum; nam cap. 2. Gen. v. 5. legimus fecisse Dominum *omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis antequam germinaret.* Quid est autem virgultum antequam oriatur? quid herba antequam germinet præter terram seminibus gravidatam? Similiter mulier non est fabricata ex latere Adami, nisi post diem septimum, quando Deus jam requieverat, & Adam cunctis animantibus nomina propria dederat singillatim; ait enim Scriptura, quod nondum Adæ *inveniebatur adjutor similis ejus.* Mulier ergo creata die sexta non est mulier distincta à viro, sed latitans in ejus costa, neque homo ea die creatus est aliud à limo terræ, quandoquidem inquit eadem Scriptura Gen. II. 5. *Et homo non erat qui operaretur terram.*

9. Distinctio inter duplex genus rerum. Oportet ergo, ut duplex genus rerum distinguamus: aliæ creatæ sunt ex nihilo, ut cœlum, terra, sol, luna, & firmamentum; quarum rerum productionem significat scriptura unico verbo *fiat:* aliæ ex præcedenti materia, ut herba, lignum, reptilia, bestiæ, necnon homo, quantum spectat ad corpus: quarum conditio exprimitur complexe, & hac phrasi *Germinet terra, Producant aquæ, Producat terra, &c.* Quæ ex nihilo factæ sunt semel productæ sunt, & illarum generationem semel etiam Scriptura recenset in I. capite Gen. Reliqua primum producta fuerunt in *potentia materiæ*, deinde in propria specie vel forma. Atque harum rerum bis geneseos enarratur, id est, in capite I. & II. Geneseos. Quare in distributione operum Dei, omnia quidem spectant ad illos dies invisibiles, in quibus creavit omnia simul, videlicet

ad diversas cognitiones Angelorum; sed plura, hoc est, quæ primum in rationibus seminalibus, deinde visibiliter facta sunt, si accipiantur secundum priorem conditionem, pertinent ad dies intelligibiles, & unico momento fuerunt & ipsa producta; si vero inspiciantur, ut in propria forma aspectabili constitutæ, istorum creatio perficitur in tempore, & post sex illos dies invisibiles: spectatque ad dies naturales, in quibus Deus operatur quotidie, quidquid ex illis tanquam involucris primordialibus in tempore evolvitur. Sed legite S. Patrem lib. v. de Gen. ad lit. cap. XI. & XII.

10. Propositio 3, Sententia Augustino adversa non est aperte falsa.

PROPOSITIO III. Non debent Augustiniani sententiam præcedenti oppositam tanquam aperte falsam refellere.

Id quidem ob hæc momenta. I. S. Pater lib. IV. de Gen. ad lit. cap. 28. inquit. *Quis ergo non eam, quam pro meo modulo vel indagare, vel putare potui, sed aliam requirit in illarum dierum enumeratione sententiam, quæ non prophetia figurate, sed in hac creaturarum conditione proprie meliusque possit intelligi, quærat, & divinitus adjutus inveniat.* II. Si carpere audemus aliorum de altissimo Scripturarum sensu opinionem, eique succensere; jure optimo ejusdem arrogantiæ damnabimur, quam Propos. 1. reprehendimus in invidis & obtrectatoribus Augustini. III. Si Theologorum, atque Interpretum spectetur numerus; negare non possumus, quin plurimis contraria assertio videatur magis probabilis. Esto itaque judicium nostrum. Sententia de simultanea rerum creatione sublimis est, acerrimi ingenii filia, Historiæ Geneseos germana, probabilis, prope certa & iis qui assidua lectione libros Augustini versarunt, plana quoque, & expressa. Contraria est etiam insignis, atque sua probabilitate non caret.

ADVERSÆ PARTIS OBJECTA DISCUTIUNTUR.

11. Opponitur 1.

Sed Augustinianam sententiam minus altera esse probabilem conantur quidam sequentibus argumentis evincere. Ac primo demonstrant carere extrinseca probabilitate, petita à numero & auctoritate Doctorum. Enimvero eidem omnes, si unum excipias Augustinum, adversantur. Is duplici ex causa ad theseos patrocinium non sufficit; quod scilicet dies Geneseos ingenii sui acumine mystice exposuerit, salva meliori sententia; & quod huic interpretationi dederit operam in libris super Genesim: quo in opere, lib. I. Retract. cap. 18. & lib. II. cap. 24. ait *plura quæsita, quam inventa, & eorum quæ inventa sunt, pauciora firmata.* Ipsemet Augustinus in lib. I. de Gen. contra Manich. cap. 23. aliisque in locis dies distinctos enumeravit.

12. Resolvitur.

At hæc I. argumentatio expungitur his, quæ dicta sunt in I. Proposit. & in IV. argumento 2. Falsum est enim hanc expositionem tradi duntaxat ab Augustino: & falsum etiam, non habendam in quæstionibus dirimendis primam ac potiorem rationem Doctorum illorum, qui illas luculentissime pertractarunt. Quæ afferuntur ad elevandam auctoritatem librorum de Genesi ad literam triplici ratione exsufflantur: primo quod sententia hæc de diebus intelligibilibus traditur quoque in magno Opere de Civit. Dei: præterea in II. Retract. cap. 24. distincte narratur quid in his libris adhuc requirendum foret, inter quæ censetur quicquid illic disputaverat de semine Abraham dispositò per Angelos in manu Mediatoris, de imagine Dei per peccatum deperdita, & de loco inferorum; sed de sex diebus, quamquam de illis tam diffuse disseruit, altum ibidem silentium: & denique Sixtus Sen. lib. Biblioth. 4. de Augustini libris super Genesim, ait: *Quamquam ipse fateatur plura à se quæsita, quam inventa, & ex inventis pauciora firmata; tamen tantus est in eis artium, disciplinarum, & scientiarum omnium thesaurus; ut facile appareat, neque eruditius, neque sublimius in expositione horum trium capitum, vel ante, vel post Augustini tempora prodiisse quicquam, nec deinceps futuris temporibus fortasse proditurum.* Cæterum si quis potest meliorem invenire explicationem, *quærat, & Divinitus adjutus inveniat.* Nos invenire non possumus: & nihilominus sex dies distinguimus; sed non temporis decursu, sive intervallis horarum.

13. Opponitur 2.

Pariter arguunt Adversarii dicentes: destitutam esse sententiam nostram probabilitate intrinseca, quæ petitur à ratione. Si enim, inquiunt, universa in instanti essent condita, maxime quod Genes. 2. habetur singulari numero *in die*, Eccles. XVIII. 1. particula *simul*, & Job. XL. 10. *Behemoth*, id est, *dæmonem* creatum una cum homine. Hæc autem sunt infirmissima; possunt enim exponi vel de tempore plures dies complectente, vel de creatione quantum ad materiam, non quantum ad speciem rerum. Quod docet S. Greg. lib. XXXII. cap. 10. his verbis: *Re-*

rum

rum quippe ſubſtantia ſimul creata eſt, ſed ſimul ſpecies formata non eſt; & quod ſimul extitit per ſubſtantiam materiæ, non ſimul apparuit per ſpeciem formæ. Imo Behemoth de quo Job cap. 40. non dæmonem, ſed elephantem, ſive cete Nili ſignificat, dictum *principium viarum Domini* ob corporis proceritatem.

14. Reſolvitur. Verum & huic argumentationi ſatisfecimus Prop. 2. Ad Magni Gregorii teſtimonium dicimus: utique ſimul extitiſſe omnem creaturam per ſubſtantiam materiæ, & prima die non omnia fuiſſe quantum ad propriam ſpeciem: ſed diſtinguendæ ſunt res à Deo conditæ ex nihilo, & res formatæ ex præexiſtente materia. Hæ, ut ſunt virgulta, herbæ, piſces, jumenta, & homo, ſimul extiterunt per ſubſtantiam, quatenus ſimul cum terra factæ ſunt: atque hoc pacto pertinent ad primam conditionem: & quatenus viſibiliter proceſſerunt per ſpeciem, extiterunt in temporis decurſu. Sed hæc productio non ſpectat ad opera ſex dierum, quæ recenſentur in cap 1. Geneſis; ſed eſt altera creatio, quæ deſcribitur ſecundo capite, & peragitur quotidie, dum germinant herbæ, naſcuntur arbores, & animalia hominesque gignuntur. Attinent ergo ad primam conditionem Angeli, cœlum, & terra, ſol & ſidera, etiam ſecundum viſibilem formam, quoniam non extiterunt ex præexiſtente ſubſtantia; & ſimul creaturæ reliquæ, prout ſimul cum illis potentialiter extiterunt. Vide Gregorium citato loco, & Auguſtinum lib. v. de Gen. ad lit. cap. 12. & lib. 6. cap. 3. & rurſus lib 5. cap. 4. & quæ nos ſupra diximus Arg. ult. 2. Propoſit. Quid ſit Behemoth oſtendimus de Angelis cap. VI. nec repugnat ſimul Elephantem ac Dæmonem deſignare: & idem Gregorius ibidem ſcribit Behemoth conditum ab initio. Verſu 14. habet Vulgata: *Ipſe eſt principium viarum Dei:* & Græcus Codex Τετ' εϛιν ἀρχὴ πλάσματος κυϱίε *Hoc eſt principium formationis Domini.* Ergo & dæmon ſimul cum homine, & homo ſimul cum beſtiis, & beſtiæ ſimul cum dæmone factæ ſunt; quemadmodum prædicat Auguſtiniana doctrina.

15. Opponitur. Tertio opponunt repugnare hanc de ſimultanea creatione ſententiam Hiſtoricæ narrationi; id vero tribus de cauſis. Quarum prima eſt, quod in ſacris hiſtoriis literaliter eſt accipiendum quicquid à veritate non abhorret, & commode abſque figurata locutione poteſt intelligi. Altera, quod res à Deo conditas non poſſumus ſine Origeniani erroris nota ad translatam ſignificationem detorquere: Ergo neque dies, in quibus dicuntur perfectæ. Tertia, quod Geneſis hiſtoria fuerit pro rudi populo conſcripta; & ideo ſi præferret ſenſum alienum à litera, potuiſſet quamfacillime in errorem inducere.

16. Reſolvitur. Reſpondeo ſententiam noſtram nihil, vel minimum veritati Hiſtoriæ Geneſeos detrahere, ſed illam reddere planiorem, & errori ſimplicium obviam ire, omnemque verborum tollere ambiguitatem. Etenim ubi Auguſtini mentem attigerit, quisque percipiet, quomodo omnes generationes cœli & terræ dicantur abſolutæ eadem die, & ſpatio ſex dierum productæ, eoquod ſine temporis intervallo Angelica cognitio ex uno in aliud objectum tranſcenderit: quomodo in his diebus veſpera præcedat mane, quia videlicet cognitio creaturæ in ſeipſa decoloratior eſt, quam cum videtur in Verbo, & in laudem Creatoris aſſurgit: quomodo præterierint primi dies abſque ſole, quoniam lux mentis Angelicæ corporalium luminarium curſum non ſequitur. Percipiet, cur herbarum, ſtirpium, arborum, & animalium ſit repetita productio, quo pacto iſta fuerint priusquam germinarent, & naſcerentur, & quare nondum extiterit Eva, cum Adam jam nomen ſingulis animantibus impoſuiſſet. Itaque ad 1. Reſp. etiam explicationem Auguſtini propriam eſſe & literalem, non figuratam & myſticam. Vox enim lucis recenſetur inter nomina intelligibilia, & ipſe Deus in Scripturis lux dicitur, & Pater luminum. Imo mens ſpiritualis lux potiori jure appellatur, quam corporea, cui minus ſplendoris ineſt, dum plus accidit corporalis materiæ. Quare Auguſtinus lib. IV. de Gen. ad lit. cap. 28. *Ubi ergo* (inquit) *melior, & certior lux, ibi etiam verior dies: cur ergo non etiam verior veſpera, & verius mane?* Ergo negandum eſt S. P. expoſitionem eſſe metaphoricam, & figuratam.

17. Inſtantia cum ſolutione. 1. Refellit hanc reſponſionem Hyacinthus Tonti cap. IX. eoquod Auguſtinus citato loco ait: *Quis ergo aliam requirit in illorum dierum enumeratione ſententiam, quæ non in prophetia figurate, &c.* & Clariſſimus Noriſius §. IX. Vindic. cap. IV. S. Patris explicationem *myſtice diviſam* appellat. Sed fallitur vir ille vehemens, & acer. Nam S. Pater ibidem hæc etiam habet: *Nec quisquam arbitretur illud quod dixi de luce ſpiritali, & de condito die ſpiritali, &c. non jam proprie, ſed quaſi figurate & allegorice convenire ad intelligendum diem, & veſperam, & mane: ſed aliter quidem quam*

in hac consuetudine quotidianæ lucis hujus & corporalis : non tamen tanquam hic proprie, ibi figurate. Ubi enim melior & certior lux, ibi verior etiam dies : cur ergo non etiam verior vespera, & verius mane ? Proprie igitur, non mystice, non figurate dies Geneseos ab Augustino explicantur : & figurata locutio ab eodem, & à Norisio appellatur, non absolute, sed comparate ad lucem quotidianam, & corporalem. Cæterum illud pariter verum est, interdum in Historicis narrationibus, atque in hac præsertim plura μυστικῶς enunciari ; quippe nemo literaliter acceperit ea verba *Dixit Deus ;* neque illa, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, neque hæc, *Requievit die septimo*, neque ista, *Inspiravit in faciem ejus.* Quibus obstruitur os putidum Phereponi in Augustinum bacchantis, quod vocaverit libros duodecim super Genesim Interpretationes ad literam. Nam quod ad refellendum Clericum affert Hyacinthus Tonti ex cap. XIII. libri I. Regum, *Filius unius anni erat Saul cum regnare cœpisset*, & in quo sibi mirifice plaudit ; id quidem à me gratis dabitur : sed erunt complures, qui ad Clericum refutandum inepte proferri arbitrabuntur ; quandoquidem potest istud accipi hoc sensu, quod Saul jam annum agebat post devictos Philisthiim, & posteaquam excusso jugo regnaverat. Hanc enim phrasim hebraicam בֶּן־שָׁנָה *Filius anni* exhibere postremum sensum, Docti quidam viri demonstrant.

18. Solutio 2. & 3.

Ad 2. loquacissimus ero, si plura fundam ; nam cur res explicentur cum Origene spiritaliter, nulla ratio succurrit ; quamplures vero causæ postulant, ut dies spiritales constituantur, præsertim cum & isti proprii & veri sint, non allegorici. Ad 3. autem primo nego historiam Geneseos traditam solummodo rudi populo. Præterea nego tam plana esse Divina eloquia, ut plebs valeat illa percipere. Rursus nego sacram historiam fuisse Judæis propositam absque vocis oraculo, & traditione mysteriorum. Denique nego pertinere ad populi institutionem cognoscere, cujus generis sint dies illi ; cum potius deceat miram Divinarum literarum profunditatem, quædam singulis proponere, quædam meditantibus aperire, quædam humilibus revelare, quædam per solius Ecclesiæ magisterium credentibus patefacere.

19. Opponitur 4.

Quarto objiciunt. Præcipiens Deus sanctificationem Sabbati Exodi XX. 11. hanc profert causam : *Sex enim diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & requievit in die septimo*, & cap. XXXI. 17. *Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, & in septimo ab opere cessavit.* Hæc vero inepte prorsus dicerentur, nisi dies creationis primigeniæ naturales forent ac temporarii. Quæ enim est inter sex dies hebdomadæ, quibus fas est operari, dicente Domino, *Sex diebus facietis opus*, & inter perceptiones Angelicas, inter unicum temporis instans, accomodata collatio ? Fuerunt ergo dies illi corporei horarum spatiis de mane in vesperam inclinantes. Atque argumentum istud (inquit Pererius lib. I. in Gen. cap. 2.) validissimum est adversus opinionem Augustini.

20. Solvitur.

Resp. falsam esse minorem, quippe ut præceptum de Sabbato sanctificando ob creationem peractam, & ob requiem Domini imponeretur, necessaria non erat plena inter dies Geneseos, diesque hebdomadarum istarum similitudo ; sed illud sufficit, si in his illorum habeatur quædam dissimilis comparatio. Enimvero die Sabbati ab omni opere servili cessandum erat, quoniam die septimo Dominus requievit, & cessavit ab opere. Requiem Domini memorat Scriptura Divina *humano more, & quadam attemperatione ad institutionem nostram*, inquit decima in Genesim Homilia Jo. Chrysostomus. Exodi XXXI. 17. in Hebraico textu legimus שָׁבַת וַיִּנָּפַשׁ *quievit & respiravit.* Est autem cap. XXIII. 12. idem verbum usurpatum de servo recreante se post defatigationem laboris. Dixerisne, Deum ingravescente labore defatigatum, aut lassas in opificio vires reparavisse ? Quemadmodum ergo Sabbatum & requies, qua Deus cessavit à creatione universi, longe differt à Sabbato & requie, in qua Hebræi cessant ab omni opere servili : ita sex dies quibus mundum Deus molitus est, discrepant à diebus hebdomadalibus, de quibus in Exodo legimus, *Sex diebus facietis opus.* Plura de hoc argumento Fridericus Gavardi, & Hyacinthus Tonti, quos consulas.

21. Opponitur, & solvitur.

Objicit Estius in Augustiniana sententia maximum consequi absurdum, videlicet simul extitisse, & lucem & tenebras, & diem & noctem, & Angelorum meritum, atque beatitudinem. At differentes de Angelis ista diluimus. A cognitione enim vespertina ad matutinam, & à via ad terminum Angelorum morulas & instantia angelica interfuisse concedimus, sed mens Angelica, ut

se

se in Deum converteret, non indigebat temporis nostri intervallo; quamquam inter cognitionem rerum creatarum, & conversionem in Deum ordo interfuerit causalitatis. Distinguendæ sunt igitur hujusmodi propositiones: Fuit simul vespera & mane, nox diesque; scilicet, inter conditionem & gratiam, inter actum mentis & voluntatis, inter perceptionem rerum simul conditarum & conversionem in Deum non fuit in Angelis ordo causarum, nego: non interfuerunt aliqua morarum temporalium intervalla, concedo. Vide Augustinum lib. IV. de Gen ad lit. cap. 32. & nostram de Angelis dissertationem cap. IX.

22. Instantia. Denique contra Augustini sententiam arguitur, quod pluribus vicibus & sex dierum spatio congruum magis erat condi rerum universitatem, ut Deus ostenderet se non necessario, & cæco impetu, ut quidam Philosophi somniarunt, operari, sed summa intelligentia & libertate præditum, quantum vult, & prout vult virtutem suam applicare. Plures enim operationi suæ adhibendo vices, se materiæ totiusque molitionis dominum esse, rectissimaque voluntate omnia agere declaravit. Ita vir clariss. Bossuet II. Parte Historiæ, sive de serie Religionis pag. 165.

23. Responsio. His autem respondeo, præter Philosophos, qui Deum necessario mundum condidisse autumarunt, extitisse tempore Moysis cultores Deorum, qui numina non æque universis dominantia, neque infinita potestate prædita superstitiosa religione adorarent; alia Chananæi, alia Aegyptii, alia Philisthiim, &c. Imo hos idololatras extitisse certo comperimus; & num Philosophi illi essent eo tempore exorti, ignoramus, ac prodiisse videntur conditis jam Athenis, & florescente Græcorum Philosophia. Sed, utut extiterint ætate illa vetustiori; si Deum ex necessitate operari putaverunt; debuerunt asserere mundum sempiternum, quomodo etiam Athenienses illi Philosophi statuerunt. Moyses ergo docens mundum creatum in tempore, & à primo homine annos, & generationes complexus, satis superque errorem Philosophorum illorum confutavit. Atque Deum non agere cæco impetu luculenter ostendit, scribens cuncta creasse verbo, ac mandato. Congruum erat, ut etiam unum Dominum universorum prædicaret; quod fecit initio Geneseos. Ut hunc Deum omnipotentem ostenderet, nec in operibus perficiendis usum tempore (quod opinari, ut inquit Philo lib. I. Allegor. est rusticanæ simplicitatis) addidit in die, qua creavit cœlum & terram, cæteras quoque generationes fuisse perfectas. Atque ita Dei libertas, consilium, & omnipotentia, juxta interpretationem Augustini, in Historia Geneseos eluescunt.

CAPUT III.

Exhibet contractum in Genesim Commentariolum.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. 4. & 5. Agitur de operibus primæ Diei.
6. Adduntur quædam de operibus secundæ Diei.
7. Enarrantur opera tertiæ Diei.
8. Tractatur de operibus quartæ Diei.
9. Examinantur opera quintæ Diei.
10. Referuntur opera sextæ Diei.

1. Commentaria in Genesin. PLURA veteres Scholastici, ac præsertim Romanus Ægidius in Hexameron, sive peractam sex diebus Genesim, conscripserunt: de quibus brevissime nobis agendum erit, cum multa & notissima sint, & in sacrorum Interpretum Commentariis satis enucleata. Fuerunt ergo die prima à Deo creata cœlum, terra, aqua, & lux, & hæc, ut Moyses ait, *In principio.* Quo vocabulo ostenditur, nihil ante cœlum & terram præcessisse, præter Deum conditorem universorum. Hebræi habent בראשית *In exordio temporis.* Cabbalistæ præter ætatem mundi, de qua infra, ex hac voce בראשית *Bereschith* res primo die creatas in singulis literis ingeniose observarunt. Nam prima initium est verbi ברא *Creavit*: secunda רקיע Rachiah *firmamentum*: altera nominis ארץ Heretz *terram*: quarta שמים Sciamaim *cœlos*: quinta ים jam *mare*: sexta תהום Teom *abyssum.* Hi ergo diem secundam, ac primam debent unam eamdemque fateri. Terra dicitur initio fuisse inanis & vacua, & spiritus Domini aquis incubasse. Videtur his verbis designari limum, sive humidam materiam, Catholicum rerum omnium principium; quare placet nobis sententia Thaletis, quod rerum creatarum communis substantia sit Aqua: quod ne quis temere pronuntiatum credat, paucis ostendam.

Ac

2. Probatur rerum creatarum esse aquam communem substantiam.

Ac 1. S.P. Augustinus in priori libro de Gen. ad lit. cap. v. ait, Moysen v. 2. literaliter designare *aquæ nomine totam corporalem materiam, ut eo modo insinuaret, unde facta & formata sint omnia, quæ in suis generibus jam dignoscere possumus, appellans aquam, quia ex humida natura videmus omnia in terra per species varias formari, atque concrescere.* Hebraica etiam verba *Spiritus Domini ferebatur super aquas* demonstrare Divinam virtutem & energiam, qua, ut ova fœcundantur ab alitibus, & foventur incubitu, communi materiæ in creatione motus & vis singulas species producendi concessa est, idem Augustinus scribit eodem libro cap. XVIII. & Basilius Hom. 2. in Hexam. & unanimi sensu reliqui Ecclesiæ Patres, ut recte animadvertit Jansenius; necnon Magister sent. in II. dist. XII. & etiam Scripturarum Interpretes, non solum Catholici, sed etiam hæretici Munsterus, Junius, Grotius, Glassius, & alii. Sacræ ergo literæ declarant omnium rerum corporalium materiem aquam esse, quæ simul appellatur terra inanis, & tenebrosa abyssus, quoniam materia percipitur incomposita, rudis, invisa; quasi creationis primordio fuerit duntaxat humidum chaos, nondum arida à mari extracta, & aere, quem in 2. de Nat. Deorum, ait Cicero esse vaporem ex aquis (& aquam appellat ipse Moyses in 1. Gen. v. 20.) ab indigesta mole nondum emisso.

3. Probatur 2. ex traditione.

Consentit omnium plane antiquarum Gentium ex sacris literis derivata traditio. Phœnices seminium, & omnium rerum generationem factam ex *aquosæ mixtionis putredine* olim tradidisse, demonstrat ex Sanchoniathone Eusebius lib. 1. Præp. Evang. cap. x. Zeno apud Hesiodum chaos illud, unde fiunt omnia, aquam esse dicebat; eaque subsidente factum limum, limo concreto terram aridam. Priscorum Indorum sententiam exprimit apud Strabonem lib. xv. Megasthenes, dicens *primordium mundi facti esse aquam.* Thales Milesius *aquam esse dixit initium rerum : Deum autem eam mentem, quæ ex aqua cuncta fingeret,* inquit apud Ciceronem in 1. de Nat. D. Vellejus. Vide Grotium in not. ad lib. 1. de Veritate Rel. Christianæ. Observa etiam Milesium à Phœnicibus hausisse philosophiam, & fuisse ducem Jonicæ sectæ : Phœnices autem ab Aegyptiis, hos ab Hebræis : quare opinio Thaletis est omnium Græcorum scitis antiquior. Etiam Poetæ Venerem, id est genituræ energiam, natam inquiunt ex aquis : unde Græci vocant Ἀλιγένην, vel Ἀφροδίτην, id est, *filiam maris*, aut, *spumæ.*

4. Probatur 3. ex Physica.

Physicis hæc argumentationibus confirmatur. Nam ex aqua terram fieri liquet ex pluviis, unde gignitur tellus levis & candida : arenulas educi ex aqua litora maris ostendunt; minimos lapillos ex eadem aqua produci conspicimus in alveis fluminum : ideoque narratur in Genesi 1. 9. contractis duntaxat aquis *aridam* apparuisse. Cœlum esse fluidissimum ætherem, & naturæ aqueæ cum Cartesiani tenent, tum cæteri debent adstruere, qui lumen ad nos transfusum constituunt in motu. Et quidem Hebraicus textus firmamentum appellat רקיע expansionem aquarum, & cœlos pariter ab aquis שמים. Ignis flamma abit perpetuo in fumum : fumus vapor est aqueus; & in aquam etiam cineres reducuntur. Radix, flos, folia, & cortex vegetabilium facile resolvuntur in aquam, & aqua nutriuntur & crescunt, ut constat ex ocymo & mentha, cujus surculus viridis aquæ immissus, quasi in horto, radices agit & floret. Pisces, volucresque in aqua vel aere gigni, præter quotidianum experimentum, legitur in 1. Geneseos versu vicesimo. Quælibet concreta liquore *universali* in aquam elementarem resolvi probant Helmontius, Ettmullerus, David Vander Beck, & Chymici omnes. Aqueo humore gigni animalia, tam reptilia, quam bestias, neminem latere arbitror. Etiam homines ex aqua procreatos, auctore Censorino, placuit Epicuro & Democrito. Ergo vel rerum naturalium principia sint atomi, vel inanis substantia Peripateticorum, vel Cartesii elementa, quod Philosophorum otio definiendum relinquimus; verisimile est communem corporalem substantiam esse aquam, & hanc in varias species mutari, dum ei permiscentur particulæ aut salinæ, aut sulphureæ, aut oleosæ, aut consimiles aliæ : quas ex ipsa aqua, supra quam ferebatur spiritus Domini, primitus erupisse, videtur consentaneum hystoriæ Moysis, Patrum traditioni, antiquiori Philosophiæ, necnon naturalibus experimentis. Sed hactenus à me dicta de universali rerum omnium principio probet unusquisque, vel rejiciat pro lubitu.

5. Confirmatio.

Ut ad institutum redeam; aqua, cui spiritus incubat, est rerum aspectabilium materies, qualiscunque hæc demum sit : & ista caussalitatis ordine visibiles formas præcedit. Creata deinde lux *Verbo Domini*, non sono vocis corporeæ, sed cognitione practica, dispositio-

tione voluntatis, & mandato atque imperio. Per lucem intelligi ſubſtantiam ſpiritualem, id eſt, Angelicam ſentit Auguſtinus in 1. de Gen. ad lit. à cap. 9. ad 18. & in XI. de Civit. Dei cap. 9. alii ſolem, alii corpus aliud lucidum adhuc informe. Hebræi lucem appellant אור *Hor*; luminare, ſive corpus lucidum מאור *Mebor*. Recte igitur nomine lucis intelligimus lucem incorpoream, id eſt, Angelum, etiam literaliter: diemque corporalem cogitare non poſſumus, ſine corpore lucido, ſive מאיר luminare condito die quarta. Ex hac luce & veſpera factus eſt dies, intelligibilis ſi referatur ad Angelos; corporalis ſi referatur ad ſolem. Primam quoque diem appellant Hebræi יום *Jom*. Hoc nomine notari curſum ſolis ex ortu in occaſum, ſcribit in Radicibus R. David Kimki, quod obſervavit & Fagius. Non ergo fuit absque ſole corporalis dies; omniaque Auguſtinianæ de ſimultanea creatione ſententiæ apte quadrant. Veſpera hebraice dicitur ערב *Hereb* mixtura, eoquod obiecta confuſe percipiantur: ideoque & ערב proprioſſime dicitur de cognitione decolorata. Prodiit hinc fabula Heſiodi, Erebum natum è Chaos, & ex Erebo & Nocte progenitum diem & ætherem: nam legitur in Theogonia,

Hinc erebum ſimul & Noctem Chaos edidit atram;
Aethera ſupremum genuit nox atra, diemque.

Erebus itaque, Veſpera, & nox præcedit diem; quod magis convenit diei ſpirituali, quam corporali: hunc enim an à luce, an à tenebris incipiat ambiguum eſt, nec conveniunt interpretes. At cognitio veſpertina antecedit matutinæ, ut omnibus perſpicuum eſt.

6. De operibus ſecundæ diei.

De opere ſecundæ die addam pauca. Quippe dictum eſt paullo ante Firmamentum nihil eſſe præter extenſionem aquarum, & veluti velum expanſum inter eas, ut in v. 7. Geneſis. Diximus & cœlum ab aquis hebraice appellari; & ex veris aquis eſſe compactum; ut tradunt Clemens in 1. Recognitionum, Joſeph in 1. Antiq. Ambroſ. in Hexam. & alii plures. Affirmavimus etiam à Carteſianis defendi cœlos eſſe fluidos: quos Eliu apud Job XXXVII. 18. appellans ſolidiſſimos, & fuſos quaſi ære, reprehenditur ut homo *involvens ſententias ſermonibus imperitis.* At ſi placet eſſe ſolidos, nam inter Ptolomæum & Carteſium arbiter eſſe nolo; aſſeram ad inſtar chryſtalli ex aquis coagmentatos: unde Chaldæus in Job legit non, *quaſi ære*, ſed, *quaſi ſpecularia.* Latine *cœlum* dicimus, inquit Ambroſ. quaſi ſtellis cælatum: græce οὐρανὸν, id eſt, viſui pervium, & pellucidum, ait Schrevelius. Hebraica vox שמים *ſciamaim* ſubſtantiam ex aquis, latina *cœlum* pulchritudinem, & ornatum, græca οὐρανὸς diaphaneitatem lucemque demonſtrat.

7. De operibus tertiæ diei.

Sequuntur opera tertiæ diei, nimirum congregationes aquarum id eſt, maria; & apparitio aridæ, id eſt, terræ. Maria hebraice dicuntur ימים *Jamim*, videlicet, ים *Jam* fundum, מים *Maim*, aquarum. Hinc hebræis, ut recte Hieron. in quæſt. quælibet aquarum congregatio, ſive ſalſæ ſint, ſive dulces, dicitur *Mare*. Terra, de qua hoc loco, eſt terra è ſinu aquarum educta; nam ea, de qua v. 1. erat inviſibilis, videlicet communi ſubſtantiæ permixta. Facta autem congregatione aquarum *ſpiſſata eſt*, ait Auguſtinus in 1. de Gen. ad lit. cap. 12. nimirum, limus fluidioribus nudatus eſt partibus. Erant enim principio, inquit Ovidius in 1. Metamorph.

Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.

Cum terra facta ſunt gramina, ſtirpes, & ligna pomifera, modo explicato cap. præcedenti in poſtremo argumento.

8. De operibus quartæ diei.

Quærtæ diei opera ſunt lucidiſſima firmamenti corpora, ſol, luna, & ſtellæ. Hæc quatenus à luce diei primæ corporalis minime differant, & paullo ſupra explicavi, & in præcedentis capitis propoſitione ſecunda. Cum doceant Philoſophi corpora majori ſplendore illuſtrata aliis quoque apparere majora, propterea quod illorum radii vehementius capillamenta concutiunt: atque aliunde tradant mathematici ſolis magnitudinem ſuperari ab aliis inviſis corporibus; conſequitur illum Gen. 1. 16. appellari *majus luminare* ob ampliorem lucem, non ob quantitatem ac molem. An ſol, ut veteribus placuit, ſit corpus ſolidum, an materia fluida fervens, uti aurum liquefactum in fornace, quomodo ſcribunt Simon Marius, Athanaſius Kircher, Raphael Averſa, Le Grand, aliique Sectatores Carteſii, & num ignis ſit, habeatque primi elementi majorem copiam, diſceptant Phyſici. Literæ Hebræorum videntur in ſole Ignis ſubſtantiam oſtendere nomine שמש *ſcemeſc*; id eſt, שם *ſciam*, ibi; אש *Heſc*, Ignis: & nomine אור *Hor*, lux, ſplen-

splen 'oris fontem, & scaturiginem. Hinc *Orus* Aegyptiorum. Præest sol diei, quoniam est juxta Aristot. Top. VI. ἄστρον ἡμεροφανὲς *astrum in die lucens*. Idem dicendum servata proportione de luna, & stellis.

9. De operibus quintæ diei.

Die quinta producta fuerunt reptilia, ac volatilia animantia, necnon adnatantia aquis. Quorum prima aut per spiras reptant, ut angues; aut incedunt undulatim contracto corpore & explicato, ut limaces ac lumbrici; & sunt ovipara, hoc est, exploso ovo gignuntur. Eduntur eodem modo volatilia ex ovo prolifico; cui, incubante altero, fibræ excitato calore explicantur, ac gradatim pullus effingitur. Inter natatilia memorantur in Genesi v. 21. τὰ κήτη τὰ μεγάλα, *cete grandia*, pisces maximi, balænæ, atque hippopotami; & singula gignuntur more cæterorum oviparorum. His vero ex Physiologia præsuppositis, intelligimus Augustini de duplici animalium procreatione sublimem doctrinam: juxta quam fuerunt antea producta concreatis in aqua seminariis primordiis; postea progenita in tempore ab involucris primordialibus explicata. Facile etiam percipimus in hac sententia verba Eccles. cap. I. 10. *Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere, Ecce hoc recens est, jam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos:* non quidem per circulum, & revolutionem Platonicam; sed quia principio omnia simul creata sunt in rationibus seminariis, quarum decisione aut permixtione generatio præterit & generatio advenit; atque (ut docet S. P. XII. de Civit. Dei cap. XIII.) omnium rerum genera oriuntur & occidunt. Pari jure portentosum non est, quod plerique tanta admiratione suspiciunt, marinos pisces etiam in summitate montium generari: cum per meatus terræ, unde vapores maris ascendunt in verticem, etiam semina natatilium possint transmitti. Nam & sal inter montes, salsam aliquorum puteorum aquam, necnon plurimorum fontium scaturigines esse vicissim à mari, tradunt concordissime recentiores Philosophi. Quapropter spem propositam habeo, horum illustriores catervas magni Augustini placitis accessuras.

10. De operibus sextæ diei.

In operibus sextæ diei non morabor diutius, cum de homine proximo libro disputandum sit: terrestrium vero animalium, non aliter ac præcedentium, duplex est genesis, in semine, atque in hujus explicatione, seu visibili specie. Distinguit Divina Scriptura v. 25. bestias, jumenta, & reptilia; atque hæc repetit, quoniam alia in aquis repunt, alia in terris: neque sunt aliud hi dies, quam diversæ Angelorum perceptiones, prius communem naturam noscentium, deinde substantiales materiæ formas. Jumenta dicimus, quæ vectando & arando nos adjuvant: bestias autem animalia reliqua, maxime corpore & feritate majora. Hæc nostra in primum Geneseos brevis rudisque expositio: sed, nisi nos animus fallit, Augustinianæ doctrinæ, & saniori insuper philosophiæ magis accomodata. Cætera esse in singulis Commentariis Interpretum explicata & digesta, monitum est in principio.

CAPUT IV.

Paradisum corporeum fuisse locum, & in aliqua mundi plaga ab initio plantatum.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. Probatur, Paradisum fuisse Adæ habitaculum, & locum aliquem corporeum in orbe terrarum.
3. & 4. Solvuntur contraria.

à num. 5. usque ad 9. Propugnatur, cæteris probabiliorem (licet non plane certam) esse sententiam illam, quæ tenet Paradisum fuisse in amæna planitie supra præaltos montium vertices armeniæ.

à num. 10. usque ad 14. Satisfit oppositionibus.

15. & 16. Differitur de Ligno vitæ, ac de Ligno scientiæ boni, & mali.

1. De Paradiso.

Inter res die tertia productas una cum plantis herbisque virentibus connumeranda est pars illa terrarum, in qua posuit Deus hominem creatum ad imaginem suam, videlicet Paradisus voluptatis. De quo oritur quæstio, an fuerit corporalis, & in qua mundi plaga constiterit, quibus etiam arboribus consitus & ornatus. In hac autem de Paradiso dissertatiuncula tribus positionibus tota quæstio extricabitur.

2. Propositio I.

Propositio I. Paradisus erat felix innocentis Adæ habitaculum, & locus aliquis corporeus in Orbe terrarum.

Adver-

Probatur Paradisum locum corporeum fuisse.

Adversus Philonem & Origenem probatur 1. Gen. II. 8. ubi legit Vulgata *Paradisum voluptatis*, habent Hebræi בְּעֵדֶן *Be-Heden*, & LXX. pariter ἐν Ἐδεμ. Præfixum autem Hebraicum ב. est nota Chorographiæ, ut observarunt Eugubinus in Cosmop. Salianus principio Annalium, Huetius de Situ Paradisi cap. 2. & præ omnibus luculentissime in Grammatica Sacra Glassius Lutheranus. II. Idem demonstrat collatio locorum, in quibus de Heden fit sermo: Gen. IV. 16. *Ad orientalem plagam Heden*, Ezech. XVII. 23. *Haran, & Chene, & Heden negotiatores tui.* IV. Regum XIX. 12. *Haran, & Reseph, & filios Heden.* Priori enim loco constat describi terram, quam inhabitavit Cain, secundo & tertio homines eorum locorum habitatores. Isaiæ etiam II. 3. legimus: *Ponet solitudinem ejus, quasi hortum Domini*, hebraice כְּגַן יְיָ *Che-Heden*, sicut *Edenem:* quod transferre non possumus (inquit Huetius) *ponet desertum, ut voluptatem.* III. Ostenditur auctoritate PP. Chrysost. hom. 13. in Genes. *Idcirco*, ait, *nomen loci scripturis inseruit beatus Moyses, ut non liceat nugari volentibus imponere simpliciorum auribus, & dicere nullum esse in terra Paradisum.* S. Basilius hom. de Paradiso: *Proditum memoriæ est, quo sit loco plantatus, &c.* S. P. Aug. lib. VIII. de Gen. ad lit. cap. 1. *Paradisus, nihil aliud, quam locus quidam intelligatur, terra scilicet, ubi habitavit homo terrenus.* Vide & lib. de hæresib. cap. 59. & epist. D. Hieron. ad Pamach. IV. Confirmatur ratione; quoniam neque Sacrarum literarum contextus, neque repugnantia aliqua nos cogit, ut Paradisum spiritaliter duntaxat accipiamus: sed econtra alia Scripturæ loca *Edenis* regionem nobis proponunt, neque contradictio aliqua apparet, si hortum voluptatis secundum literam exponamus.

3. Oppones: Cant. IV. 12. 13. Ipsa Ecclesia adpellatur *hortus conclusus*, ac Paradisus; & Prov. 13. Sapientia dicitur *lignum vitæ.* Erit ergo Paradisus cœtus Sanctorum, in quo est lignum vitæ in sapientia & institutione Christiana; lignum scientiæ boni & mali, id est, propriæ voluntatis arbitrium; ligna alia fructifera scilicet virtutes ac merita; & quatuor flumina terram irrigantia, quæ diffluunt ex uno fonte, hoc est, quatuor Evangelia sparsa per Apostolos in omnem Ecclesiam. Adde Paradisi nomen significare universaliter omnem locum, ubi feliciter vivitur, ut constat ex Lucæ capite XXIII. v. 43.

4. Resp. neminem negare Paradisum posse ἀλληγορικῶς ad res spiritales transferri; sed hinc non sequitur corporalem locum non esse. Non enim ideo putandum est non fuisse veras mulieres Agar & Saram, quoniam duo testamenta præfigurabant; nec Jerusalem in terris conditam, nec ullam petram à Moyse percussam, quia illa cælestem gloriam, hæc Christum Dominum præsignabat. Ergo ex quo Paradiso comparetur Ecclesia, ligno vitæ sapientia mater omnium bonorum, & quatuor fluminibus quatuor Evangelia, minime infertur in Genesi locum aliquem corporeum non esse descriptum. Legite Augustinum lib. VIII. de Gen. ad lit. cap. 4. & XIII. de Civ. D. cap. 21. Pariter eadem vox hebraica *Heden* propria, & appellativa esse potest: nec male Vulgata reddidit hebraicum גַּן בְּעֵדֶן *Gan be-Heden*, hortum in Eden, *Paradisum voluptatis.* Nam idem habet Chaldaica Paraphrasis: & Symmachus transtulit *Paradisum florentem*, Tigurini *hortos delicatissimos.* LXX. v. 8. nomen proprium Ἐδεμ retinuerunt sed v. 15. substituerunt appellativum ἡδονῆς, *voluptatis.* Idem ergo Paradisi nomen proprie significat hortum *Heden*, & appellative locum omnem, ubi animus jucunditate perfunditur.

5. Propositio. Propositio II. Inter varias de situ Paradisi opinationes probabilior est illa quam in Tabulis Geographicis tenet Augustinus Lubin Ordinis nostri asserens fuisse in amœna planitie supra prærultos vertices montium Armeniæ; si tamen potest de hac re certa proferri sententia.

6. Variæ opiniones de Paradiso. Varias dixi Auctorum opiniones; nam Barcepha Syrus Paradisum locavit ultra Oceanum, Malvenda in India Orientali, Rabbini quidam in cœlo, atque inter nubes, Beroaldus Sectarius, & Clericus in Syria. Communior sententia est situm fuisse in regionibus, quas Tigris & Euphrates præterlabuntur, ut docent Pererius, Torniellus, Salianus. Grotius arbitratur consitum in Babylonia. Huetius, qui hanc quæstionem sedulo examinandam suscepit, in confluente Tigridis, & Euphratis inter locum ubi hæc duo flumina junguntur, & locum quo iterum separantur, antequam in Persicum Sinum sese evolvant. Consentiunt Huetio Calvinus, & Scaliger. Etiam Pater Lamy in Apparatu Biblico Paradisum statuit in regione, quam abluunt illa duo fluenta simul juncta, & cui adhæret ab Oriente terra Chus,

à meridie sinus Persicus, sive potius Arabia felix, ab Occidente Chaldæa, à Septentrione autem Babylonia. Contendit Augustinus Calmet propius accedendum esse ad Armeniam, & ad scaturigines Tigridis & Euphatis, ideoque consitum Eden in superiori regione ad Orientem, antequam hæc duo flumina jungantur invicem. Appellit is ad sententiam clarissimi Augustiniani Cosmographi Augustini Lubin *Eden* locantis super altissimos montes *Ararat*, id est, Armeniæ, atque in eodem loco, ubi post diluvium arca requievit: nam Calmet loca omnia Paradiso finitima, & flumina inde erumpentia nobis ex Scriptore nostro delineat.

7. Probatur Paradisum fuisse in montibus armeniæ.

Hanc postremam opinionem cæteris probaliorem esse ex cap. 2. Geneseos ostenditur, ubi v. 10. habetur: *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita.* Situs ergo Paradisi erat ubi aqua erumpens regionem pomiferam irrigabat, atque inde fluenta quatuor celeberrima Phison, Gehon, Tigris & Euphrates distrahebantur. At hæc regio nulla alia videtur, quam planicies opima feraxque inter montes Ararat, ex quorum radicibus diffluunt capita illa quatuor fluviorum. Nam Phison, quem recentiores Geographi Phasim appellant, ex montibus Armeniæ ducit originem Septentrionem versus percurrens, regionemque Colchiden rigat auro, gemmisque ditissimam, dictam Hevilah à filio Jectan, cujus Posteri in Armenia & Mesopotamia sedem habuisse creduntur. Gehon idem est Araxes ex montibus Armeniæ effluens in Caspium mare, fluctibus & rapido cursu sonans, quod significat hebraicum vocabulum גִּיחוֹן Gehon, inquit Calmet: vergit autem Araxes ad Orientem, irrigatque Aethiopiam, & regionem Chus finitimam Artaxatæ; nam duplex est Aethiopia, una cis, altera ultra æquatorem circulum; ut observarunt Sanson & Lubin. Fluit Tigris è montibus pariter Armeniæ, & labitur ad meridiem per Assyriam, eamque à Mesopotamia dividit. Euphrates è montibus Ararat ex parte Occidentis erumpit, alluit à dextera Armeniam minorem & Siriam, à sinistra majorem Armeniam & Mesopotamiam, & flectens ad meridiem sese in Tigrim effundit, & communi alveo in Persicum sinum evolvitur. Igitur Planities montibus Armeniæ circumvallata sita est in medio quatuor fluminum: hæc ex aquis illam irrigantibus & terræ meatus pervadentibus ad radices montium scaturiunt, ideoque extra hortum voluptatis dispescuntur; his denique ex omni prorsus parte, ut instituti erat Moysis, natura situsque Paradisi voluptatis describitur.

Demonstratur etiam in hac sententia, quo pacto terra Haran & Chene sit finitima regioni Hedenis; nec ab ea procul distent Gozan, & Haran, & Resph; ut legimus Ezech. xxvii. 23. & Isaiæ xxxvi. 12. nam Haran & Chene spectant ad plagam australem Mesopotamiæ: Gozan ad regionem sitam in confiniis Armeniæ, & Mediæ: Resph in Thalassar: quæ loca omnia non procul à montibus Armeniæ dissita sunt. Sed hæc quadrare etiam possunt sententiæ Huetii, & eorum qui Paradisum collocant in Mesopotamia, & in confluente Euphratis. 8. Confirmatur.

Hæc tamen non plane esse certa constat. I. Ex tam variis opinionibus supra recensitis. II. Ex Patribus, qui locum Paradisi à cognitione hominum remotissimum esse tradunt: ita enim docent Tertullianus cap. 47. Apologetici, & S. P. Augustinus VIII. de Gen. ad lit. cap. 7. III. Ex D. Thoma, cui subscribunt Greg. de Valentia, Delrius, Nat. Alexander, Juenin, &c. IV. Ex fluviis Phison, & Gehon, quos veteres tradiderunt esse Gangem & Nilum, ut sentit etiam loco cit. Augustinus. V. Ex ratione; flumina enim complura, quorum antiqui Scriptores fontes commemorant, nunc in longe dissitis regionibus erumpunt, ut Alpheus juxta Plinium, & Pausaniam. Experiamur nihilominus an superior sententia validum habeat adversus cæterarum argumenta præsidium. 9. Hæc sententia non est certa.

Audiendus principio Cl. Episcopus Abrincensis, qui Paradisum consitum tenet ad fluvium, quem appellitant Arabum, productum ex confluente Tigridis & Euphratis, priusquam in mare Persicum se præcipitent. Quod demonstrat pluribus argumentis, quæ possunt ad hanc summam contrahi. I. Paradisum ad Orientem fuisse respectu Arabiæ, ubi Moyses creditur scripsisse Genesim, demonstrat hebræa vox מִקֶּדֶם *Mikkedem*, utrumque & tempus & locum significans, id est, *in principio*, & *ad Orientem*. Atque hoc postremo sensu aliis in locis usurpatur à Moyse. Est autem Arabia loco delineato ab Huetio occidentalis, & idcirco Paradisus consitus ad Orientem. II. Ea verba Gen. *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum*, significant quod fluvius ex Provincia Eden profluebat in Paradisum; quoniam tam latinum *egrediebatur*, quam græcum ἐκπορεύεται, hebræumque יֹצֵא 10. Objectiones.

cur-

cursum fluentis indicant, non *fontem*; hic enim propriis vocabulis poterat declarari. III. Falluntur, qui putant fluvium egredientem de terra Heden dividi in quatuor magna fluenta; cum *capita* dicantur brachia, & rami confluentis ejusdem, & Phison quidem occidentalis, Gehon orientalis. Quod præter regionis positionem conjicitur ex eo quod Moyses primo Phison nominavit, nam alveus occidentalis est Arabiæ Petrææ magis proximus. Convenit & nomen Phison à בוּשׁ *Pusc*, quod est circumfluere & augeri; item terra Havilah huic adjacens; aurumque Arabiæ, & pretiosi lapides Persici: tandem agrorum ubertas etiam à Curtio, cæterisque Topographis celebrata.

II. Solutiones. Sed facilis est ad hæc omnia responsio. Ad primum enim concedimus hebraicam vocem *Mikkedem* significare sæpenumero plagam Orientalem: sed Armenia Arabiæ Petrææ Orientalis dicitur, quamquam vergens paullulum ad Aquilonem; cum omnis regio Transeuphratæa ad Orientem sita dicatur. Præterea *Mikkedem* juxta literam potius significat *à latere Orientis*, quam in Oriente, ut cap. III. fatetur Huetius: id vero magis montibus Ararat collineat, quam confluenti Euphratis. Addo Gen. II. 8. *Mikkedem* omnium fere Versionum, præsertim Græcarum ac Latinarum testimonio vertendum esse *à principio*; cap. autem IV. 16. קִדְמַת *Chidmad*, ad plagam Orientalem. Ad Orientem ergo habitavit profugus Cain; sed utrum ad Orientem constitus fuerit Paradisus, Scriptura non loquitur. Ad 2. dicimus in ipso loco voluptatis fuisse fontem uberrimis aquis profluentem, & his hortum fuisse irrigatum; aquam vero diversas Paradisi partes subiisse, atque ex ejus scatebris quatuor flumina promanasse: nam hæc duntaxat extra Paradisum dividi Scriptura testatur. Ille autem fons erit forte tempore diluvii deperditus; unde legimus, quod *egrediebatur*, tanquam de fluente à priori scaturigine jam divulso dum Moyses hæc literis consignaret. Atque ita cursum aquarum in Paradiso, atque ex his quatuor fluminum scaturiginem plano, obvioque sensu defendimus. Ad 3. nemo inficias ibit רֹאשׁ *Rosc*, *caput*, aut *initium*, aut *primum* ac *præcipuum*, aut *eminentiam* quandam præsignare. Quomodo ergo Phison & Gehon, si brachia sunt & rivi unius confluentis, *capita* nuncupantur? Si diversa flumina sunt Tigris & Euphrates; quare non Phison, & Gehon? Quatuor enim *capita* dicuntur, non duo. Adde olim Tigridem & Euphratem separatis alveis intervallo XXV. milliariorum in mare Persicum influisse, ideoque nec productum ab his confluentem. Neque obstant Huetianæ conjecturæ: quippe Moyses undique Paradisum describit, & flumen magis remotum primo commemorat, postremo Euphratem, quasi ob oculos situm, notissimumque. Hinc cæterorum omnium cursum demonstrat: & de ultimo fluvio proximiori, ait tantummodo: *Quartus ipse est Euphrates*. Phasidem aquarum copia, & plurium fluminum vectigalibus tumidum exhibet nobis Cosmographia. Illi propterea convenit nomen פִּישׁוֹן *Physon*, & quod huic affine est, *Phasis*, à radicali פָּשָׂה *Phasa*, *crescere*, & *augeri*. Colchidem auro, gemmisque abundare scribunt Strabo, Plinius, & alii: & hanc esse terram Hevilath, docet Moullart Sanson; cui libentissime subscribimus, inquit Lubin. Eam *Phasis* longa periodo circuit; quod asseritur cap. 2. v. 11. Genesis; nec potest convenire Phisoni Huetiano; qui, ut divellitur à Gehone, in sinum Persicum profluit. Terra denique magis est frugifera & ferax inter Tigrum & Euphratem, solo per venas aquarum resudante, quam inferiori ad mare Persicum regione: atque hoc asserit Curtius lib. v. Plinius XVIII. 17. & Dionysius Periegetes apud Grotium in caput II. Genes. Fuerit ergo Paradisus in Babylonia, ut scribit idem Grotius ad Ezechielis tertium ac vicesimum? Non minor est agrorum ubertas in Mosopotamia, ubi oves dicuntur bis parere. Postrema itaque ratio potest singulorum placitis accommodari.

12. Dicentes Paradisum in India. Qui arbitrantur Paradisum fuisse consitum in India, his momentis ducuntur. I. Inquiunt hanc regionem esse respectu universæ terræ Orientalem. II. Ibidem optimum aurum adinveniri. III. Phisonem præcipuum Paradisi fluvium omnium veterum testimonio esse Gangem.

13. Refutantur. At hæc sunt facilioris solutionis. Omnes quippe Provinciæ Palestinæ Orientales in sacris literis *Oriens* nuncupantur, Media, Arabia, Persis, Moab, &c. Vide Exech. XXV. 4. Esaiæ II. 6. Matth. II. 1. &c. Aurum tametsi in magna copia nascitur apud Indos, scatet purissimum, atque uberrimum etiam in Colchide. Ganges nimis distat à Tigride, & Euphrate, ut possit effluere ex uno fonte, quantumvis explicato ac

diffuso. Potuit ergo à Patribus appellari Phison propter aquarum ubertatem; quemadmodum Nilus Gehon, omnisque aquarum ductus exundans, & agros mollitos, & oblimatos relinquens, Nilus dicitur. Verum appellativa nomina ista sunt, & Moyses propria conscripsit. Ita potuit Tigris ab aquarum gurgitibus nomen habere Pisitigridis, & Gihonis; quorum primum occurrit apud Curtium, alterum frequens est in Persica Historia: & tamen quatuor divisa capita fluminum Auctores collocantes Paradisum in India nequaquam denegant. Phison ergo & Gehon magna quæque flumina indiscriminatim possent appellari; licet proprie ille sit Phasis, iste autem Araxes.

14. Constituentes Paradisum in Mesopotamia retunduntur.

Constituentes Paradisum in Mesopotamia, aut citra Euphratem asserunt hanc regionem sitam esse ad Orientem Palestinæ, proximam Euphrati, ibique olim habuisse sedem posteros Adæ, eo enim illos trahebat amor natalis soli. At frustra istic quærent quatuor capita fluminum, etiamsi daretur Phisonem & Gehon esse duo brachia Euphratis: quamvis in Mesopotamia duo possint designari Tigris ad Ortum, & Euphrates ad Meridiem, & Occidentem. At Patriarchæ tam Mesopotamiam, quam Assyriam, & Babyloniam incoluerunt: & verisimilius est omnes ab ingressu Eden fuisse prohibitos, antequam diluvio universali (ut contigisse arbitramur) dissiparetur. Cæterum Mesopotamia habet ad Aquilonem montes Armeniæ: eosque à longe spectare poterat Adam, si placeat hujus regionis fuisse colonum. Tantum itaque loco super vertices illorum montium characteres omnes Paradisi conveniunt: oriuntur ex eorum radicibus Phasis, Araxes, Tigris, & Euphrates: abluuntur ab his regiones notatæ à Moyse: sunt illic irrigui ac fertiles agri; nec deest loci sublimitas, quam exaggerant Patres, Basilius maxime, & Theophilus in 11. ad Autolycum.

15. Propositio 3. de ligno vitæ & scientiæ.

Propositio III. Inter Paradisi arbores duæ præsertim censiderandæ sunt, lignum vitæ, lignumque scientiæ boni & mali.

Probatio de ligno vitæ.

Ita enim 11. Geneseos v. 9. Lignum vitæ dicitur usitatissima hebraica phrasi ad demonstrandum effectum, quoniam Dei instituto hominem integrum & incolumem conservabat. Legimus eodem sensu *verba vitæ* Joan. VI. 68. *Spiritum Sapientiæ* Esaiæ XI. 2. *Disciplinam pacis* LIII. 5. & alia permulta. Largiebatur quippe hæc arbor *stabilitatem contra vetustatem*, ait S. P. de peccatorum meritis cap. 3. Disputant Interpretes num hæc vivifica arbor efficaciam reficiendi senectutem haberet naturaliter, an beneficio Creatoris. S. P. Augustinus lib. XIII. de Civit. Dei cap. 20. de primorum parentum immortalitate differens, *Qui status*, inquit, *eis de ligno vitæ, quod in medio Paradisi cum arbore vetita simul erat, mirabili Dei gratia præstabatur.* Eadem repetit de peccatorum meritis cap. 21. & in VIII. de Gen. ad lit. cap. 5. Sunt nihilominus, qui hanc virtutem ligno vitæ naturalem fuisse defendunt, propterea quod cap. III. 22. dicitur Adam ejectum de Paraso, ne comederet de ligno vitæ, & viveret in æternum. Pater Calmet opinatur mentem esse Augustini, quod virtus beneficæ arbori indita ne mortalia corpora veterascerent, gratiæ deputetur, eoquod Deo Creatori esset referenda; quod satis est, inquit, ut Augustinus supernaturalem judicaret. Sed certissima duo sunt: primum, immortalitatem primi hominis non fuisse illi naturaliter debitam; alterum, lignum vitæ non potuisse hominem præservare nisi ad determinatum tempus, si nullam virtutem habuit præter inditam ac naturalem. At de immortalitate primi hominis sequenti libro.

16. Probatio de ligno scientiæ.

Arbor scientiæ boni & mali appellata est, non quod ei inesset vis acuminis ingeniique conferendi, ut vult Josephus lib. 1. Antiquit. sed propter experientiæ consequentiam. Primus enim homo comedendo illius arboris fructum, *per experimentum pœnæ didicit, quid interesset inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum*, ait S. P. cit. libro de Gen. ad lit. cap. 6. Fuit autem arbor hæc interdicta, *non quia ipsa erat malum, sed propter commendandum puræ & simplicis obedientiæ bonum, quæ magna virtus est rationalis creaturæ sub Creatore Domino constitutæ:* inquit idem Augustinus libri XIII. de Civit. Dei capite vicesimo. An fuerit arbor mali, an ficus, an cerasi incertum omnino est, nec in præsentiarum disquirendum.

CA-

CAPUT V.

Aſpectabilem Mundum non eſſe Deo coæternum, ſed procreatum in tempore.

SUMMARIUM.

1. Status quæſtionis.
2. & 3. Probatur, non præteriiſſe infinita durationis rerum creatarum ſpatia, ſed omnia fuiſſe à Deo condita in tempore.

à num. 4. Usque ad 7. Reſpondetur ad argumenta contraria.

à num. 8. Usque ad 10. Propugnatur, probabiliùs mundum, ſeu creaturam aliam non potuiſſe condi ab æterno.

11. & 12. Solvuntur objectiones.

1. An mundus coæternus Deo.

BREVES erimus in hac quæſtione, cum illam etiam Philoſophi ad ſua jura tranſtulerint. Sempiternum mundum exiſtimarunt Ariſtoteles & complures Platonici: ſed jam conveniunt omnes, nec mundum, nec creaturam aliquam eſſe Deo coæternam. Nonnulli tamen illud Divinæ tribuunt virtuti, ut potuerit univerſum, ſaltem quoad permanentes ſubſtantias, ab æterno producere. Habet ergo quæſtio duas partes; una ad perfectam hujus Univerſi conditionem pertinet: altera ad poſſibilem.

2. Propoſitio I. Deus omnia in tempore condidit.

PROPOSITIO I. Non præterierunt infinita durationis rerum creatarum ſpatia, ut quidam veteres Philoſophi commenti ſunt; ſed omnia fuerunt à Deo condita in tempore.

Probatur ex ſcriptura & ratione.

Sacris literis ac ratione probatur. Erat enim Sapientia Patris *antequam terra fieret, & nondum erant abyſſi, & jam concepta erat; necdum fontes aquarum eruperant, nec montes gravi mole conſtiterant*, ait Auctor Proverb. cap. VIII. 13. &c. Non ſunt ergo creaturæ Deo coæternæ: ſed creatæ *in Principio* temporis, ut habetur initio Geneſeos. Vox quippe Hebraica בראשית *Bereſcit* ſignificat quamcumque temporis, aut loci, aut operis inchoationem: & durationis primordium Chaldaica בְּקַדְמִין *Bechadmin.* Accedit definitio Lateran. Concilii ſub Innocentio III. cap. 1. declarantis creaturam ſpiritualem & corpoream *ab initio temporis* eſſe conditam.

3. Probatur obſervationibus phyſicis & moralibus.

Idem oſtendunt phyſicæ ac morales obſervationes. Phyſicæ quidem: nam cum pluviæ è montibus ac rupibus continue arenam glebasque corrodant, quas transferunt in planitiem, vel proximiora litora maris, atque, ut ait v. libro Lucretius,

Pars etiam glebarum ad diluviem revocatur,
Imbribus & ripas radentia flumina rodunt;

ſi mundus ab æterno conſtitiſſet, neque imæ darentur valles, neque juga & vertices montium; ſed illæ forent oppletæ terræ lapillorumque congerie, hi vero æquati ſolo, & in planum redacti. Moralis autem conjectura hæc eſt. Cum abhinc retro nondum ſex annorum millia de excellenti rerum geſtarum memoria ſupputare poſſint hiſtoriæ; quis non hinc exiſtimet mundum aliquando cœpiſſe, nec longam eſſe ejus ætatem? Cur (inquit lib. 11. in ſomnium Scipionis Macrobius) per innumerabilium ſeriem ſæculorum non fuerat cultus, nec quo utimur inventus literarum uſus, quo ſolo memoriæ fulcitur æternitas? cur multarum rerum experientia ad aliquas gentes recenti ætate pervenit? Vide citati libri caput x. Recurrunt Adverſarii ad rerum viciſſitudines & commutationes; quas Macrobius ipſe repetit ab igne, alii à diluviis, quæ mundum labefactaverint, & vetera hiſtoriarum rerumque abſumpſerint monumenta. At viciſſitudines illæ aut omnium plane hominum cladem exitiumque intulerunt; aut aliquorum tantummodo. Si univerſum humanum genus deletum eſt; quisnam præteritam univerſorum cladem nuntiavit? Quodſi aliquæ tantum nationes perierunt ſive naufragio, ſive incendio: jure petimus, cur ſervati ab interitu homines innumera præteritorum ſæculorum millia numerare non poſſint literis ac monumentis vetuſtiſſimis conſignata, neque ante apparuerint artes, ſcientiæ, bella, tantaque Philoſophorum ac poetarum ingenia? Ergo initium mundi demonſtrant ſacræ literæ, & phyſicæ ac morales ratiocinationes.

RESPONSIONES AD OBJECTA.

4. Objectiones.

Ducebantur gentiles Philoſophi his argumentis. Si mundus non ſit æternus, duos execrabiles errores conſequi neceſſum eſt, nempe Deum eſſe mutabilem, & ab actione in actionem tranſire,

sire, ceu mortalem: atque tempus factum fuisse in tempore, vel antequam tempus extiterit, cum sit una cum cœlo generatum, ut inquit Plato. Præterea non potest in animum cadere, ut tanta, quæ mundum antecessit, æternitate Deus mundi creationem distulerit; ut enim arguit Proclus, cur Deus infinito tempore fuisset otiosus? num ignarus creationem futuram esse meliorem? At id quidem absurdum est. Si non ignarus: quare non prius est operatus? Denique: In anteriori æternitate Deus vel non fuit, vel dormiebat, vel vigilabat, vel horum neutrum. Primum est absurdum, est namque Deus sempiternus: secundum quoque nulla ratione stat, quoniam æternus somnus non cadit in Deum. Si vigilabat, aut beatitudine fruebatur, aut non. Hoc postremum efficit ut Deus seipso beatus non sit, quod implicat. Quod si beatus erat & pulchre degebat ævum, rerum novarum molitione delectari non debuit.

5. Responsiones.

Ad primum itaque dicimus mutationem ejus esse, quod est in potentia; nam & Aristoteles definit motum *actum entis in potentia*. In Deum ergo nulla cadit mutatio, sed hæc est solius termini vel effectus: veluti cum per calorem solis aliqua corpora calefieri contingit, nulla in sole, vel calore ejus mutatio fit, quamvis immutetur res calefacta, inquit lib. 3. Introduct. cap. 6. Abaelardus. Purissimus quippe actus Deus est, nulla potentialitate permixtus. Neque enim humano more discurrendum est: Si æterna est operatio ex parte efficientis causæ, quare sempiternus non est effectus? id enim provenit ex ipsa causæ ac termini conditione. Nam illa nullo agit animi aut corporis motu, sed incommutabilis est, & stabili ratione operatur, & cum sit perfectissima, libertate carere non potest, quælibet autem mutatio non est sine corporis aut animi agitatione; neque summa libertas stat cum necessitate. Idcirco utrumque in sempiterna causa salvari debet, incommutabilitas absque transitione de actu in actum, & indifferentia comparate ad terminum vel effectum. Hic natura sua mobilis est aut animo aut corpore, aut utroque; & consequenter nequit esse immutabilis & necessarius. Ad argumentum Aristotelis dicentis fieri non posse, ut mundus sit productus in tempore, nisi tempus præexistat, dicendum est mundum creatum in tempore, quatenus habuit initium propriæ durationis, & semper potuit excogitari aliquod antecedens momentum, in quo non fuerit; quod verificari nequit de re sempiterna. Tempus enim, quod pendet à rerum corporalium mutatione fuit una cum ipsis productum: neque potest rerum proprietas illarum conditionem præcedere.

6. Objectio Procli & solutio.

Quod opponit Proclus facili responsione diluitur. Nulla quippe creatura existente, cujus mutabilibus motibus tempora peraguntur, tempora omnino esse non possunt. Legite Augustinum lib. XII. de Civit. Dei cap. 15. & XI. Confess. cap. 12. & 13. Ipse Plato in Timæo hæc de æternitate scripsit: *Dicimus de illa est, erat, & erit; sed illi revera solum esse competit. Fuisse vero & fore deinceps ad generationem tempore procedentem referre debemus.* Hæc Plato, aliaque ad rem nostram aptissima, quibus ostenditur Divinam substantiam neque seniorem fieri, neque juniorem, nec fuisse, nec futuram esse, nec recipere eorum quidquam, quibus creata subjiciuntur, sed perseverare semper immutabiliter. Cum ergo non fuerit aliquod tempus priusquam Deus condidisset cœlum & terram; cur dicitur per anteacta tempora ab opere cessasse? quid quæritur quid tunc faciebat? *Non erat tunc, ubi non erat tempus*, ait memorato loco Augustinus. Atque his Proclo, cæterisque Platonicis satisfactum iri confidimus.

7. Argumentum Plutarchi cum solutione.

Consimile est argumentum ultimum verbis Plutarchi propositum: cui reponimus, Deum perpetuo vigilare, ac beatissimam vitam ducere, neque novam aliquam ex rerum creatarum molitione percipere delectationem. *Fas non est credere* (ait S. Pater lib. XII. de Civit. Dei cap. 17.) *aliter Deum affici cum vacat, aliter cum operatur; quia nec affici dicendus est, tanquam in ejus natura fiat aliquid, quod non antea fuerit. Patitur quippe qui afficitur, & mutabile est omne quod aliquid patitur. Non igitur in ejus vacatione cogitetur ignavia, desidia, inertia, sicut nec in ejus opere labor, conatus, industria.*

8. Propositio.

Propositio II. Videtur probabilior illorum sententia, qui arbitrantur mundum, seu creaturam aliam non potuisse condi ab æterno.

Probatur mundum vel creaturam aliam non potuisse condi ab æterno.

In hac siquidem conspirarunt PP. contra Arium disputantes, hoc argumento probantes Divinitatem Verbi: Quod est æternum nequit esse creatum: Verbum est æternum; Ergo verbum creatum esse non potest. Neque nobis satisfaciunt quidam Scholastici reponentes, Patres adversus Arianos argumentari *de facto*: nam hæc responsio pluribus

bus momentis eliditur. Ac primo S. Athanasius in 2. contra hæreticos illos disputatione ait: *Tametsi Deus possit semper facere, at res creatas æternas esse, non potest: quippe ex non extantibus sunt, & non erant antequam fierent. Quæ autem non sunt antequam fiant, quinam poterant cum Deo, qui semper est, existere?* In quibus proculdubio Athanasius non de eo, quod reipsa factum est, sed de eo, quod potest fieri, instituit disputationem. Neque de æternitate *participata* ac mutabili potest commode exponi; cum non semel doceat esse in tempore productum ita rei creatæ competere, ut ei nequaquam convenire possit semper fuisse. *Proprium est* (inquit Orat. III. contra Arianos) *creaturarum & operum non esse antequam fiant, & ex non extantibus subsistere.* Docet præterea in Epist. ad Africanos notas Divinitatis esse *vim creandi, æternitatem, & immutabilitatem: quas* (inquit) *creaturæ habere non possunt.* Quemadmodum ergo virtus creandi & immutabilitas nequeunt rebus creatis convenire, ita neque æternitas: ideoque æternitas illa *participata* commentum Scholasticum est, pugnans cum rerum creatarum natura; quarum proprium est fieri ex non extantibus, & consequenter non fuisse aliquando. Ad hæc: Methodius Martyr in libro contra Origenem ait: *Impossibile est id quod initio productionis est circumscriptum, ortus sui termino carere.* Methodius vero necessario intelligendus est de æternitate *participata*, quam mundo assignabat Origenes: ut demonstrat Petavius tom. 1. Theolog. Dog. lib. III. cap. 6. ubi plura ad hanc rem satis idonea. Denique quomodo poterant Patres argumentari contra Arianos *de facto*, cum inter hæreticos illos plures fuerint, qui aliquas creaturas æternas assererent commenti ex Schola Platonicorum æones ac demiurgos?

9. Probatur 2. Neque ex sola oppugnatione hæresis Arianæ veritas Propositionis monstratur, sed etiam ex confutatione dogmatum Aristotelis. Quomodo enim Lactantius lib. VII. de Vita beata cap. 1. probat adversus hunc Philosophum Mundum non extitisse ab æterno? *Quia* (inquit) *quidquid est productum, necesse est aliquando habuisse principium: nec omnino quicquam potest esse, nisi cœperit.* Justinus pariter Confut. 31. idem demonstrat hoc argumento: *Omne quod fit, antequam fieret non erat: non igitur æternum, & principii expers tempus est.* At hæc adversus errores Philosophorum essent prorsus vana & futilia; si aliquid simul productum esset, & particeps æternitatis.

10. Probatur 3. ex Ideis rerum. Advertenti ad rerum ideas magis magisque hæc veritas suadebitur. Idea creationis est, quod per illam res producantur ex nihilo: si ex nihilo, ex non extantibus: si ex non extantibus, necesse est, ut aliquando non fuerint: si hoc necessarium est; ergo repugnat res productas esse ab æterno. Atque ex hoc principio Patres Arianam hæresim vellicant, frangunt, evertunt. Idea temporis est, quod mutabilitate transcurrat, & sit mensura quædam vitæ & operationis creaturæ habentis prioris & posterioris discrimen: in sola enim veritate, quæ manet, præteritum aut futurum non invenitur. Vide S. P. Augustini Tractatum octavum & tricesimum in Joannem. At creatura nequit subsistere, nisi mutabiliter. Ergo duntaxat in tempore habere potest extantiam. Idea denique creaturarum exhibet menti nostræ substantiam finitam, qua semper cogitari potest perfectior; alias non repugnaret creatura perfectissima atque infinita. Igitur data quacunque durationе rei ab alio productæ, necesse est ut alia semper major possibilis percipiatur, alioqui foret ipsa immutabilis Dei existentia. Posita autem creatura ab æterno, quænam diuturnior, ampliorque duratio percipi poterit? Sunt reliqua apud Philosophos pervulgata.

Ad ea, quæ objiciuntur, Responsio.

11. Objectiones. Sententiam oppositam quidam acerrime propugnant propter ea, quæ sequuntur, argumenta. Principio affirmant Dei æternitatem esse undequaque immutabilem, cum quantum spectat ad durationem & vitæ perennitatem, tum ad operationem ac perfectiones reliquas. Est enim interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio. At creatura quæ ab æterno consisteret, foret quidem vitæ interminabilis, sed non haberet perfectissimam vitæ suæ possessionem, operatione nova præteritis succedente. Quare Philosophi, qui aut mundum, aut materiam fecerunt æternam, nequaquam Deum hæc existimarunt: quoniam *aliud est per interminabilem duci vitam, quod mundo Plato tribuit; aliud interminabilis vitæ totam pariter complexam esse præsentiam:* inquit Boetius de Cons. lib. v. Prosa 6. Igitur non implicat creaturam esse ab æterno; quoniam

niam istiusmodi æternitas, utpote mutationi obnoxia, non est Divinum illud attributum incommunicabile rei creatæ. Insuper: ex quo Deus habeat solus immortalitatem, ut in 1. ad Tim. scribit Apostolus, non consequitur rationalem animam non esse immortalem: sed duplex distinguenda immortalitas est, permanens & incommutabilis vita, Dei propria; & vita interminabilis spiritualis substantiæ, quæ sua mutatione peragitur, cum possit scientia & charitate deficere atque proficere, necnon à primæ causæ voluntate arbitrioque dependeat. Pari jure videtur distinguenda duplex æternitas, prima, & secunda; sive participata, & tota simul existens. Deus præterea ab æterno erat omnipotens, & mundus ab æterno erat possibilis: nulla ergo emergit repugnantia, sive spectetur virtus causæ, sive conditio effectus, in creatione mundi ab æterno. Tandem si sol extitisset in æternitate, lucem perpetuo effudisset: aut si pes, semper potuisset imprimere vestigium in pulvere: & nihilosecius distingueretur lux à sole, & vestigium à pede. Ita, &c.

12. Solutiones. Resp. duplicem esse æternitatis characterem, unum quod careat principio & fine, alterum, qui ex priori consequitur, quod sit immutabilis: nam, ut scribit Plato in Timæo 2. *quod ortum non habet, & semper est, procul debet esse ab omni temporis vicissitudine.* Hujus rei & nos rationem protulimus; quoniam nisi detur primordium temporis, cogitari non potest initium durationis mutabilis. Igitur Philosophi, qui mundum constituebant sempiternum, etsi non ei tribuebant oretenus sublimiorem illam æternitatem, quæ nulla transitione peragitur, ut sapienter animadvertit Boetius, hanc tamen mundo tribuebant reipsa, & consequentiæ necessitate; merito refellendi, quia docebant quæ rationi quoque adversantur. Profecto immortalitas creaturarum non tollit essentiam, quam destruit æternitas: debent enim res creatæ fieri ex nihilo, atque ex non extantibus, ut demonstratum est supra. Neque tenetur Deus creaturam omnem redigere in nihilum, tametsi istud efficere possit: at debet quamlibet creaturam principio producere ex nihilo, quoniam ratio creationis hoc postulat. Intelligimus etiam creaturam mutabiliter agere vitam, quamvis non moriatur, sicuti videmus hominem ambulare, etiamsi moveri persistat: at non percipitur initium mutabilis vitæ, nisi sit primordium alicujus temporis, quemadmodum non videmus inchoari ambulationem vel cursum, nisi intueamur principium motionis. Sunt enim tempus & vita rerum mutabilium prorsus synonima, non minus ac deambulare & moveri. Duplicis ergo æternitatis distinctio comparari nequit cum duplici Immortalitate: qua de re vide superiorem de Angelis dissertationem capite tertio. Nec ad rem est exemplum solis, & pedis imprimentis vestigium, adhibitum à Platonicis, ut refert S. P. Augustinus in x. de Civit. Dei cap. 3. Etenim tria possunt esse simul cum sua causa: proprietates quæ sunt veluti complementum substantiæ, ut lux est simul tempore cum sole: modificationes, quæ non sunt res per se subsistentes, neque, ut Philosophi loquuntur, absolutæ *entitates*, ut umbra corporis, splendor solis, excavatio pulveris premente pede, & denique simul sunt quæ eamdem habent substantiam, & unum est principium alterius, sicut Divinæ Personæ. Cum itaque creatura neque sit Deo consubstantialis, neque proprietas aut modus Divinitatis, consequens est non potuisse produci ab æterno. Præclara est hac in parte doctrina Zachariæ Mytilenæi apud Petavium memorato capite VI. num. 6. Vide & Purchotium Exercit. Ontolog. disput. IV. sect. 2. quæst. 1. Ab æterno denique Deum esse omnipotentem, ac mundum possibilem nemo ignorat: ac potuit condi creatura quocunque momento distributive accepto; sed quodcunque pro mundi productione designetur, debet ab aliis in infinitum anteverti, alias æternitas non esset infinita, & posset certis intervallis exhauriri & expleri. Atque idem dicendum est de potestate semper agendi in æternitate, quam appellitant *à parte post*. Sed eam provinciam non suscepimus, ut de Philosophicis prolixe, & cumulate dicamus.

CA-

CAPUT VI.

Mundi natale ad æquinoctium vernum, non ad autumnum probabilius referri.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.

à num. 2. Usque ad 6. Probatur, verno, non autumnali tempore mundum à Deo fuisse conditum.

à num 7. Usque ad 14. Enervantur opposita.

1. An mundus creatus in vere vel autumno.

EGIMUS de mundi in tempore productione, & refutavimus veterem quorumdam de ipsius æternitate commenta. Sequitur, ut inquiramus quo anni tempore Deus tam præclarum opus molitus sit, an ineunte vere, an autumno; nec enim de hyeme qui id sentiret repertus est hactenus. Aestate mundum cœpisse existimarunt Ægyptii, quorum opinionem propugnavit in Methodo demonstrationis temporum Gerardus Mercator: at nullum antiquiorem Patronum habet vel Judæorum, vel Christianorum, hæc Ægyptiorum opinio. Autumno mundum creatum docuerunt Talmudistæ in Gemara Aboda, Rabbi Eliezer, Cabbalistæ, Lyranus in cap. VII. Gen. Tostatus q. XXI. & cap. XIV. Defensorii, Picus Mirandulanus, & post Adrianum Junium, & Scaligerum, Usserius, Vallemontius, Natalis Alexander, & recentiores Chronologi fere omnes; qui etiam mundi Natali plenis calculis diem assignant tertiam ac vicesimam Octobris anni Periodi Julianæ 710. In æquinoctio tamen verno productum mundum major pars Sanctorum Patrum affirmat, nec dissentiunt veteres Rabbini, ex quibus R. Josua idem statuit. Theologi quoque innumeri idem tradiderunt, imo & Novatores hoc studiorum genere clari, Gerardus Vossius, Jacobus Cappellus, Eduardus Simsonius, aliique innumeri. Veteres Historicos in hanc sententiam conspirasse liquet ex libro II. Diodori Siculi; de aliis Scriptoribus Gentilitatis, videndus Rhodiginus I. p. variarum lectionum. Etiam Astrologi signa Zodiaci ab Ariete constantissime ordiuntur; & assentiuntur Poetæ, quorum inter Latinos clarissimus II. Georgicon libro ait:

Non alios prima nascentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim. Ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri.

Ex quibus constat validiorem fore sententiam istam, si auctoritate pugnandum sit. Videamus ergo, num jure sit ab hodiernis temporum Censoribus repudiata.

2. Propositio verno tempore.

PROPOSITIO. Verno tempore, non autumnali Deus mundum condidit.

Probatur 1. ex S. Scriptura.

Hæc thesis primo probatur ex eo, quod Gen. I. 11. Deus jusserit germinare terram herbam virentem, & proferre ligna pomifera secundum genus suum. Atqui herba germinat verno tempore, & tunc plures plantæ fructus proferunt; cum autumno nullæ germinent aut floreścant, ac fruges & fructus omnes, die præsertim vigesima tertia Octobris, collecta sint. Videtur ergo Scripturæ magis consentaneum primordia mundi in verno tempore constituere. Atque argumentum istud non una ratione confirmatur. Prima est, quod si nulla arbor initio temporis germinasset, non tam pulchrum, & visui delectabile fuisset Paradisi, & vicinorum locorum spectaculum. Deinde multæ arbores, illæ nempe, quæ matureścunt vere aut æstate, aspectui primorum parentum se tanquam infructuosas ac steriles obtulissent: cumque post autumnum singulæ flores deperdant ac moriantur, plurium Adam prius vidisset superveniente hyeme ariditatem, quam germen floremque. Præterea fuisset principium anni dum incipit dominari illuvies soli, cœli squalor, nox longior & atra, rerumque omnium interitus. Contra si mundi nativitas accidit verno tempore, conspexerunt Protoparentes in aliis plantis florum venustatem, in aliis ubertatem fructuum, in singulis fertam opimamque fœcunditatem: exhibuerunt se Paradisi viciniæ floreścentes simul & frugiferæ: apparuerunt fructus omnium arborum ante hyemem; & annus incœpit eo semestri, quo dies noctibus sunt longiores, regnumque obtinet splendor lucis, agrorum fertilitas, hortorum amœnitas, rerum omnium generatio, & conferta messis herbarum, florum, & fructuum.

3. Probatur 2. ex SS. Patribus.

Secundo probatur Sanctorum Patrum auctoritate. Inter quos Cyrillus Catach. XIV. ait: *Aprili enim mense instante jam ver est reliquum. Quod tempus*

pus est hic mensi apud Hebræos primus, in quo festum Paschæ prioris erat typicæ, nunc autem est veræ. Hoc tempus est creationis mundi; tunc enim dixit Deus, Producat terra herbam virentem. Ambros. lib. 1. Hexam. cap. IV. *In hoc ergo principio mensium cœlum & terram fecit: quod inde mundi capi opertebat exordium, ubi erat oportuna omnibus verna temperies. Unde & anus mundi imaginem nascentis expressit, ut post hibernas glacies, atque hiemales caligines, serenior solito verni temporis splendor eluceat.* Theodoretus quoque in Exodum q. LXXII. inquit: *Eodem tempore Deus creaturas condidit: cui rei fidem facit arborum germinatio. Incipiente enim vere prata florere solent, segetes semina concipiunt, arbores fructum emittunt.* Atque ut alios omittam Damasc. lib. II. de Fide Ortod cap. VII. *Per solem quatuor temporum versiones constituuntur: & prima quidem verna est: in ipsa enim Deus fecit universa.* Vide cæteros Patres apud Salianum Annal. I. & Gerardum Vossium in Isagoge Chronolog. diss. II. cap. VII.

4. Probatur 3. ex concepsione & Passione Christi.

Tertium argumentum suppeditat nobis conceptio & passio Christi. Ipse enim non incongrue naturam induit servilem, & Crucis patibulum subiit octavo Kalendas Aprilis, recurrente tempore, quo populum Israel liberavit de Ægypto: sed eo consilio Salvator mundi hæc omnia peregit, ut figuræ responderent rebus, & homo repararetur eodem tempore, quo fuerat plasmatus. Flocci faciunt argumentationem istam Recentiores, neque memorata die Christum cruci suffixum fateri volunt: sed alibi dabo operam, ut quisque percipiat etiam recentium miraculorum luce, quam immerito Patrum traditio observationibus Astronomicis fuerit explosa. Nunc missa de anno ac die Passionis Christi, & conceptionis perplexa disputatione, non homo quispiam negaturus est verno tempore Christum Redemptionis opus expleße. At Patres eadem tempestate mundi ortum & reparationem statuerunt. *Ut omnia* (verba sunt Augustini qq. ex novo Testam 54.) *se voluntate Patris recte condidisse doceret, tunc voluit passione sua mundum redimere, & reformare, quando eum & creaverat, id est in æquinoctio, &c.* Eadem docent Ambrosius & Cyrillus locis laudatis, atque serm. IX. de Passione Domini Magnus Leo.

5. Probatur 4.

Argumentum IV. istud erit. Abjiciunt aliqui sententiam nostram, propterea quod Moyses omnium primus præcepit ut Hebræi annum supputarent non à mense Tisri, qui ex parte respondet Septembri, ex parte autem Octobri, uti ad ea usque tempora consueverant; sed à mense Nisan, & ab ingressu solis in arietem, ut liberationis à servitute Ægypti consecraret memoriam. Atqui etiam priscorum Patriarcharum ætate annus à Nisan exordiebatur, & Moysi illud quoque consilium fuit, ut revolutiones annorum Gentium consuetudine permutatas revocaret ad veterem numerandi rationem. Perperam ergo sententiam nostram recentiores conantur refellere. Probatur minor: Genes. VIII. 13. & 14. legitur aquas diluvii imminutas super terram sexcentesimo primo anno vitæ Noe, primo mense, & egressum Noe de Arca mense secundo, septima & vicesima die mensis. Mensem vero secundum appellat Moyses non illum, qui ad Tisrim, sed qui ad Nisan consequitur. Numerarunt ergo annum ab hoc tempore etiam veteres Patriarchæ. Quod autem mensem secundum vernum, non autumnalem exhibeat nobis historia diluvii, coniicere possumus. I. Quod Columba detulit ad arcam *ramum olivæ virentibus foliis.* Et quamquam poterat Deus arborem oleæ servare, & hæc semper vireat, ut respondent Interpretes; videtur tamen illis verbis commonstrari ramusculus germenque tunc primo frondescens; unde à LXX. redditum est φύλλον ἐλαίας κάρφος, *nascentem oleæ festucam*, & à Symmaco θάλλον, *ramusculum pullulantem.* Atque ramus ille à Columba delatus Patrum testimonio figurabat Dei gratiam, & prædicationem Evangelii, quæ etiam eodem tempore habuit institutionem. II. Cum Christus pro nobis sit crucifixus luna XV. mensis Nisan, & luna cum plenitudine luminis producta credatur, peracta erit passio Christi initio temporis, & resurrectio luna decimaseptima, ascensio autem septima ac vicesima secundi mensis; sunt enim à Resurrectione ad Ascensionem numerandi dies quadraginta. Atque ita typus rei per omnia quadrabit: nam aquæ super terram penitus sunt imminutæ exordio anni; & Noe egressus est de arca mense secundo, die vicesima septima: atque ita imminutio aguarum perfectam mundi reparationem significat, & egressio Noe reditum Christi unde venerat. Si recentioribus fides est adhibenda, non imminutæ sunt aquæ nisi die 23. Octobris, neque Noe retulit de arca pedem ante diem duodevicesimam mensis Decembris. Qua ergo alimonia extra arcam ani-

animantia vixerunt, cum diluvium omnia discerpserit, nec hyeme sit terra frugifera? Contra, si vere ineunte aquæ imminutæ dicantur, & post aquarum recessum Noe duobus fere mensibus fuit commoratus in arca; egredientibus non poterant deesse pascua, nec hominibus necessaria corporis nutrimenta.

6. Probatur 5. Postremum argumentum sit: Quamvis geminum in sacris literis habeamus initium anni, à Nisan, & à Tisri, & illud sacrum, istud civile sit, ut Adversarii contendunt; mensium tamen unum ac simplex principium adinvenitur, atque, sive de sacris, sive de civilibus occurrat sermo, ubique menses numerantur à verno tempore. Ergo revera ab æquinoctio verno cujusque temporis principium initur. Ostenditur antecedens 1. libro IV. Regum cap. XXV. 8. dicitur Templum succensum anno decimo Sedechiæ, mense quinto: & Nabuchodonosorem obsedisse Jerusalem elapso anno, mense decimo. At Jerusalem obsidione vallata est mense Tabet, qui est decimus à verno æquinoctio, non ab Autumnali; templumque conflagravit mense Ab, qui est quintus post Nisan, non post Tisri, ut constat ex libro Seder Holam, cæterisque monumentis Hebraicis, auctore eodem Scaligero. Igitur in historiis quoque bellorum, urbisque direptione menses putantur à vere. Præterea Num. 1. v. 1. jussit Dominus principio mensis secundi, numerari viros omnes ad militiam idoneos, quod sane non pertinet ad rem sacram, sed ad civilem ac militarem: & nihilominus mensis secundus intelligendus est Jiar proximus à Nisan, non Hesvar, qui secundus est autumnalis. Vide Ger. Vossium cap. 6. Simplex ergo initium cujusque mensis in Scripturis attenditur, quod nuper probatum ivimus.

Solutio eorum, quæ objiciuntur.

7. Oppositio 1. Opp. 1. cum Lyrano, & Abulensi. Exodi XII. 2. de Nisan legimus: *Mensis iste vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni.* Ergo ante exitum de Ægypto annus nunquam initium habuit à Nisan. Capite etiam XXIII. 16. & XXXIV. 22. præcipitur Filiis Israel solemnitatem agere *in exitu anni*, quando *redeunte anni tempore cuncta conduntur.* Est ergo post collectionem omnium frugum statuendus dies mundi Natalis.

8. Solutio. Resp. nego consequentiam: cum enim Israelitæ inter Ægyptios annum à Tisri inchoarent secuti Gentium consuetudinem: Moyses ad pristinam rationem scilicet ad primum mensem verum revocavit principium anni, ut duorum simul beneficiorum, creationis, & liberationis consecraretur memoria. Quod ex iisdem verbis haud obscure colligitur. Non enim ait duntaxat: *Mensis iste primus erit in mensibus anni;* sed *Mensis iste vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni*: scilicet, Aegyptiis initium anni est circa Autumni æquinoctium; cum Nilo in amnem suum residente ad agrorum culturam se convertunt: at vobis principium anni est circa æquinoctium vernum, quando Deus vos condidit, & redemit: redite ad instituta majorum; ab hoc tempore in posterum menses annosque subducite. Exprimit hunc sensum lectio eum hebraica, tum græca. Habet illa, הוּא רֵאשׁוֹן *Risçion hu, Initium ipse*, pro verbo substantivo *erit* substituto pronomine demonstrante non aliud esse principium anni: & Græca, πρῶτος ὑμῖν ἔσται, *Primus est*, non *Primus erit.* Nec obstat locus alter cap. 23. & 34. nam Hebræis esse annum Georgicum, qui incipit à satione, & desinit in messe, quemadmodum habent nationes reliquæ, nemo negat. Est utique, & illo utuntur maxime in annis Sabbaticis & Jubilæis; quoniam tunc Dominis in possessionem prædiorum inter sementem & messem est redeundum: unde & in contractibus hujus anni frequens est usus. Jure itaque hunc Moyses retinuit, meritoque reconditis frugibus festum tabernaculorum pro agendis Deo gratiis fuit institutum. Verum hunc annum esse antiquiorem eo, qui orditur ab æquinoctio verno, quæ nobis argumentatio demonstrat? Etiam Aegyptii annum supputant, ut scribit lib. VIII. cap. 3. Firmicus, ab Autumnali æquinoctio, & tamen certissimum est constituisse initium anni erumpente Nilo, & sole Leonem ingresso.

9. Oppositio 2. Opp. 2. cum Josepho Scaligero: ante Abrahami in Chananæam adventum anni ab autumno numerabantur: primo quoniam Aegyptii non poterant nisi à gente Hebræorum, & filiis Noe mundi primordia cognoscere. Deinde quia diluvium desiisse dicitur secundi mensis die vicesima septima: & Joseph in 1. Antiq. cap. IV. scribit numerari menses ab æquinoctio autumnali. Præterea Hieronymus in caput 1. Ezech. ait, Octobrem esse primum mensem, & Januarium quartum apud omnes Orientales. Scripsit eadem Tullius in II. de Nat. Deorum, & in 1. Instit. cap. VII. Lactantius. Tandem in autumno est hodierna

Judæorum *Te Kupha*, sive anni *resolutio*, & tunc illorum incipit Lectionarium.

10. Solutio. Resp. Noachidas, maxime posteritatis Chami, à quo originem ducunt Aegyptii, veri Dei cultum deseruisse, nec multum de vera creationis historia, & initio temporum fuisse solicitos, ideoque propter agriculturam, agrosque locandos annum Georgicum putavisse. Quem an Abrahamus inter Chaldæos observaverit, difficillimum est divinare. De mense postdiluviano secundo aliter sentimus, quam Scaliger: & quæ protulimus supra argumentatione quarta, à pluribus etiam Sectariis probantur, ut Mercero, Vossio, Cappello, Simsonio. Apud Orientales populos omnia suis commodis metientes primum mensem fuisse post collectionem frugum & formularia, recte scribit Hieronymus: sed constat hunc esse annum institutum ad civilem societatem, quoniam Aegyptii non in autumno mundi nativitatem statuebant, sed ineunte Canicula. Hac ratione expedimus verba Tullii, Josephi, & Lactantii: quamquam sunt Astronomici peritissimi, qui tradunt primum mensem Aegyptiorum Thoth anno primo Nabonassari cœptum die Februarii sexta ac vicesima. *Te Kupha* non est una, sed quadruplex: *Te Kupha Nisan*, cum sol ingreditur Arietem; *Te Kupha Tamut* in principio Cancri; *Te Kupha Tisri* in Libra. *Te Kupha Tebet* initio Capricorni. Vide finem hujusce Capitis. Incipit Lectionarium Hebræorum in mense Tisri, quoniam Deut. xxxi. 11. præcipitur, ut lex legatur coram omni Israel in solemnitate Tabernaculorum.

11. Oppositio 3. Opp. 3. cum R. Eliezer, & Aria Montano: Deus mundum perfectum condidit, providitque statim mox exorituris animantibus. Mundum ergo creavit in autumno. Probatur consequentia ex eo, quod in autumno arbores fructus proferant; fructus vero durabiles sint ad hyemem proximam, & copiosam alimoniam possint suppeditare.

12. Solutio. Resp. nego consequentiam; ostendimus quippe argum. 1. verno tempore mundi perfectionem magis patefieri. Ad probationem dico pro vita animantium commodiorem esse veris tempestatem; dum germinant herbæ, pariunt jumenta, aves nidificant, florent arbores, atque generatio omnis instauratur. Pro nutrimento hominis satis erant fructus verni. Cui bono (inquit Vossius cap. v.) omnes fructus maturi, cum duo solum essent homines? Imo repugnasset hoc naturæ, quia sic ex vernis & æstivis fructibus omnes fierent autumnales. Nam Deus tum naturam condidit, qualem deinceps voluit comparere. Hæc Vossius. Perfectissima fuit ergo rerum conditio, si arbores productæ sunt cum fructibus, prout exigebat anni tempus. Quis præterea Paradisum vidit unquam? Fortassis Eden bis in anno frugus fructusque ferebat, ut de India prodidit Plinius. Verisimile quippe est fuisse universorum hortorum uberrimum ac feraciissimum.

13. Oppositio ultima. Opp. ultimo cum Cabbalistis. Mundum conditum in Autumno commonstrat Cabbala tam גִּימַטְרִיָא *Gematraija*, numerice literas sacri textus expendens; quam *Temurà*, תְּמוּרָה, quæ fit per literarum metathesim. Utraque elicitur per verba initialia ex versu 1. Geneseos בְּרֵא בְּרֵאשִׁית *Bereſcith barà*, In principio creavit. En גִּימַטְרִיָא *Gematraja*: חשנה נכרא בראש *Beroſc aſciana nivrà*, In principio anni à Septembri inchoati *Mundus* productus est. En תמורה *Temurà*: כראש תשרי, *In principio Tisri*. Inest primæ idem numerus literarum 1116: secundæ simplex earundem literarum transpositio.

14. Solutio. Resp. Hæc, licet non invenuste adinventa, nihil solidi percrepare. Ex anilibus Cabbalistarum fabulis derivarunt innumera errorum portenta; ut Aeones Gnosticorum, de quibus Irenæus lib. 1. cap. 13. & somnia Marci & Calorbasi apud Tertull. de Perscriptionibus cap. 50. Quod nisi his acquiescant, dico in priori Cabbalæ exemplo neque autumnum, neque mensem Septembris ullatenus apparere. In altero ex trajectis literis resultante, quod forte melius fieret nudo anagrammate בא׳תשרי *Bâ Tisri*, in 1. Tisri, ponitur nomen mensis Chaldaicum, non Hebræum. Constat enim ex III. Regum cap. VI. 1. & 38. & cap. VIII. 2. mensem secundum, septimum, & octavum, quos Judæi avitis mensium nominibus antiquatis appellant, *Iiar*, *Tisri*, *Hesvar* seu *Marcheſuan*, primigenia lingua nuncupari *Zius*, *Ethanim*, *Bul*, ut animadvertit magnus Norisius principio Operis de Annis ac Mensibus Macedonum. Ad intelligentiam eorum quæ dicta sunt subjicimus nomina Mensium, eorumque initia primo mundi anno correspondentia.

HE-

HEBRAEORUM.		LATINORUM.	AEGYPTIORUM.		
I.	Nisan.	Martius Aprilis.			
II.	Jiar.	Majus.			
III.	Sivan.	Junius.			
IV.	Tamut.	Julius.			
V.	Ab.	Augustus.			
VI.	Hillul.	September.			
VII.	Tisri.	October.			
VIII.	Hesvar.	November.			
IX.	Cisleu.	December.			
X.	Tebet.	Januarius.			
XI.	Sebat.	Februarius.			
XII.	Adar.	Martius.			
Quinque dies adjectitii.		Aprilis.	21.	Mesori.	1. Aries.
			21.	Thoth.	30. Aries.
			20.	Paophi.	30. Taurus.
			20.	Athyr.	29. Gem.
			19.	Choeac.	28. Cancer.
			18.	Tybi.	26. Leo.
			18.	Mechir.	25. Virgo.
			17.	Phamenoth.	24. Libra.
			17.	Pharmuthi.	24. Scorpius.
			16.	Pachon.	24. Sagit.
			15.	Payni.	25. Capric.
			17.	Epiphi.	25. Aquar.
			16. 17. 18. 19. 20.		25. Pisces.

Fuit ergo primus Anni mensis Nisan, à cujus die vicesima prima originem ducit noster Aprilis, quando prima die Nisan sol constituitur in primo gradu arietis, sicut fuit reapse in die natali hujus mundi; si productus est in æquinoctio verno, fuitque dies sæculi prior vicesimaprima Martii.

CAPUT VII.

De Mundi ætate, & distributione omnis ævi.

SUMMARIUM.

à num. 1. usque ad 4. Præmittuntur quædam asserta historica.
à num. 5. usque ad 7. Agitur de Epochis.
8 Afferuntur notanda circa æram Dionysianam.
9. Fit illatio ex præmissis.
10. Habetur series omnium temporum, & signanter distributio Augustini.
11. Distributio ævi in VII. ætates.
12 Epochæ XII illustriores.
13. Alia calculatio additamentaria.

De mundi ætate & ævi distributione.

ILLI, qui in sacrarum Historiarum mare post nostra Theologica rudimenta vela dabunt, & si quid in hoc Opere ex Chronologorum disceptationibus occurret libenter sunt audituri, debent Mundi tempora in certas Epochas distribuere. Quas antequam proponam, præmittenda videntur quædam postulata, sive asserta historica; quibus, etsi non omnes præbent assensum, petimus tamen jure ac merito, ut vera censeantur propter certiores demonstrationes, & communiorem Eruditorum approbationem.

1. Fabulæ ægyptiorum non curandæ.

I. Principio nos minime turbare debet fabulosa Aegyptiorum antiquitas, sed insistendum omnino est sacrorum librorum chronotaxi. Refellitur ipsa mendaciorum discrepantia portentosus annorum numerus, aliis ab Osiride ad Alexandrum decem millia, aliis tria & viginti millia numerantibus, auctore libro Historiarum I. Diodoro. Præterea non una fuit apud Aegyptios annorum forma: sed fuerunt anni lunares unius mensis, duorum, trium, ut scribunt Plinius lib. VII. Censorinus de die Natali, & loco citato Diodorus. Annus quadrimestris à Pisone rege factus est: quare ait S. P. lib. XII. de Civit. Dei cap. 10. 11. *Perhibentur Aegyptii quondam tam breves annos habuisse, ut quaternis mensibus finirentur.* Dynastias Manethos numeravit in prima classe XI. annorum 2277. in altera VIII. an. 2209. in tertia XII. an. 879. & comprehendunt singulæ annos 5365. Ab illo Julius Africanus, ab Africano exscripsit Eusebius. Sed harum Dynastiarum annos fuisse implicitos, cujusmodi sunt E. G. in Europa Imperatorum & Regum, ex eo liquet, quod Saites I. Dynastiæ XV. regnabat in Bucolicis, dum Menis regnum iniit in partibus Thebaidos. Susakim quoque & Semendem fuisse Synchronos demonstrat in I. de idololatria Gentium Gerardus Vossius. Admittenda insuper est Dynastia Diospolitanorum, quæ floruit annis 1055. cœpitque anno decimo Saitis, & consequenter est in aliis implicita. His ergo omnibus Dynastiis receptis, nullatenus quatitur sacrorum Bibliorum Chronologia.

2. Retinenda est Chronotaxis Hebraica.

II. Quoniam non omnes conveniunt an præferenda sit Chronotaxis Hebraica, an ea, quam exhibet Versio LXX. neutram damnando, priorem retinendam esse arbitramur. I. Quoniam S. P. Augustinus lib. XV. de Civit Dei cap. 13. magna

magna probabilitate docet discrimen illud tribuendum esse errori Scriptoris, *qui de Bibliotheca Ptolomæi codicem describendum primus accepit.* Neque enim credibile est, *Judæos cujuslibet perversitatis, atque malitiæ tantum potuisse,* ut in Codicibus tam multis & tam late dispersis annorum seriem perverterent, *nec* LXX. *illos memorabiles viros de invidenda gentibus veritate unum communicasse consilium.* Irrepsit ergo diversitas illa numerorum in græca Biblia Amanuensium oscitantia & incuria. II. Cuinam commodo Judæi in hanc rem conspirassent; si librorum suorum Chronologia demonstratur Messiam venisse circa annum Mundi 4000. quemadmodum venturum fuisse testatur majorum suorum traditio? Quis facile crediderit, Judæos omnes adversus impietatem suam voluisse mentiri? III. Romana Ecclesia, quæ in Martyrologio die 25. Decembris annos à Creatione Mundi juxta LXX. connumerat ut suam erga venerandam antiquitatem profiteatur reverentiam; in Vulgata tamen Tridentini & Summorum Pontificum definitionibus consecrata non græcam, sed hebraicam sequitur Chronologiam, demonstrans illam non esse prorsus rejiciendam propter veterem consuetudinem, hanc tamen videri antiquiorem & probabiliorem. IV. Hebræi Codices perscripti sunt integris vocibus numeralibus, non vero nudis literis notisque arithmeticis; ideoque in illos potuerunt hac in parte corruptelæ difficilius irrepere. Salva ergo meliori sententia, nos istam cum doctissimis Chronologis Tirino, Petavio, Usserio, Scaligero, Calvisio, aliisque innumeris sequimur supputationem.

3. Anni Patriarcharum non fuêre breviores nostris.

III. Priorum Patriarcharum annos non fuisse breviores nostris firmissime tenendum est. Etenim in annis Noe Genes. VII. & VIII. numerantur menses, & in mensibus dies. Atque si vera esset quorumdam opinio decem primorum temporum annos fuisse æquales nostrorum uni, fieret consequens, Adamum genuisse tertium filium Seth anno ætatis suæ tertio decimo, & Cainam genuisse Malaleel anno septimo vitæ suæ; cum Genes. v. 3. scriptum sit Adam genuisse Sethum, cum vixisset centum triginta annis, & Cainan Malaleel, cum vixisset annis septuaginta. *Quis generat homo septennis?* inquit S. Pater XV. de Civit. Dei cap. 12. Neque incredibilis erit tanta longævitas, si animadvertamus fuisse illos Deo chariores, & usos cibis vim suam & integritatem retinentibus, nondum à Deo fata hominum natura ebrietatibus, & effrænatis profusisque libidinibus labefactata. Quærenti autem cur cœlibes vixerint, nec habentes propositum continentiæ ante annum septuagesimum filios non procreaverint, respondet Augustinus eodem libro cap. 15. aut tardiorem fuisse pubertatem, aut, quod magis credibile est, non omnes illorum filios commemorari, sed *quos successionis ordo poscebat.*

4. De nativitate Abrahæ.

IV. Cum servata adhuc patrum longævitate, & Chronologia codicum Hebraicorum incertum sit, an Abraham fuerit natus anno Thare septuagesimo, qui erit M. 1948. & Per. Jul. 2056. an vero anno Patris CXXX. M. 2008. Per. Jul. 2718. videtur oportunius Epocham figere anno vocationis ipsius, scilicet M. 2083. P. Jul. 2793. ante Æ. V. 1921. Sciscitanti tamen quid nobis de nativitate Abraham probabilius videatur, respondebimus cum viris doctissimis, natum anno Thare 130. quoniam Thare (Genes. XI. ult.) mortuus est in Haran anno ætatis suæ 205. & Abraham de Haran egressus est (cap. XII. 4.) cum annum ageret quintum ac septuagesimum, statim defuncto Patre. Ergo Thare genuit Abrahamum sexagesimo anno, ex quo cœpit generare, id est, vitæ suæ tricesimo super centesimum. Quare Abraham Genes. XI. 26. inter filios Thare priori loco commemoratus est ordine dignitatis, non temporis; ut Gen. X. 1. Sem inter filios Noe, tametsi fuerit tertius, & genitus duntaxat anno Patris 502.

5. De vocatione Abrahæ.

V. A vocatione Abrahami, missis tricis de mora Hebræorum in Aegypto, progrediendum est ad Epocham legis Mosaicæ, quam latam arbitramur anno M. 2513. & Periodi Julianæ 3223 Liquet enim ex cap. Gen. XV. 13. Semen Abraham peregrinum fuisse in terra non sua annis CCCC. sed Apostolus in III. ad Galatas 16. 17. à promissione facta Abrahæ ad Legem enumerat annos CCCCXXX. Promissionem accepisse Abraham, cum esset LXXV. annorum, id est, anno M. 2083. demonstrat cap. XII. Gen. v. 4. Quibus additis annis CCCCXXX. pervenitur ad annum M. 2513. Itaque hoc anno promulgata est lex Hebræorum tertio mense, ex quo exierant de Aegypto.

6. Attendendæ sæculares Epochæ.

VI. In posterioribus annis frequens est apud Historicos usus sæcularium Epocharum, trium præsertim, à Troja capta, ab institutione Olympiadum, ab Urbe condita. Trojam expugnatam ante Aeram Christianam an. 1184. docent Chronologi concordissime. Videndus Pagius dissert. de Periodo Græ-

co-

co-Romana, Vallemont in Elem. Hist. lib. 1. cap. v. Bossuet in Comment. Epoch. v. Usserius Ann. Eccl. ad ann. P. J. 3530. Erit ergo Trojæ excidium signandum anno M. 2820. A Troja capta ad primam Olympiadem numerant omnes cum Eusebio lib. x. Præp. Evang. annos 408. Fuerunt ergo institutæ Olympiades anno Mundi 3228. P. Jul. 3938. Romanam Urbem, ut scribit Fastorum Pater Onuphrius Ordinis nostri scriptor clarissimus, Fabius Pictor conditam tradidit in VIII. Olymp. Varro Olympiadis VI. anno 3. Quamquam Fabii Pictoris sententia valde probabilis est, eique subscribit Usserius ad annum P. J. 3966. ne perturbetur universa Historia, sequimur exemplo Panvinii, & cæterorum omnium Varronianam supputationem. Erit ergo nativitas Romæ anno Mundi 3250. numerando à Palilibus, id est, à die XXI. Aprilis. Atque ita Romulus urbis fundamenta posuit anno ab excidio Trojæ 430. ut communiter Scriptores tradunt, licet Messala Corvinus enumeret 433. Vellejus autem 437. At conditam anno 3. Olym. VI. cum ipse Vellejus affirmat, tum Eutropius, aliique quamplurimi.

7. Epochæ annorum Augusti, Herodis, consulum Romanorum.

VII. Epochæ annorum Augusti, Herodis, necnon Consulum Romanorum, quæ differentibus de Annis Christi præ manibus habendæ sunt, in libris de Verbi Divini Incarnatione accuratius explicabuntur. Præmittimus modo Augustum natum anno U. C. 691. IV. Kal. Octobris mortuum an. 767. XIV. Kalendas Septembris: regni autem eius non unum assignari principium, sed multiplex, à nece Julii Cæsaris trucidati an. U. C. 710. à Triumviratu constituto an. 711. & ab Actiaca pugna debellatisque Antonio & Cleopatra, an. 723. Herodem vero obtinuisse regnum vertente anno U. 714. objisse ante 751. Fastos demum Consulares inchoatos ab anno U. C. 246. creatis primo Bruto & Collatino. Domini nostri nativitatem contigisse arbitramur cum Norisio, & aliis compluribus anno U. 749. atque ita assentimur Usserio, Cappello, Tirino, cæterisque recentioribus, Christum natum esse anno Mundi 4000. Quod præter ea, quæ dicturi sumus pertractantes de ipso Christi Natali, cohæret superioribus Epochis, & est juvandæ memoriæ percommodum.

8. De Nativitate Christi.

VIII. Verum juxta Aeram Dionysianam Christi Natalis dies illuxit labente anno U. C. 753. & Mundi 4004. juxta illos, qui Mundi initium statuunt die 23. Octobris, inchoato; vel decimo jam mense ad finem vergente, in sententia nostra, quæ conditum tradidit verbo tempore. Quorum mensium, ut Aera Vulgaris à quadrato numero exordiatur, & quisque inoffenso pede probatam doctissimorum virorum teneat Chronologiam, nulla habenda erit ratio. Primus ergo annus vulgaris Aeræ est annus U. C. 754. Mundi 4004. P. J. 4714. & primus Olymp. 195. Consulatus Caji Cæsaris Augusti Filii, & Aemilii Paulli. A quo anno subducendam esse vulgarem Aeram evincit apertissime Diocletiana, sive Aera Martyrum, quæ cœpit anno Dionysianæ 284. Coss. Carino, & M. Aurelio Numeriano, & U. C. 1037. ut adversus Scaligerum & Cointium demonstrat Norisius in dissert. 2. Numm. Diocletiani & Licinii cap. 1. Cui eruditi omnes plenissimis calculis assentiuntur. Ergo verus Christi Natalis Aeram Vulgarem exacto quadriennio antevertit. Quapropter scite animadvertit Pagius in Apparatu Chronologico num. 138. distinguendum esse duplex Christi Natale, proprium scilicet, & Dionysianum. Itaque inchoantes annos Christi à Kalendis Januariis an. U. C. 754. de Natali Dionysiano loquemur. Dionysii quippe Aeram suadente Blondo Forolivienſi magna utilitate Eugenius IV. probavit, cum vetus consuetudo adscribendi in publicis monumentis solos annos Pontificum, non unam, neque perpetuam regulam constitueret, sed multiplicem ac variabilem. Nunc improbus studiosorum labor lucem attulit rebus Chronologicis clariorem: & Norisius primus omnium scripsit de Nummo Herodis Antipæ, ex quo manifestissimum fit Dionysium Exiguum serius, quam par erat, consignasse Christi nativitatem. De qua singuli propemodum Historici dissentiunt, ut demonstrat Vossius dissert. de annis Christi, & Vallemontius lib. 1. cap. 3. qui fere omnes recensent. Sed jam Dionysii Aera utimur necessario, quippe deflectere à semel recepta Epocha nihil est aliud, quam tricis universam historiam commiscere.

9. Variæ mundi ætates.

IX. His præmissis facile est omnem Mundi ætatem certas in partes distribuere: & potest unusquisque singulas pro arbitrio dispescere. Varro omne ævum in tres classes partitus est: Prima ab hominum principio ad cataclysmum priorem, quæ est incerti temporis: altera à cataclysmo ad primam Olympiadem, cujus finem tantum possumus comprehendere: Tertia initium ducit ab institutione Olympiadum. Poe-

tæ metallorum nominibus omnis ævi partitionem fecerunt, auream, argenteam, æneam, & ferream ætatem commenti, fortassis ex libro Danielis. Thalmudistæ dividunt ævum in tres æquas partes duorum millenariorum, ut dicam proximo capite. S. P. Augustinus lib. XII. contra Faustum cap. VIII. sex Mundi ætates assignat, & illum sequuntur Isidorus, & Beda. In septem dispescunt Damascenus, Joannes Lucidus, & Recentiores, Antonius Vitrè, Usserius, Alexander, Calmet, & alii. Dividit in partes denas Gerardus Vossius: In XII. Bossuet: In XIV. Vallemontius, sed duæ postremæ pertinent ad Historiam Gallorum. Amplectimur doctissimi Meldensium Episcopi partitionem.

SERIES OMNIUM TEMPORUM.

Distributio Augustini.

10. Series Temporum.

I.	Mundi ætas ab Adamo usque ad Noe, an.	1056.
II.	A Noe usque ad Abraham, an.	952.
III.	Ab Abraham usque ad David, an.	911.
IV.	A Davide usque ad transmigrationem in Babiloniam, an.	479.
V.	Inde ad humilem adventum Domini, an.	606.
		4004.
VI.	Quæ nunc agitur, donec Excelsus veniat ad judicium.	

Distributio Aevi in VII. *Aetates.*

11. Ævum in septem ætates distribuitur.

I.	A creatione ad diluvium, ann.	1656.
II.	A diluvio ad vocationem Abrahæ, an.	426.
III.	A vocatione Abrahami usque ad legem.	430.
IV.	A lege lata ad Templum an.	479.
V.	A Templo ad finem captivitatis.	476.
VI.	A captivitate soluta ad Aeram Christianam.	537.
		4004.

Epochæ XII. *illustriores.*

12. Duodecim Epochæ illustriores.

		An. M.	Ante Chr.
I.	Adami: Incipit anno P. J. 710. mense Martio, anno ante vulgarem Aeram 4004. anno Mundi primo.	1.	— 4004.
II.	Diluvii; Incipit anno P. J. 2366. anno ante. Æ. V. 2348. Mundi 1656. mense secundo Jiar. anno.	1656.	— 2348.
III.	Abrahami, sive initi fœderis: Incipit anno P. J. 2793. ante Æ. V. 1921. & à creatione Mundi 2083.	2083.	— 1921.
IV.	Moysis, seu Legis scriptæ: Incipit anno Periodi Julianæ 3223. ante Æ. vulgarem 1491. Mundi 2513. mense tertio Sivan.	2513.	— 1491.
V.	Expugnationis Trojæ: Incipit anno P. J. 3530. ante Æ. V. 1184. & ab Universi creatione 2820. anno 408. ante institutionem Olympiadum.	2820.	— 1184.
VI.	Perfecti Templi: Incipit anno P. Julianæ 3710. ante Æ. V. 1005. Mundi vero 3000. mense octavo Bul, sive Hesuar.	3000.	— 1005.
VII.	Urbis conditæ: Incipit an. P. J. 3960. ante Æ. V. 754. Mundi 3250. m. Aprili.	3250.	— 754.
VIII.	Cyri, sive Judæorum restitutionis: Incipit an. P. J. 4178. Mundi 3468. ante Christum 536. U. C. 218.	3468.	— 536.
IX.	Devictæ Carthaginis: Incipit anno ab U. C. 552. ante Æ. Christ. 202. Per. J. 4512. & 3802. Orbis conditi.	3802.	— 202.
X.	Natalis Christi Dionysiani: Incipit an. U. C. 754. Mundi 4004. P. Jul. 4714. anno 1. Olymp. 145. anno à Nativitate Christi quarto, Kalendis Januariis.	4004.	Anni Chr. — 1.
XI.	Constantini, sive Pacis Ecclesiæ: Incipit anno Ch. 312. Mundi autem 4316. P. Julianæ 5206.	4316.	— 312.
XII.	Caroli Magni, sive fundationis novi Imperii: Incipit anno Æ. V. 800. Orbis conditi 4804. P. Jul. 5514.	4804.	— 800.

Agi-

13. Anni de mundi ætate transacta.

Agitur nunc annus Æ. V. 1739. Ab Adami creatione 5743. A Diluvio 4087. A vocatione Abraham 3660. A Lege scripta 3230. Ab excidio Troadum 2923. Ab institutis ludis Olympicis 2515. A Templi ædificatione 2774. A condita Urbe Roma 2493. A soluta Babylonica captivitate 1743. A pace per Constantinum restituta 1427. A fundatione novi Imperii 939. Hactenus de mundi ætate transacta.

CAPUT VIII.

De Mundi Conflagratione, atque mortalium omnium interitu.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2 & 3. Probatur, finem sæculi, consummationemque mundi ignorari à mortalibus.
à num. 4. Usque ad 8. Refutantur contraria argumenta.

1. De conflagratione mundi, & interitu mortalium.

EXPLEBO jam cum libro expectationem quorumdam, quibus libido est exitum quoque temporum, mundique finem cognoscendi. Hoc unum compertum est, quod *adveniet Dies Domini, in quo cœli magno impetu transient, elementa calore solventur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur;* ait 2. Ep. cap. III. 10. Beatus Petrus. Quod innumera alia loca confirmant: unde S. Pater, *Tunc figura hujus mundi* (inquit lib. XX. de Civit. Dei cap. 16.) *mundanorum ignium conflagratione præteribit: sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluvii.* Nunc judicii acta minime sunt disquirenda, sed universaliter tantum extrema mundi periodus: nam solam corporalium rerum productionem, ævitatemque capiunt libri hujus angustiæ. De illa itaque exustione, mundique interitu quatuor apud Scriptores discrepantia inter se placita offendimus. Mathematici quidam futuram putant anno magno, cum Sol, Luna, & sidera omnia ad idem cœli signum remeabunt, ubi principio simul fuerunt. Nonnulli arbitrantur perfectam redemptionem in medio temporum, ideoque futurum mundi interitum, juxta præcedentis capitis calculos, octavo millenario exeunte. Plurimi totam mundi ætatem ad 6000. annos contrahendam esse scripserunt. Augustinus, cui major Theologorum pars assentitur, scite ac sapienter animadvertit, importune homines hac in quæstione versari.

2. Propositio. non est hominum scire finem sæculi.

PROPOSITIO: Non est mortalium, & res futuras ignorantium hominum noscere finem sæculi, mundique consummationem.

Probatur.

Firmatur primum hæc assertio auctoritate Divina: quærentibus enim Discipulis quando restituendum sit Regnum Israel, à Domino Act. 1. 7. responsum est: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Quæ verba perpendens Augustinus lib. XVIII. de Civ. Dei cap. 53. ait: *Hic quæri solet, quando istud erit? Importune omnino. Si enim hoc nobis nosse prodesset, à quo melius quam ab ipso magistro interrogantibus discipulis diceretur? Non enim siluerunt inde apud eum, sed à præsente quæsierunt dicentes, Domine, si hoc in tempore repræsentabis regnum Israel? Et ille, Non est, inquit, vestrum nosse tempora, quæ Pater posuit in sua potestate. Non utique illi de hora, vel die; vel anno, sed de tempore interrogaverant, quando illud accepere responsum. Frustra igitur annos, qui huic sæculo remanent computare ac definire conamur, cum hoc scire non esse nostrum ex ore veritatis audiamus.* Hanc extremi temporis incertitudinem commonstrat similis Christi sententia Matth. XXIV. 36. *De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater.* Et Pauli in 1. ad Thessalon. cap. V. 2. 3. *Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.* Legendus Venerabilis Beda de Ratione temporum cap. 66. Anastasius Sinaites lib. VII. in Hexameron, &c.

3. Infirmitas aliarum opinionum patefit.

Præterea aliarum opinationum conjecturas valde infirmas esse quisque non expers rationis intelligit. Corruit prima, quoniam annum illum maximum esse fictitium docent Astronomiæ peritissimi. Deinde eo admisso, incertum est quando futurus sit, supputante Aristarcho hujus anni magni vertentes annos 2484. Arete Dyrrachino 5552. Heraclito, & Lino 10800, existimantibus aliis infinitum esse, nec unquam in se reversurum, Auctore Censorino de die natali cap. XVIII. Rursus cum hujus an-

anni summam hyemem fecerint cataclysmum universæ diluvionis, & postremam æstatem ecpyrosin, id est, incendium: cum diluvium contigerit anno à creatione Mundi 1656. necesse erat, ut pari annorum revolutione superadvenisset magna æstas: atque ita conflagrasset Orbis terrarum anno Mundi 3312. regnante Jerosolymis Manasse. Secunda opinio nititur quibusdam Scripturarum locis, ex quibus constat diem unam apud Deum computari eadem ratione ac mille annos, ut Psalm. 89. v. 4. & 11. Petri cap. 111. v. 8. unde inferunt, quod sicuti Deus perfecit Mundi creationem sex diebus, ita Mundus sex millenariis persistet. Verum, uti Beda observavit, videtur hæc sententia prodiisse ex errore Millenariorum. Si enim quælibet dies hebdomadæ annis mille debet respondere; dies requiei septima erit septimum millenarium, in quo Sancti regnabunt in terris cum Christo. Quam opinationem libro 111. pro mea virili oppugnavi, damnatque illam infallibilis Ecclesiæ auctoritas. Non tamen cum Millenariis sentit quisquis ad sextum millenarium Mundi vitam coarctat; dummodo in Sabbato non regnum Chiliastarum excogitet, sed Beatorum requiem in cœlis: alioqui Patres innumeri, clarissimique Theologi forent hac hæresi commaculati. Beda tamen sententiam illam frivolam, hæreticamque compellat, & talem quoque existimat Genebrardus; quod falsum est, nisi accipiatur tantummodo de implicito Millenariorum errore. Ab eo certissime recessit S. Hieronymus, qui mundi ætatem annos 6000. finiit in Epist. ad Cyprianum, & in cap. 1v. Micheæ; nec non Hilarius idem docens in cap. xv11. Matthæi. Horum vero argumentationibus cum debito honore respondendum est, mille annos in sacris literis demonstrare maximum numerum indefinite, ut citato libro 111. probatum est. Atque hac etiam ratione opinio prædicta satis est explosa & rejecta. Nam qui Christum in medio temporum venisse putant pauci sunt, nec possunt in sectam coalescere: eorumque fundamentum evertitur quamfacillime. De illo infra. Igitur Divina Scriptura, Augustinus, & oppositarum rationum libratio evincunt non posse terminos temporis circumscribi. *Eant nunc* (inquit Vives in citatum caput 53. Augustini) *sive Mathematici, sive Divinaculi quilibet, & pavidæ plebeculæ, crassisque purpuratis admirabundis definiant tempora & articulos, quibus hic cursus rerum ordoque cessaturus est.*

Contraria argumenta refutantur.

Opinantes mundum 6000. annis duraturum primo opponunt traditionem Eliæ Prophetæ in Thalmud lib. Sanhedrin cap. Helec: באלפים ימות שתא : באלפים תהו באלפים תורה : אלפי שני עולמא : וחר חרב : המשיח : *Sex millia annorum mundus, ac postea interitus: duo millia inanitatis, duo millia legis, duo millia annorum Messiæ.* Addunt Cabbalistæ animadversiones suas: in 1. versu Bibliorum, & ultimo Paralip. haberi sexies א, quæ nota est millenarii. R. Isaac observavit, quod diximus supra, sex diebus conditum esse mundum & unicum diem denotare annos mille. Eam ob rem ait septima die prohibitum esse servile opus, septimo anno requiem tam agro, quam cultori indictam, septimum Patriarcham fuisse à morte servatum, septimo mense arcam requievisse, septimo pariter die corruisse muros Jericho: hæc omnia ad demonstrandum quod millenarium septimum pertinet ad alium mundum. Affert glossam quamdam R. Salomonis eadem affirmantis lib. 1v. cap. 20. Galatinus. Neque à superiori R. Isaac de sex diebus Geneseos observatione PP. abhorrent: eamque tradunt Lactantius Firmianus lib. v11. cap. 14. Justinus q. 71. Irenæus lib. v. adv. Hæres. cap. 28. & Hieronymus locis citatis. Denique diximus supra venisse Messiam circa annum Mundi 4000. quæ præculdubio chronotaxis traditioni *domus* Eliæ cohærens est. 4. Objectio cum solutione.

Quamquam vero non possumus aperte hanc opinionem falsitatis arguere, cum nondum 6000. hujus mundi præterierint anni; nequeunt hæc omnia nobis extrema temporum manifestare. Itaque illam in sua probabilitate relinquimus cum Augustino xx. de Civit. Dei cap. 7. & Leonardo Coquæo doctissimo ejusdem Operis Interprete: sed nullatenus assertum nostrum flaccescit. Traditio libri Sanhedrim non est Eliæ ex Thebis Arabum, ut visum Stratonico Cumano Episcopo apud Sixtum Senensem lib. 2. Bibliothecæ, sed Rabbini Cabbalici ejusdem nominis, qui floruit anno à restituto secundo Templo 154. ut observavit Genebrardus initio Chronicorum, Vossius disp. xv111. Th. 6. & Justus Venturinus Abbas Camaldulensis in Florentina Academia Professor Theologicorum Dagmatum in Decis. dub. in Gen. pap. 7. Prior hujus traditionis ratio 5. Ut probabile relinquitur mundum 6000. annis duraturum.

tio petita ex Psalmo 89. superius explosa est, cum mille anni ponantur pro annis omnibus hujus sæculi, *ut perfecto numero notetur ipsa temporis plenitudo*, ait Augustinus de Civit. Dei libro nuper laudato. Deinde eodem Psalmo comparantur mille anni non solum diei hesternæ, sed etiam vigiliæ noctis. Est autem vigilia trium horarum spatium, ut in versum quintum ejusdem Psalmi scribunt ipsemet Augustinus, Hieronymus, & Beda. Erit ergo ætas mundi si ita nugari fas est, non 6000. annorum, sed 24000. cum numerentur in diebus creationis vigiliæ XXIV. Præterea non est idem annorum intervallum ab Adamo ad Legem, & inde ad Christum, sed illud comprehendit annos 2513. istud an. 1491. aut si nomine Legis accipiatur fœdus initum, primum est annorum 2083. alterum 1921. Atque ita divinare non possumus, an dies Messiæ futuri sint pares diebus Legis. Neque sex primi Patriarchæ æquis annis vixerunt: sed Adam 930. Seth 912. Enos 905. Cainam 910. Malalael 895. & Jared 962. Ergo neque paria erunt decantata sex millenaria. Lactantius videtur cum Millenariis sentire. Liber quæstionum non est Justini: atque in hujus, aliorumque Græcorum sententia, qui sequuntur Chronologiam LXX. sunt anni illi 6000. à pluribus sæculis transacti. Hieronymus Comment. in Psalm. 89. Augustino consentit comparans mille annos non solum uni diei, verum etiam uni vigiliæ noctis. Ex præmissa demum Chronologia de futuris annis non possumus judicare: jam enim anni Christianæ Aeræ superant tempora legis Mosaicæ, & hæc præcedentibus sæculis non æquantur.

6. An à Christo usque ad finem mundi 4000. anni.

A Christo ad mundi finem numerandos esse annos 4000. probant ex Oratione Habacuc cap. III. v. 2. *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud, &c.* Philippus Venuti Cortonensis in III. Georgicorum Virgilii, & Cornelius à Lapide Comment. in Habacuc scribunt etiam Virgilium eamdem mundi ætatem indicavisse, dum ait:

Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas
Cæsaris: & nomen fama tot ferre per annos
Tithoni prima quot abest ab origine Cæsar:

Ubi Poeta optat nomen Augusti, quo imperante Dei Filius factus est homo, celebratum iri, usque ad finem sæculi per tot annos, quot aberat ab origine solis, ita ut Cæsar Augustus regnaverit media mundi hujus ætate.

Dictum supra hanc opinionem fundamento destitui, faciliusque dilabi. Et quidem verba Habacuc LXX. reddiderunt ἐν μεσῳ δύο ζώων γνωσθήσε, *In medio duorum animalium cognosceris;* vel ob mysterium Nativitatis Christi, qui apparuit inter duo Testamenta, vel ob transfigurationem in medio Moysis, & Eliæ, vel ob mortem crucis in medio Latronum. Legite Augustinum lib. XVIII. de Civit. Dei cap. 32. & Hieronymum in Habacuc. Ex Hebræorum consuetudine & phrasi verba illa בקרב שנים *Bechereu Scianim, In medio annorum*, idem valent, ac *interea temporis*, videlicet, in tribulationibus paullo antea prædictis. Præterea literaliter Habacuc exponendus est de captivitate Hebræorum. Incœpit hæc anno M. 3398. perduravit annis 70, scilicet, usque ad annum 3468. Ergo medium annorum erit annus 3433. cum cœpit à Deo puniri Babyloniorum idololatria; nam anno 3435. Nabuchodonosor jam à Deo percussus agebat vitam more bestiarum. Tunc vero respirare Judæos, revivisce re, & ad spem erigi.

7. Refellitur opinio.

Virgiliana carmina nec ad faciendam fidem idonea sunt, nec forte à laudatis Commentatoribus recte exposita. Augustus ex Octavia gente Velitrna testamento avunculi fuit in familiam Cæsarum cooptatus. Hæc à Julio Aeneæ filio, Julius à Priamo, Priamus à Laomedonte originem habere dicuntur. Laomedontis Tithonique idem genus est à Dardano filio Jovis, & Electræ. Verisimilius est igitur Maronem eo loco nec verbum de Mundi longævitate proferre: atque affirmare tantum, fore celebrandam memoriam Augusti æque, ac genus nomenque Jovis; à quo erat familia Julia, & dignitas & Cæsarum. Atque hæc de rerum aspectabilium principio, ætate; atque interitu: de quo alter Latinorum Poeta in I. Metamorph.

8. Virgilii carmina nil curanda.

Esse quoque in fatis reminiscitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER DUODECIMUS,

Qui pertractat de universorum hominum Protoparentibus Adamo & Eva.

De protoparentibus Adam & Eva.

COGITANTI mihi sæpenumero quanta gratiarum beneficia hominibus in prima mundi constitutione Auctor universorum contulerit, atque memoria repetenti quam exiguo temporis intervallo steterit felix parentum nostrorum conditio; congruum videtur de hac non perfunctorie, sed prolixiori disputatione differere. Cum enim ampliſſima sint dona Divino munere corpori, animoque nostro tributa, ac sit præstantior animantibus cæteris humana natura; hujus autem labes scelere voluntario contracta, mortis, & multarum, quibus prosternimur, miseriarum fons & origo: postulat maximi beneficii recordatio, ut gratias persolvamus liberaliſſimo Largitori; & superinductæ paterna culpa calamitatis memoria facit, ne Divinæ unquam justitiæ, & incorruptæ æquitatis obliviscamur. Recte itaque de Protoparentibus Adamo & Eva instituo disputationem: ex qua percipientes quomodo plasmati sumus, cur à Paradiso voluptatis exulamus, quare ignorantiæ, & cupiditati subjicimur, & quare, ut inquit Venusinus Poeta,

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres,

neque ingrati animi vitio, neque spiritus arrogantia, ne mens nostra particeps fiat nitidiſſimi divinarum scientiarum splendoris, ei tenebras obducamus.

CAPUT I.

Exploditur fabula Præadamitarum.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
à num. 2. usque ad 9. Probatur, Adamum fuisse omnium hominum primum, à quo omnes gentes per orbem sunt propagatæ.
à num. 10. usque ad 17. Solvuntur argumenta pro fabula præadamitica.

1. An ante Adamum exiterint homines.

ISAAC Peyrerius, dum adhuc Calviniano detineretur errore, quem Alexandro VII. Pontifice Maximo ejuravit, indulgens fallaci mortalium hominum ingenio, nec non Sectariorum consuetudini, Patrum & Orthodoxorum Conciliorum auctoritatem contemnentium, male feriatam Anteadamitarum fabulam in orbem invexit. Videbatur enim ei, qua ratione Calvinus detrectaverat traditiones Sanctorum, licere sibi has, & Calvinianas simul parvipendere: atque ita scrutatus in Gentilium Historiis fabulosam antiquitatem

studuit

ſtuduit novitatum adoratoribus venditare, ante Adamum extitiſſe homines plurimos, hunc vero Hebraici duntaxat generis fuiſſe ſatorem. Quæ ut in vulgus ſparſa ſunt, proſcripſit Peyrerii librum primus omnium Namuracenſis Epiſcopus anno 1655. in feſto celeberrimo Natalium Domini, deinde illum Scriptores omnes confutarunt, tam Catholici, quam Sectarii. Sed cum Calviniani ipſi non alio argumentorum genere, quam traditione veterum oppugnarent Peyrerium, animadvertit nefas eſſe adverſus traditam à Majoribus doctrinam ſentire, atque ita occaſionem nactus à ſuis Calvini ſectam valere juſſit Romanam Fidem amplexus. Damnavit etiam in ſua ad Alexandrum Pontificem deprecatione Præadamitarum hypotheſim ab omnibus, ut ibidem fatetur, ejectam & eliminatam: ſed cum illam nonnulli poſtea recoquere auſi fuerint, ſcripturi de primo homine eam & nos breviter impugnabimus.

2. Propoſitio.

PROPOSITIO: Adam fuit univerſorum hominum primus, à quo omnes gentes ſunt per Orbem terræ propagatæ.

Probatur Adamum primum fuiſſe ex hominibus per S. Scripturam.

Validiſſimis argumentis probatur: & primo communibus è Sacra Scriptura petitis. In 1. Geneſis enarratur *In principio*, videlicet in exordio temporis, ſive antequam creatura aliqua corporalis eſſet producta, Deum condidiſſe cœlum & terram, & ſex diebus cuncta rerum genera perfeciſſe; ſexto autem feciſſe Adamum ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Quinam fuerunt ergo iſti Præadamitæ, ſi nullus antea Deo auctore prodierat? In qua orbis plaga habitarunt, ſi anteactis ſæculis neque cœlum erat, neque terra, neque locus alius corporeus? Neque enim creatio Adam ſecundo capite repetita eſt productio hominis diverſi ab eo, quem Deus condidit die ſexta; cum perfectis prioribus illis ſex dierum generationibus Deus requieverit ab omni opere, videlicet, nullam novam molitus fuerit creaturam. Deinde ad ſex dierum opera etiam Adamum Hebraici populi Atavum pertinuiſſe conſtat ex viceſimo capite Exodi v. 11. *Sex diebus fecit Dominus cœlum & terram, & omnia, quæ in eis ſunt:* Num Adamus in ſpatiis imaginariis plaſmatus fuit? At Scriptura affirmat fuiſſe formatum de limo terræ, & poſitum in Paradiſo voluptatis. Quare autem Scriptura hominis creationem iterum memoret, dictum eſt lib. præced. cap. 2. nec multus ero eadem repetendo. Neque enim hæc loca ſuppetunt ſola, ſed innumera occurrunt coacervatim. Adæ uxor Gen. 3. 20. vocata eſt Eva, *Eoquod mater eſſet cunctorum viventium.* Itaque fictitii ſunt Præadamitæ, quorum genitrix non eſt Eva. Cap. x. v. ult. aſſeritur à Noachidarum poſteritate, quæ profecto Adæ propago erat, diviſas eſſe gentes in terra. Igitur & Aegyptii, & Chaldæi, & Americani, & nationes reliquæ ſunt Adamo poſteriores, omnes, ut legimus Act. XVII. 26. ex uno ſtipite & ſanguine procreatæ: ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος, ut unius hominis creatio unius Dei majeſtatem præferret, omnesque poſteros vinculo naturalis cognationis invicem copularet. Apoſtolus denique ad Rom. v. 17. unius Adæ peccato mortem regnaviſſe teſtatur, per unius hominis delictum atque inobedientiam omnes peccatores conſtitui, atque uti per unum hominem mors & damnatio ad omnes pertranſiit, ita per Chriſtum ſuperabundare gratiam, juſtitiam, & vitæ perennitatem. Quamobrem ſi fabuloſi illi Anteadamitæ mortui ſunt; ex Adami contaminato femore habuerunt originem. Atque argumentatio iſta non convellitur, niſi negando mortem pœnam eſſe originalis peccati cum Pelagianis poſtea refutandis. Hæc argumenta adverſus fabulam Præadamiticam ſunt pervulgata. De his Samuel Mareſius, Joannes Hilpertus, Philippus Prior, qui data opera Peyrerium oppugnarunt, Natalis quoque Alexander Tom. 1. Hiſt. vet. teſtam. diſſert. 3. & nonnulli horum expilatores.

3. Probatur 2. ex Patribus.

Neceſſe non eſt afferre Patrum auctoritates. Ipſe enim Peyrerius laudata deprecatione: *Fateor*, inquit, *me non latuiſſe hypotheſim, quæ mihi venit in mentem de primis hominibus ante Adamum conditis, diverſam penitus abiiſſe ab opinione SS. Patrum, nec non aberraviſſe toto Orthodoxorum Conciliorum Canone; totamque doctrinæ Chriſtianæ fabricam de homine lapſo & redempto fundatam fuiſſe à PP. & Conciliis ſuper hypotheſi de Adamo primo omnium hominum formato.* Hujus audaciæ hanc profert excuſationem, quod vera eſſe poſſint etiam quæ à falſa hypotheſi conſequuntur, facta comparatione ſyſtematis Copernici, & Ptolomæi, quæ pugnantia invicem probant tenorem eumdem corporum omnium cœleſtium. Verum nequeunt Catholicorum dogmata confirmari Aſtronomicis humanisque figmentis. Fabula ergo Peyreriana etiam traditione pleniſſima eliminatur.

4. Confirmatur.

Addam vero in ejus confutationem nonnulla. Principio negari non poteſt dilu-

diluvium Noeticum fuisse universale. Nam Geneſis VII. legimus aquas nimis prævaluisse ſuper terram, & opertos omnes montes excelſos ſub univerſo cœlo: conſumptam omnem carnem, quæ movebatur ſuper terram, beſtias, reptilia, homines, & cuncta, in quibus eſt ſpiraculum vitæ: remanſiſſe in terra ſolum Noe cum iis, qui cum eo erant in arca. Atque ſemper capite eodem Scriptura uſurpat Hebraicum כל *Cal*, rerum univerſitatem exprimente. Præterea perveniſſe hujus diluvii famam ad omnes orbis nationes probat ex Beroſo Joſephus lib. I. Antiquit. cap. 4. & adverſus Julianum I. ex Abydeno & Alexandro Polyhiſtore S. Cyrillus: multaque legi poterunt apud Georgium Schubartum tum. X. Antiq. Græcarum. Hinc etiam ſparſa fama eſt diluvii Deucalionis, & Ogygis. De quibus fateor nec Græcam, nec Latinam Hiſtoriam tradere eſſe illud maximum, in quo nulli homines evaſerunt, ſed unum in Theſſalia, alterum in Attica terra contigiſſe, & plurium annorum intervallo unum ab altero ſeparari. At Græci, Ægyptii, aliique priſcorum temporum monumenta ad Deorum ſuorum fabulas accomodare ſtuduerunt; ideoque nil mirum, ſi ſcripta ſunt in Gentilitatis hiſtoria quæ de cataclyſmo Deucalionis, & Ogygis referunt Africanus, Euſebius, & S. Pater Auguſtinus lib. XVIII. de Civit. Dei cap. VIII.

5. De diluvio Deucalionis.

Diluvium tamen Deucalionis non differre à Noetico hæc momenta demonſtrant. Apollodorus ſub initium Bibliothecæ ait: *Ubi prolem æneam tollendam Jupiter cenſuit, Deucalion fabrefacta è lignis arca, rebus neceſſariis impoſitis in eam ingreſſus eſt.* Quis vero prolem æneam non videt eſſe Gigantes, de quibus Geneſ. VI. 4. & Arcam Deucalionis arcam Noeticam? Deucalioni Lucianus de Dea Sytia tres filios tribuit: quot natos ex Noe legimus Gen. X. 1. Scribit Plutarchus Deucalioni *Columbam ex arca miſſam fluctuum detuliſſe certum indicium:* Quod habetur in Geneſ. VIII. capite v. 11. Egreſſum de Arca Deucalionem poſuiſſe altaria tradidit Lucianus: quod & fecit Noe citato cap. v. 20. In vertice montis conſediſſe arcam Deucalionis liquet ex notiſſimo Ovidiano carmine:

Hic ubi Deucalion, nam cætera texerat æquor,
Cum conſorte tori parva rate vectus adhæſit.

atque arcam Noeticam requieviſſe ſuper montes Armeniæ ibidem legimus. v. 4. Igitur recte Philo in libro de Præmiis: *Hunc Deucalionem Græci, Noe vero Chaldæi appellant.* Periiſſe denique homines univerſos diluvio Deucalionis ſcribunt Herodotus in Euterpe, Lucianus in Timone, aliique apud Schubartum. Ergo diluvium Noe, & diluvium Deucalionis unum eſt, & illud univerſale: Ethnici vero, ut rerum cæterarum, hujus Cataclyſini è ſacris literis habuerunt notitiam.

6. De diluvio Ogygis.

Idem judicium ferendum eſt de Ogyge, cujus diluvium referunt ad annum ante primam Olympiadem milleſimum ac viceſimum Julius Africanus, & Euſebius, ideoque contigit juxta Chronologiam Uſſerii anno 2208. ante mortem Iſmaelis anno unico, (non, ut Salianus numerat, anno 2258.) atque poſt diluvium univerſale, quomodo ſcribit Auguſtinus, *annos amplius quam trecentos.* Verum hæc ex Atticorum hiſtoria, ſive fabula orta ex diluvio Noetico. Enimvero Ogygem alii faciunt filium Neptuni, ut Joannes Meurſius demonſtrat in Opere, quod inſcribitur Regnum Atticum, alii Bœoti. Neptuni filium & Arnæ appellant Iſaacius Tzetzs, Nicocrates, & Euphorio apud Stephanum Byzantinum in libro de Urbibus. Quadrat & nomen ab aquis derivatum, unde Oceanus etiam dicitur quaſi Ogen, vel Ogenus. Bœotum tradunt filium eſſe Deucalionis. Neptunus ergo & Deucalio idem eſt Ogygis, ſive Bœoti genitor. At Neptunum quidam maris aquam exiſtimarunt, quod terram nubat operiatque. Quidam Japetum filium Noe, cui obtigerunt inſulæ Mediterranei & continens Europæa; ubi ad tranſmittendum mare & iter terreſtre conficiendum, neceſſarium duxit nauticam inſtituere, & domitos equos adhibere. Ei namque imperium maris, artemque equeſtrem omnes adſcribunt. Ogyges ergo fuit vel Japeti filius, vel alter Noachida à naufragio ſuperſtes. Igitur & diluvium Noeticum univerſale fuit, & omnibus notum, & ex eo Deucalionis etiam & Ogygis magna probabilitate rumor exortus. Perierunt ergo tempore Noachi homines univerſi; & nationes, quas advocant in teſtimonium fabulæ Præadamiticæ, minime ætatem Noachi antevertunt.

7. Omnes gentes à Noe poſteritate deductæ.

Quaslibet præterea Gentes eſſe à Noetica poſteritate deducitur ex priſcis ſingularum hiſtoriis, ad quas nos compellat apologi conſarcinator. Ejus rei gratia nos Theologicis addidimus præmiſſa

&

& consequentia monumenta. Etruriæ populi cæteris Occidentalibus antiquiores (si vera sunt Vulterrana Fragmenta) exorti sunt à Vandimone, qui à Latinis Janus à Syriis Noa vocatur; & post aquas relictis in Armenia & Syria Semete, & Camese apud Nilum, cum Japete in hanc regionem advenit: ita legitur in Scarith. IX. XXV. & II. Et quamquam Curtium Inghiramum Critici quidam æquiparant Annio Viterbiensi: testantur viri honestatem qui legerunt servatas Volaterris de inventione Scarithim causas judiciales. A Jano autem Italos derivasse consentiunt Scriptores reliqui. Latini vetustissimum Italiæ Deum habuisse Saturnum recte tradidit Herodianus lib. Historiarum I. cap. 16. In Saturno necesse est, aut Adami, aut Noachi personam agnoscamus. Si cum Schubarto Saturnum dixeris Adam à Paradiso voluptatis dejectum, optime huic convenient quæ de Saturno narrat Virgilius VIII. Ænead.

Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo,
Arma Jovis fugiens, & regnis exul ademptis.

Atque ita Latini nullum noverunt vetustiorem Adamo. Si cum Bocharto & Vossio putas Saturnum esse Noachum, cui veteres Rabbini tradiderunt Chametem exsecuisse pudenda, ne liberos procrearet, unde nata est tota Saturni fabula; nullum Noacho antiquiorem pariter inveniemus. Ita Præadamitas damnat tota Etruscorum, Latinorumque vetustas. Vanitatem Ægyptiorum libro superiori refutavimus, & cap. ultimo de Angelis Prop. v. Liquet autem ex Genes. x. 6. Mesraim, à quo Hebræi Ægyptum appellant *Misraim* מִצְרַיִם, fuisse filium Cham. Assyriorum genti initium, & nomen dedit *Assur* filius Semi: cæteris nationibus alii Noachidæ, de quibus citatum caput x.

8. An gens Judaica sit vetustissima.

Idipsum deprehenditur in Gentium, locorumque vocabulis. Magna enim pars ubique terrarum hebraico nomine in Geographicis libris invenitur descripta. Apud Etruscos Vulterram *Cethim* olim dictam legimus apud Inghiramum à כִּתִּים, unde & Phœnices Cithiæi, & Rhodii Citii, Cyprii Citienses appellantur Hæresi 30. ab Epiphanio. Aretium derivare ab אֶרֶץ scripsit Dempsterus ob insignem argillam; vel antonomastice, ut arbitratur Salvinus. Cariariam esse à קְרִית, & הָהָרָה, quod sita sit ad montes pariis lapidibus claros, observat Grotius ad cap. XXIII. Geneseos. Constat Ascaniam Homero memoratam esse ab אַשְׁכְּנַז, Aeoles ab אֱלִישָׁה, Riphatæos, quorum meminit Mela lib. I. ab רִיפַת; Χνᾶ, *Chna* quam commemorat Philo Byblius, est nomen contractum כְּנַעַן. Ita de reliquis urbibus locisque vetustis: ut demonstrat in Annot. 62. ad I. de Veritate Religionis Christianæ Hugo Grotius. Ex quibus consequitur non esse gentem aliquam antiquiorem Hebræa, quam propagatam ex Adamo fatetur Peyrerius. Quæ omnia confirmari possunt ex vetustate Hebraicæ linguæ; nam hanc primigeniam esse demonstrant Eruditi plurimis argumentationibus, quas in Prolegomenis ad Polyglotta Anglica collegit Brianus Waltonus. At non est necessarium has contra refutatam fabulam producere ipsis quoque fabulis adversantem.

9. De Prometheo fabula.

Narrant Poetæ primum hominem, qui ex luto cæteros fixit, fuisse Prometheum, qui auxilio Minervæ ausus est in cœlum conscendere; ob quam causam irati Dii immiserunt terris febres ac morbos. Ex illo natum tradunt Deucalionem. Igitur in Prometheo latet Adamus plasmatus de limo terræ, Divinæ sapientiæ cupidus, mortalium genitor, omniumque auctor malorum. Ejus uxorem Pandoram esse Evam demonstrant Origenes in IV. contra Celsum, & in III. adversus Julianum Cyrillus. Appellatur enim Pandora à Pausania Γυνὴ πρώτη, *mulier prima:* & de ipsa inquit Hesiodus in Theogonia, ἐξ ἧς γὰρ γένος ἐστὶ γυναικῶν, *Ex qua genus est mulierum;* Plutarchus autem: *Disseminavit omne malorum in terras & in maria.* Nullus ergo mortalium extitit ante Adamum, quemadmodum ex sacris literis, ex Patribus, ex historia diluvii, ex Gentium Origine, ex vetustissima appellatione locorum, atque insuper ex ipsis fabulis Poetarum à nobis probatum est.

Ad ea quæ pro systemate Præadamitico solent afferri.

10. Objectio duplex.

Peyrerius systema suum sacris literis conformari autumabat, maxime ob historiam Caini, & Apostoli ad Romanos Epistolam. De Caino legimus Gen. IV. fuisse agricolam, Abelem autem Pastorem ovium, atque à Deo illum reprehensum his verbis: *Nonne si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum erit?* Fuerunt ergo & artes,

artes, & judices etiam ante Caini flagitium. Dein vero accepit uxorem: ædificavit urbem Henoch; & traditur etiam cum latronum manu prædæ causa grassatorem egisse. At quam fœminam tunc generaverat Adam? quibus habitatoribus civitas referta est? Quam peregrinorum catervam iniquus prædo expoliavit? Igitur alios in Orientali plaga homines adinvenit semine diverso progenitos; unde sibi uxorem, concives, & prædonum turbam ascivit. Apostolus autem ad Rom. v. 13. & 14. ait: *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset; sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri.* Duo hinc argumenta promuntur. Primum, quod mors dominata est usque ad legem etiam in eos, qui non peccaverunt in Adam: igitur præter Adæ posteros alii sunt homines mortales ex alio geniti Protoparente. Alterum, quoniam Paulus ait ante legem fuisse peccatum in mundo, tametsi minime imputabatur. At imputatum est Caino, Lamech, Sodomæ civibus, aliisque omnibus, qui ante legem Moysis deliquerunt. Non ergo hanc legem Paulus designat, sed legem Adamo indictam de fructu arboris non comedendo: ideoque antequam prævaricatus sit Adam, alii fuerunt sceleribus inquinati & mortales.

11. Solutio 1. Ad ea, quæ de Caino dicta sunt, facilis est responsio. Exercuit enim agrorum cultum, quemadmodum & Abel pastoritiam artem, ut in prima institutione orta ex humanæ miseriæ necessitate fieri potuit, absque aratro, ligone, vomere, cæterisque rusticis instrumentis. Nam & fabrilem artem, & rationem pascendi pecoris commorando in tentoriis adinvenerunt Jabel & Tubalcain. Sententia Domini, *Statim in foribus peccatum aderit*, significat ad culpam consequi pœnam, & neminem abire patrato crimine impunem, torquente animum syndereſi, & Deo puniente criminum auctores; unde Targum habet: *Ad ostium cordis quiescit peccatum.* Afferunt Theologi exempla Marc. XIII. 29. Jacob. v. 9. &c. Sed locus satis apertus est ex Hebraico textu: in quo cum nomine fœmini generis חַטָּאת *peccatum* conjungitur participium רֹבֵץ *excubans* generis masculini; quod signum est *enallages* pœnam commonstantis. Uxorem Caini fuisse sororem suam recte scribit Augustinus lib. XV. de Civit. Dei cap. 16. principio enim mundi, *Viri sorores suas conjuges acceperunt: quod profecto quanto est antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius religione prohibente.* Neque vero credibile est Adamum solos mares genuisse; neque illos tantum, quos Scriptura commemorat: sed, ut Josephus ait in I. Antiq. cap. 3. de Adamo & Eva: γένονται δὲ αὐτοῖς καὶ θυγατέρες: *Natæ sunt eis etiam filiæ.* De constructa urbe Henoch vide præcedentis libri cap. I. Fratricidam timuisse à fratribus, vel nepotibus suis multi respondent; nec repugnat, cum homicidium patraverit anno mundi 128. Sed animadverto istud etiam, quod hæc verba, *Omnis qui invenerit me, occidet me,* sunt hominis timentis fore sibi omnem creaturam adversam, & possunt intelligi tam de homine, quam de bestiis terræ; maxime si conferantur cum hebraicis כָּל־מֹצְאִי, *Quidquid inveniet me.*

Testimonium Apostoli primo Peyre- 12.
rium ipsum perstringit. Nam Paulus Solutio 2.
eo loco ait v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Itaque ex unius Adæ inobedientia cœpit mors dominari, & omnes moriuntur reipsa, quoniam ex contaminato Adami semine procreantur. Nullus ergo mortalium fuit ante Adæ lapsum. Deinde sequentis versus 14. sensus exponitur. *Regnavit mors* (ait Apostolus) *ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ.* Id est, etiam in pueros, qui non peccaverunt in similitudinem Adæ, *qui in semetipsis, cum jam nati essent, nec ratione adhuc uterentur qua ille utebatur quando peccavit, nec præceptum accepissent, quod ille transgressus est, sed solo originali vitio tenerentur obstricti, &c.* ait S. P. Augustinus Epist. 89. nunc 157. n. 19. Regnavit pari jure mors in adultos legis naturæ, tametsi non peccaverint in similitudinem Adæ, videlicet capitaliter, & post latæ sibi legis præceptum: id vero non ob aliam causam, nisi quia mors in omnes homines pertransiit per ipsum Adam, in quo omnes peccaverunt. Quapropter non ob actualia peccata, quæ nec pueri noverunt, nec ante legem arguebantur in adultis, mors dominata est, sed propter originale, quod contrahunt homines dum propagantur ex Adam. Multi præterea Codices habent:

Regna-

Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen in eos, qui peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, ut observavit S. Pater citata Epist. & lib. 1. de Peccatorum meritis, & remiss. cap. 10. Ita legit Auctor Commentariorum, quæ tribuuntur, Ambrosio, aliique complures. Hæc lectio tamen eodem sensu accipienda est, ut pueri dicantur prævaricati in similitudinem Adæ, quoniam ei similes creantur, *Sicut ex homine homines, ita ex peccatore peccatores*, ait Augustinus. Atque juxta hanc lectionem nulla est argumentatio Peyrerii.

13. Confirmatio solutionis

Liquet ex dictis sensus alterius sententiæ, *Peccatum non imputabatur cum lex non esset.* Videlicet, ante legem Moysis non erat lex, qua arguente peccatum demonstraretur, *sive lex rationis in parvulo, sive lex literæ in populo*, inquit S. Pater, eadem Epist. num. 18. Dictum est ergo, *Non imputabatur*, pro *non redarguebatur*. Etenim ficti illi Præadamitæ fuissent homines: si homines, & rationales: si rationales, naturali saltem lege teneri debuissent; ideoque si peccassent, peccatum illis fuisset imputatum. Debet ergo & Peyrerius imputationem accipere pro legis latæ animadversione. Quod vero mors dicitur regnavisse *usque ad legem*, ita accipiendum est, ut nec lex Mosaica potuerit auferre peccatum, nobisque impertiri resurrectionem. Vide Augustinum lib. 6. contra Jul. cap. 4. num. 9. Adverbia *donec*, & *usque* frequentissime sequens tempus includunt, ut Ps. cx. 1. Matth. xxviii. 20. Ad Tim. iv. 13. &c. Igitur idem est *usque ad legem*, ac *lege Moysis vigente*.

14. Verborum S. Pauli explicatio.

Itaque verba Apostoli ad Romanos demonstrant peccatum Adæ fuisse unicam causam, cur singuli homines moriantur: neque in homines regnare mortem propter peccata actualia, quoniam moriuntur & infantes ante legis promulgationem, etiam illi qui nullum præceptum legis acceperant, & fortassis nec noverant quid homo primus patraverit. Apertissima est versio Aethiopica, petitque jugulum tam Præadamitis, quam Pelagianis; est autem: *Et propterea quemadmodum per iniquitatem unius hominis peccatum in mundum introiit, & per illud peccatum advenit mors super omnes homines, eoquod omnibus hominibus imputatur illud peccatum, etiam non cognoscentibus quid illud peccatum sit. Usque dum venit lex, mansit peccatum in mundo non cognitum quid fuit, cum peccatum non reputabatur, eoquod non venerat eo tempore mandatum legis. Verumtamen dominata est mors propterea ab Adamo usque ad Moysen tam in iis, qui peccaverunt, quam in iis, qui non peccaverunt per illud peccatum Adami, eoquod unusquisque in similitudine Adami creatus est.* Extant hæc verba cum Aethiopice, tum Latine in Polyglottis Anglicis tom. v. pag. 649.

15. Objectiones ex præadamiticis fabulis cum solutione.

Opponunt præterea fabulæ Præadamiticæ assertores antiquitatem gentium plurimarum, ut Aegyptiorum, Chaldæorum, & Sinensium. Verum de Aegyptiis satis dictum est supra, necnon lib. xi. cap. 1. & vii. Chaldæos originem ducere à Saturno Babylonico, quem alibi ostendimus esse Nembrod filium Chus, & illorum tempora supputari duntaxat ab *anno* cxxxi. *à salute ab aquis*, scribit Berosus apud Wolfangum Latium lib. 1. de Migratione Gentium pag. 14. Est autem annus cxxxi. post diluvium, mundi 1788. quo quidem tempore vivere debebat Nembrodus. Sinenses non esse antiquiores anno post diluvium ducentesimo demonstrat Philippus Cupletus Jesuita cap. v. Procem. in lib. Confucii. Observat Vallemontius Sumaquam Annalium Sinensium scriptorem clarissimum serius, quam alii fecerint, originem Sinensium statuere annis saltem 250. Huetius in Demonstr. Evang. Prop. iv. cap. 6. probat priscam Sinensium & Japonensium Religionem ex Mosaicis libris fluxisse. His enim consentiunt quæ narrant de mundi creatione, de Paradiso, de primo homine, de serpente arbori circumplicato, de interitu Sodomæ & Gomorrhæ, de silice à Moyse percusso; quamquam hæc omnia fabulis contexunt, & ad Majorum suorum facinora referunt.

16. Argumentatio ex Cosmographia.

Ultimum argumentum produci potest ex Cosmographia. Videtur enim humanam fidem superare, quod filii Adam in oppositam terræ partem vel ante, vel post diluvium trasmigraverint. Certo ante Americum Vesputium Florentinum, à quo America dicta est, scilicet ante anum 1497. vel ante Christophorum Ligurem, notissimumque argonautam, id est, ante annum 1492. nulli hominum innotuit ea pars terrarum, quam novum orbem appellitant. Nam si aliquod Americanorum extitisset vestigium, nemo Antipodas negavisset, quos & Augustinus lib xvi. de Civ. Dei cap. 9. & Zacharias Papa Epist. x. ad Bonifacium absurdum putant excogitare. Neque alia ratione Norisius ab errore vindicat S. Patrem, nisi quod ante Columbum viris omnibus doctissimis

mis videbatur res prorsus incredibilis potuisse homines ab uno Adamo propagatos in Americam pervenire, Oceani immensitate trajecta. Fuit ergo hæc Mundi pars nota postremis tantum sæculis. At si eo filii Noachi, & Adæ posteri transmeassent, uti contigit post Columbum & Americum, cognita fuisset antiquitus, & de ea apud Plinium, Ptolomæum, aliosque Cosmographos mentio haberetur. Americani itaque & Sinenses non sunt homines Adamitæ.

17. Responsio. Huic argumento satisfit respondendo Americam à Columbo detectam, vel indicio Alphonsi Sanctii, qui dum Canarias versus solveret, vento abrepta navi ad ignota litora appulit, unde explorata magno labore reditus via Maderam pervenit, ibique moriens Liguri navigationis suæ Ephemerides prodidit; ut refert Franciscus Lopez, vel potius ipsius Columbi ingenio, atque animi fortitudine. Ubi enim naves ex Europæ & Africæ oris nimium Austrum versus procedunt, perveniuntque intra Tropicos, vento perpetuo flante ab ortu in occasum, & mari eadem cursus ratione concitato, feruntur expedita navigatione in Americam. Ex America autem regredi nequeunt, nisi venti petantur circa septimum ac vicesimum gradum ab Æquinoctiali, magna etiam inconstantia extra Tropicos flantes. Itaque primi homines in Americam delati sunt ventorum vi, cum Tropicos transgredi tentassent: reditum vero attentare non potuerunt, sed opus fuit ut illuc casu abriperetur Navarchus, qui maris pericula, & ventorum conversiones calleret: ac præterea magna afficeretur redeundi cupiditate. Qui autem illuc principio appulerunt, sive Phœnices fuerint, ut videtur Huetio, sive Europæi, vel Africani alii, partim terrarum ubertate allecti, partim memorata contrarietate ventorum deterriti reditum non attentarunt; aut si forte periclitati sunt, perierunt naufragio: atque ita Americana Regio latuit usque ad annum Christianæ Æræ 1492. Aliqui tamen viri docti arbitrati sunt Americam esse Insulam Athlantidem, de qua Plato scribit sitam fuisse ultra columnas Herculis, sed ab hominum aspectu postmodum evanuisse. Idem tradunt Proclus, Ficinus, aliique Platonis Interpretes. Profertur etiam testimonium antiqui Aegyptiarum Historiarum Scriptoris, quem Marcellum appellant. Phœnices olim tempestate in regionem fertilissimam ultra Oecanum asportatos tradidit quoque libro v. Diodorus Siculus. Vel ex antiquorum lectione, vel naturalis rationis lumine novum orbem habitari, & aliquo tempore detegendum præsensit Seneca, ut liquet ex fine Actus 2. Medeæ:

Venient annis
Sæcula seris, quibus Oceanus.
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus, Tiphusque novos
Detegat orbes, nec sit terris
Ultima Thule.

Valde itaque probabile est Americam veteribus non fuisse prorsus ignotam; & nihilominus Patres de Antipodis merito dubitasse, cum probari non posset eorum existentia per certam Historicorum fidem, vel antiquissimam traditionem. At de Præadamitis dictum satis.

CAPUT II.

De corporeo primi hominis plasmate, & formatione mulieris.

SUMMARIUM.

1. Præmittuntur notanda circa statum quæstionis.
2. 3. & 4. Probatur, Adami corpus neque infantili ætate, neque statura gigantis productum fuisse.
5. Ostenditur, corpus primorum Parentum non fuisse androgynum.
6. & 7. Respondetur ad oppugnationem.
8. Propugnatur, ea, quæ de productione Evæ cap. 2. Gen. narrantur, accipienda esse Literaliter, & historice.
9. & 10. Solvuntur Cajetani objectiones.
11. & 13. Resolvitur aliud dubium.

1. De corporeo plasmate Adæ, & formatione mulieris. Libro superiori, 11. capite explicatum est quomodo in Augustiniana Doctrina de simultanea rerum universarum productione duplex hominis sit distinguenda creatio, secundum causalem rationem sive in primordiis seminariis, & in singulari propriaque corporis sui plasmatione, atque inspiratione animæ spi-

ſpiritualis. Id vero quoniam ad ſolvenda Cajetani argumenta expeditum & percommodum eſt, ne ſæpe eadem repetantur, ſufficiat modo unicum Auguſtini teſtimonium proferre: qui de creatione Adami diſſerens lib. de Gen. ad lit. VI. cap. 15. *De limo* (inquit) *formari oportebat ſecundum cauſalem rationem, in qua primitus factus erat. Nam ſi aliter factus eſt, non illum Deus in illorum ſex dierum operibus fecerat; in quibus cum dicitur factus, ipſam cauſam utique fecerat Deus, qua erat ſuo tempore homo futurus, & ſecundum quam fuerat ab illo faciendus, qui ſimul & conſummaverat inchoata propter perfectionem cauſalium rationum, & inchoaverat conſummanda propter ordinem temporum.* Itaque per Auguſtinum formatio corporis Adæ de limo terræ deſcripta 11. Geneſeos v. 7. ad opera ſex dierum non pertinet; nam Adam ſimul & Eva ſecundum cauſalem rationem jam creati erant una cum cæteris rebus cap. 1. v. 27. Atque de peculiari iſta formatione ex limo terræ enarrata ſecundo capite Geneſis quæſtionis totius cardo vertitur.

Ex quo corpus Adæ formatum.

De corpore quidem Adæ legimus: *Formavit Deus hominem de limo terræ:* limumque appellant alii liquorem opimum, alii terram aqua permixtam; non enim plaſmavit Deus Adam de fumo, aut vapore aquæ, unde eſt æther, ſed de humore craſſiori, ut novit etiam Ovidius in 1. Metamorph. atque in Theogonia Heſiodus. Hanc terram fuiſſe fulvi, rubidique coloris ſcribit in 1. Antiquit. Joſephus, commonſtratque hebraïcum ipſius limi vocabulum אדמה *Adama*, unde primus homo dictus eſt אדם *Adam*, quali, *Rubicundus & rufus.* At de his aqud Interpretes plura. Noſtra tantum refert diſpungere oppoſitas quorumdam opinationes: aſſerentibus perpaucis Adamum infantilibus membris fuiſſe creatum, nonnullis etiam in ſtatura Gigantum. Quam poſtremam ſententiam amplectitur in lib. 1. de Emendat. temporum cap. 4. Joannes Lucidus. Occurrunt quædam & de Eva prima omnium muliere: quæ principio appellata eſt *Virago* אשה *Iſcià*, à viro איש *Iſc* poſtmodum proprio nomine dicta eſt *Eva* ab חוה *Ava*, eſſe, & vivere, quod ipſa omnium viventium ſit parens. De hujus formatione Rabbini quidam, nec non Eugubinus in Coſmopœeja effutiunt fabuloſum errorem, id eſt, mulierem productam ſimul cum homine membris omnibus perfectam, & latere lateri media unica ex coſtis conjuncto. Cajetanus narrationem de mulieris ædificatione ex una coſtarum viri putavit eſſe allegoricam, nempe non veram hiſtoriam, ſed parabolam. Omnia hoc loco ſunt à nobis definienda.

PROPOSITIO I. Adami corpus neque infantili ætate, neque ſtatura Gigantis productum eſt. 2. Propoſitio.

Demonſtratur propoſitionis prima pars; quoniam fruſtra creditur Deum initio temporis ita naturæ ordinem ſervaſſe, ut hominem procrearet qualis nunc naſcitur. Nunc enim infanti adhæret genitrix illum excipiens, bajulans, nutriens, & infirmæ ætatis curam gerens: matrem autem præter limum non habuit homo ille primus. Fuit præterea Adæ formatio opus ſolius Dei, qui ad manifeſtandam omnipotentiam virtutis ſuæ nullo morarum temporalium intervallo uſus eſt *Quis neſciat aquam concretam* (inquit S. P. Auguſtinus lib. VI. de Gen. ad lit. cap. 13.) *cum ad radices vitis venerit duci in ſaginam ligni illius, atque in eo ſumere qualitatem, qua in uvam procedat paulatim erumpentem, atque in ea grandeſcente vinum fiat, maturumque dulceſcat? Num ideo Dominus lignum quæſivit, aut terram aut has temporum moras cum aquam miro compendio convertit in vinum, & tale vinum, quod etiam ebrius conviva laudaret?* Hoc, aliisque exemplis probat S. Pater Opificem omnium ſtatim formaſſe hominem adultum, & juvenili robore præditum. Probatur Adami corpus non fuiſſe infantile.

Altera pars comprobatur primo, quod cap. VI. Gen. v. 4. legitur Gigantes originem ducere à connubiis filiorum Dei cum filiabus hominum: de quibus dixi de Angelis cap. III. & XX. Ergo ab exordio mundi non erant proceri illi homines, virique *famoſi* ſuper terram. Congruum deinde erat, ut cæterorum hominum protoparens nec pygmæus eſſet, nec Gigas: haberetque tam eximium Dei opus aptam extenſionem membrorum. Adverſa inſuper opinio nititur verbis Joſue cap. XIV. 15. *Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt.* Certum eſt enim ex Num. XIII. v. ultimo, ענקים eſſe poſteros Enac proceræ ſtaturæ, & generis gigantei. At nihil inde evincitur. Ut enim con- 3. Probatur Adami corpus non gigantæum.

cedamus primum hominem in Hebron fuisse sepultum, ut est vetus traditio Hebræorum, (à qua non recedit S. Hieronymus) existimantium Urbem Hebron dictam primitus קרית ארבע, *Cariath Arbe*, quasi *Civitas quatuor*, quod ibidem humata sint quatuor *Capita*, videlicet Adam, Abraham, Isaac, & Jacob, cum uxoribus suis Eva, Sara, Rebecca, & Lia: ut, inquam, id concedamus; negari potest Adamum dici maximum propter membrorum structuram, cum æque maximus posset appellari ob solam originem, & primi parentis auctoritatem.

4. Ratio Hebræorum solvitur.

Præterea hæc Hebræorum traditio de primo homine sepulto in Hebron, nullam habet ex allato textu confirmationem. Primum quia nomen *Adam* non proprium hic est, sed appellativum & singulis hominibus commune: Deinde quia non est verisimile Hebræos nomen pristinum Civitatis commutasse, quod Patrum suorum sepulchrum nomenque servaret. Atque Adam hoc loco appellativum esse evincitur 1. quod scriptum sit in Hebræo הָאָרָם cum præfixo ה, quod nomini proprio Adæ non additur: cæteris autem nominibus propriis perraro & irregulariter, quorum exempla profert Buxtorffius in Thes. Gram. lib. 2. cap. 5. At nomen *Adam*, quod sui notitiam per se exhibet, caret ubique signo notificativo ה, ut scribit in *Michlol* R. Kimchi. Ad hæc: *Arbe* non esse nomen numerale, sed proprium viri constat ex cap. sequenti Josue xv. 13. *Cariath Arbe Patris Enac, ipsa est Hebron.* Ergo Arbe est Pater Gigantum, & maximus ille homo sepultus in Hebron. Idem liquet ex versionibus cæteris. LXX. habent nomen proprium, πόλις Ἀργὲ: Caldaica latine reddita, *Kiriath Arbagh, homo magnus in fortibus ipse:* Arabica, *Civitas Rabee, hominis scilicet ingentis staturæ.* Ergo neque Adam est ille maximus inter Enacimos, neque hinc eruitur Hebron esse Tetrapolim, ibique tumulo conditum primum hominem.

5. Propositio 2.

Propositio II. Corpus primorum Parentum non fuit Androgynum, id est viri simul & fœminæ ad latus hærentium.

Probatur.

Demonstratur adversus Eugubinum. I. Quoniam in ejus sententia narrationibus Luciani connumeranda necesse est ut Adam simul & Eva fuerint de limo terræ formati: Sed hoc somnium est & improba vanitas: Ergo & Eugubini assertio dignum est Poeta mendacium. Minor probatur; quoniam ex 11. capite Genes. v. 28. constat fuisse jam hominem, cum non *inveniebatur adjutor similis ejus.* Et Apost. in 1. ad Timoth. 11. 13. ait: *Adam enim primus formatus est, deinde Eva.* II. In Eugubini sententia uterque homo tam Adam, quam uxor de terra fuerunt plasmati. At istud etiam scripturis repugnat, ut constat ex eodem cap. Gen. ubi Adam dicitur formatus de limo terræ, Eva ædificata ex una de costis ejus. In Ecclesiastico cap. XVII. v. 5. pariter legimus: *Creavit ex ipso adjutorium simile sibi.* Ergo mulier de osse Adami, non de limo immediate producta est. II. Homo est caput mulieris, ut inquit Apost. in 1. ad Corinth. cap. XI. 3. atque ideo caput est, quia non vir ex muliere, sed mulier est ex viro, ait ibidem Apost. v. 8. igitur Eva ex Adamo vere fuit ædificata; alioqui neque homo caput uxoris, nec mulier gloria & imago viri ob productionem appellaretur; sed æque dici posset Adam imago Evæ, & Eva caput Adami.

6. Objectio.

Opponit Eugubinus. Nisi Eva simul cum Adamo fuisset producta, nec verum esset quod scribitur 1. Gen. 22. *Masculum & fœminam creavit eos:* nec statim eis Dominus benedixisset dicens: *Crescite & multiplicamini;* nec mulier diceretur creata *ad imaginem Dei.* Simul ergo Deus hominem & mulierem condidit. Cur enim in 1. Genes. hæc omnia narrantur, si nondum mulier tunc erat?

7. Solutio.

Resp. nos jam declinasse istiusmodi argutationes, dum præmonuimus in Augustiniana sententia creationem descriptam in primo Geneseos comprehendere Adamum & Evam, quatenus facti sunt secundum rationem causalem, in qua uterque continebatur; dies enim Geneseos referendos esse ad perceptiones Angelorum directas ad res omnes unico momento creatas vel in propria specie, vel in rationibus seminariis, Augustini sententia est alibi confirmata. Instituitur nunc quæstio de formatione hominis de limo terræ, quæ cap. 2. narratur, nec pertinet ad opificium sex illorum dierum. Hæc autem non est illa, qua Deus fecit hominem ad imaginem suam, & masculum & fœminam creavit eos: sed qua formavit hominem de limo terræ, Evam autem ædificavit de costis ejus. Quæ si difficilia videntur, ad caput secundum præcedentis libri redito. Nec qui negant simultaneam creationem jaculis Eugubini concutiuntur. Respondent sexta die creatum Adamum ac positum in Paradiso,

diſo, immiſſum deinde ſoporem in Adam, ſubtractam unam ex coſtis, ædificatam mulierem, illis tandem Dominum benedixiſſe; atque ſecundo capite Geneſis ampliori narratione referri, quæ contracta brevique fuerant præmiſſa. De imagine autem Dei reſpondent in anima, non in corpore ſitam eſſe, & argumento illo probari ita primam mulierem fuiſſe Dei imaginem, ut ſunt homines ex utero ipſius propagati. Verum de hac imagine proximo capite VII.

8. Propoſitio 3. PROPOSITIO III. Quæ de productione Evæ II. capite Geneſeos narrantur, accipienda ſunt literaliter & hiſtorice, non παραβωλικῶς ac translate.

Probatio. Non illud Cajetano negamus in Evæ de latere Adami productione, tanquam in typo latuiſſe Eccleſiæ myſterium, dicente Apoſtolo ad Epheſ. v. 32. præceſſiſſe in primorum parentum conjugio Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum; quod S. Pater de Civit. Dei lib. XXII. cap. 17. explicans ait: *Ut in exordio generis humani de latere viri dormientis coſta detracta fœmina fieret, Chriſtum & Eccleſiam tali facto jam tunc prophetari oportebat. Sopor quippe ille viri mors erat Chriſti, cujus exanimis in cruce pendentis latus lancea perforatum eſt, atque inde ſanguis & aqua profluxit: quæ ſacramenta eſſe novimus, quibus ædificatur Eccleſia.* Itaque negamus duntaxat mulierem vere non eſſe de viri latere detractam, & cap. II. Geneſeos parabolam quamdam narrari, & non rei geſtæ veram hiſtoriam. Id vero primum, quoniam non recte Adam expergefactus oblata ſibi à Domino uxore dixiſſet: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Præterea nec verum eſſet mulierem appellari ab אִישׁ *Viro* אִשָּׁה *viraginem*, quoniam de viro ſumpta eſt; niſi revera Deus coſtam Adæ in mulierem ædificaſſet. Rurſus nec verum eſſet Adam formatum de limo, ac poſtea Evam de Adamo, ut ſupra contra Steuchum diſſertabamus. Ulterius non eſſet in ſenſu Cajetani vir caput mulieris, & in hujus productione non fuiſſet præfiguratum Sacramentum Eccleſiæ. Inſuper conveniunt Theologi à proprio literæ ſenſu recedendum non eſſe ſine magna ratione & auctoritate: uttaque autem deeſt Cajetano. Ad hæc: tenenda eſt regula Auguſtini lib. III. de Doct. Chriſt. cap. X. diſcernentis propriam locutionem à tropica, ubicunque in ſermone Divino traditur quidquid ad fidei veritatem & ad dilectionem honeſtatemque refertur. At productio Evæ ex una coſtarum Adami magnopere confert ut vir adhæreat uxori ſuæ, quomodo legitur II. Geneſ. v. 24. atque ut mulier viro ſubdita ſit, quemadmodum præcipit Apoſt. ad Epheſios v. 21. Igitur locutio memorati capitis II. Geneſeos eſt propria & hiſtorica in eo, quod attinet ad ipſius fœminæ conſtructionem. Poſtremo Hieronymus in Epiſt. ad Philemonem, & S. P. Auguſtinus lib. IX. de Geneſi ad lit. cap. 13. videntur infidelitatis illum arguere, qui non crederet *Adamum ex Deo plaſmatum*, (inquit Hieronymus) *Evam ex coſta illius, & latere fabricatam.*

9. Objectio Cajetani. Objicit Cajetanus. Niſi productionis Evæ parabolicam narrationem aſſeramus, plura conſequuntur abſurda. Sequitur primo Adamum aut fuiſſe monſtrum priusquam formata eſſet Eva, aut poſtea ſublata coſta, imperfectum & mancum. Alterum abſurdum eſt, quod ſi literaliter accipiatur verſus 20. *Adæ verò non inveniebatur adjutor ſimilis ejus*; videtur quæſitum inter femellas animantium an eſſet aliqua in uxorem ei danda: quod futile eſt admodum, ac Dei ſapientiam, & rectam Adami rationem ſumme dedecet. Conſequitur tertio duplicem eſſe productionem mulieris, unam, qua ſimul cum viro facta eſt, altera, qua fuit de latere illius fabricata. Hoc etiam inveriſimile conſectarium emergit, quod dixerit Deus protoparentibus: *Creſcite & multiplicamini*, quando nondum erat fœmina. Erit pariter mendacium, quod ſcribitur v. 27. I. cap. Gen. *Maſculum & fœminam fecit eos.* Denique ſi mulier viro dormiente formata eſt eodem loco, atque ex latere ipſius, quomodo Opifex *adduxit eam ad Adam?* Parabolica eſt ergo narratio Geneſeos, nec *humano more accipienda*, ut hom. XV. monuit Chryſoſtomus.

10. Solutio. Reſp. nego ant. nullum quippe ex oppoſitis conſectariis ex præcedenti theoremate infertur. Nam ad 1. reſpondetur coſtam, quam Deus in mulierem ædificavit, non fuiſſe ſuperfluam ac redundantem, cum potius impares nunc inveniantur in homine à vertebris ſpinæ pertingentes ad ſternum, & inferius ad xiphoidem terminatæ; quarum unam pro muliere formanda Deus ex Adamo ſubtraxit: atque ne mancus remaneret, *replevit carnem pro ea.* Ad 2. Reſpondeo idem ſignificare *non inveniebatur* ac, nondum fuerat productum: ſiquidem femellæ animalium irrationalium non ſunt à Deo factæ ex maſculis, quoniam neceſſe non erat tantum in beſtiis reperiri vinculum neceſſitudinis, quantum eſt uxorem inter ac virum. Animad-

ver-

vertunt quoque Hebraicæ linguæ periti, ea verba וּלְאָדָם לֹא מָצָא עֵזֶר

Et Adæ non inveniebatur adjutorium, usitata phrasi significare, quod Adam non inveniebat *ipse sibi*. Quare Josephus lib. 1. Antiq. cap. 1. Adamum appellat ξενιζόμενον, id est, *obstupescentem*, quod ei condita non esset ad societatem fœmina. Inquisitio itaque & admiratio cadit in solum Adam, non in Deum. Ad ea, quæ consequuntur, responsio obvia est ex duplici creatione, quam Schola Augustini defendit: & si illam nondum quisquam percepit, *redeat ad Scripturam, inveniet sexto die hominem factum ad imaginem Dei, factos autem masculum & fœminam. Item quærat quando facta sit fœmina, inveniet extra illos sex dies. Tunc enim facta est, quando Deus de terra finxit adhuc bestias agri & volatilia cœli; non quando volatilia produxerunt aquæ, & animam vivam, in qua & bestiæ sunt, produxit terra. Tunc autem factus est homo, & masculus & fœmina: ergo & tunc, & postea. Quæret ex me quomodo. Respondebo postea visibiliter, sicut species humanæ constitutionis nota nobis est; non tamen parentibus generantibus, sed ille de limo, illa de costa ejus. Quæret tunc quomodo. Respondebo invisibiliter, potentialiter, causaliter, quomodo fiunt futura non facta.* Ita Augustinus lib. VI. de Gen. ad lit. cap. 6. n. 10. In aliorum sententia respondetur unicam esse mulieris productionem, ut supra dixi ad argumenta Eugubini.

11. Difficultas de simultanea creatione solvitur.

Ingenue fateor perdifficile esse in sententia de simultanea creatione, quomodo sexta die fuerit fœmina si tantum homo conditus est causaliter; & quomodo ipse homo factus sit ad imaginem Dei, nondum constitutus in visibili specie, & informatus anima, in qua ratio Divinæ imaginis sita est. Sed observandum est in ea sententia, Angelos producente Deo creaturas participatione sempiternæ lucis percepisse quid in involucris illis primordialibus lateret, id est, foret successivo tempore in propria specie formandum. Viderunt ergo limum terræ, & perficiendum ex illo corpus Adæ, cui Deus inspiraturus erat animam rationalem, in qua Divina imago principaliter sita est. Atque hæc etiam in seipsis extra causales rationes conspexerunt, posteaquam prima illa creatio præteriit. In qua multa commemorata sunt, quæ ut fierent visibiliter, erant temporales moræ exspectandæ. Hujusmodi est distinctio sexuum, creatio animæ rationalis, & quæ secundo capite repetuntur: & hæc ad creationem simultaneam non pertinere alibi præmonuimus.

12. Doctrina S. Chrysostomi.

S. Joannes Chrysostomus hom. xv. in Genesim commonet sapientissime, ne *adeo verbis addicti simus, ut minime de Deo, ut par non est sentiamus.* Quandoquidem dum dicitur, *Accepit, & omnia talia, propter nostram infirmitatem ita dicta sunt.* Prohibet ergo ne secundum literam sic accipiamus Deum insufflasse, tulisse costam, ædificasse mulierem, adduxisse ad Adam, quasi & os labiis circumseptum, & manus ad cretam tractandam, & pedes habeat corporeos. In fabricanda autem Eva de costa viri summa virtus artificis, rectitudo providentiæ, futurorum sacramentorum præscientia, & lex dilectionis magnopere commendatur. Quod & nos supra indicavimus, & exprimit eadem Homilia flumine illo aureo singularis, gravissimæque Orationis Chrysostomus.

CAPUT III.

De substantia, & origine Animæ.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. & 3. Probatur, animum hominum incorporeum, atque spiritualem esse,
4. & 5. Solvuntur objectiones.
6. Propugnatur, animam rationalem non esse aliquam portionem Divinæ substantiæ.

à num. 7. Usque ad 10. Enervantur contraria.

1. De substantia, & origine animæ.

ET corporis quidem originem hucusque vidimus: ejus etiam naturam philosophando comprehendimus, sive in dimensione constituatur & extensione partium, sive in hujus aptitudine. Augustinus in Epistola XXVIII. ad Hieronymum corpus describit his verbis: *Corpus est quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur vel movetur, ut majore sui parte majorem locum occupet, & breviore breviorem, minusque sit in parte, quam in toto.* Ubi etiam animadvertit rationalem animam *corpus* esse, si nomine cor-

corporis intelligatur sola substantia vel essentia; aut si solam naturam, quæ summe incommutabilis & ubique tota est, placeat appellare incorpoream. Quod ad intelligendas veterum quorumdam sententias plurimum confert; etsi modo sermonis consuetudine *corpus* dicimus illud, quod nuper definivimus. Corporeæ naturæ animam esse Athei soli, & homines de grege Epicuri iniquissime autumant. Ex adverso aliqui tam sublimem excogitarunt, ut crederent cum Manichæis esse quamdam Divinæ substantiæ portionem. Atque hi duo circa substantiam animæ errores sunt procul eliminandi. De origine autem animæ, quæ est hujus quæstionis pars altera, disquirendum primo an creata sit ante corpus, & in ipsum ob crimina perpetrata ex altissimo domicilio depressa, ut inquit in Catone M. Tullius, atque disseminavit inter Ecclesiæ limites hydra omnium hæreseon Origenes. Videndum posthac an sit propagata ex semine, an saltem fiat per traducem; ut plures ex antiquis Patribus dubitarunt. Disquirendum denique an simul cum corpore moriatur, & si perpetuo vivit, quod profitetur fides christiana, & etiam infideles permulti consentiunt, transmigret de uno corpore in aliud.

2. Propositio I. PROPOSITIO I. Animus hominum incorporeus est, atque spiritualis naturæ.

Probatur ex scriptura animam incorpoream & spiritualem esse. Demonstratur 1. ex Scripturis, in quibus nomen quidem Spiritus non semel pro flatu ventoque accipitur, sed interdum usurpatur pro re subsistente, maxime si præponatur articulus, ut demonstratum est libro VII. cap. 14. Itaque Paulus ad Corinthios I. cap. 2. vers. 11. ait. *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei.* Atqui Apostolus per spiritum hominis significat rem subsistentem, sive naturam à corpore distinctam; ergo est in homine talis subsistens & incorporalis natura, quam animum, vel animam appellamus. Prob. minor; nam in Græco tam *spiritus Dei*, quam *spiritus hominis* cum articulo reperitur, id est, τὸ πνεῦμα: Spiritus Dei est res subsistens: Ergo & spiritus hominis. Sunt etiam in Scripturis loca innumera, quibus demonstratur Animam à corpore separatam persistere, ut infra de animæ immortalitate: At quod separatur à corpore & perpetuo vivit, corporeum esse non potest. Prætereа Lateranense Concilium IV. cap. *Firmiter* hanc propositionem apertissime definivit. Patres etiam illam tradunt concordissime. *Incorpoream esse animam fateor mihi persuasum esse*, inquit S. Pater laudata Epist. ad Hieronym. & in Psalmum 145. *Res spiritualis est, res incorporea est, vicina substantiæ Dei.* Habent reliqui omnes Patres consimilia.

Accedunt physicæ demonstrationes. 3. Probatur Physice. Prima est Augustini in libro de Quantitate animæ cap. 12. Si mens humana esset materialis, non posset tantas rerum imagines complecti, nec percipere undequaque diffusa corpora, aut saltem cernere cogitatione sua lineam latitudinis expertem, punctum, quod oculo non conspicitur, veritatem, sapientiam, unitatem, aliaque Dei attributa, quæ absque sensuum subsidio possunt apprehendi; sensus enim sola sensibilia attingit, & virtus corporalis corpora tantum. Sed mens humana ingentes capit imagines, & interiori lumine videt quicquid oculorum aciem & vim cæterorum sensuum excedit, minimum punctum lineæ, hujus à longitudine distinctionem, apprehenditque etiam invisibilia, & Divina. Igitur mens humana materialis non est. *Si corporea*, inquit S. Pater, *corporeis oculis mira quadam rerum cognatione cernuntur, oportet animum, quo videmus illa incorporalia, corporeum, corpusve non esse.* Altera demonstratio præcedenti affinis est: Mentem humanam esse substantiam cogitantem quisquam in semetipso experitur: Sed in idea substantiæ cogitantis nulla occurrit extensionis, & materiæ perceptio: Ergo in idea mentis humanæ non extensio, non materia, non corporis natura relucet. Ideæ autem rerum nobis veritatem exhibent, ut libro primo diximus, & demonstrant Philosophi.

Opp. 1. In idea Divinæ justitiæ non concipitur misericordia, & tamen sunt una res indistincta. Ergo licet in idea mentis humanæ non percipiatur corporalis extensio, non sequitur mentem esse à materia extensa diversam. 4. Objectio 1.

Resp. Nego conseq. Idea enim justitiæ non repræsentat rem ut in se est, sed prout connotat extrinsecum objectum; ac proinde sat est, si objectum justitiæ diversum sit ab objecto misericordiæ, ut utriusque idea & conceptus distinguatur. At notione *Mentis* percipio substantiam quæ cogitat, quæ vult, quæ dubitat; quemadmodum per ideam *Corporis* concipio substantiam materialem, extensam, & figuratam: ideoque diversa corporis ac mentis perceptio infert Solutio.

discrimen inter mentem cogitantem, & corpus extensum: id est non inter objecta duntaxat, sed inter unam, aliamque substantiam.

5. Objectio 2. Opp. 2. Quod adolescit ac minuitur est corporale & extensum: Mens humana adolescit & minuitur: Est ergo extensa & corporalis. Liquet minor: nam juvenes cognitionem acquirunt, qua carent pueri, & mentis acies, quæ in illis viget, in his hebescit, atque in senibus item obtunditur.

Solutio. Resp. dist. minorem: Humana mens viget, & flaccescit in officio sensuum, quorum tendines ætate aut durescunt aut laxantur, ita, ut anima conjuncta corpori facile, vel difficulter pro organorum dispositione & motuum vicissitudine agat per oculos, aures, & instrumenta reliqua corporis, concedo: Viget ac decrescit per semetipsam, suamque naturam, nego. Vide librum 1. cap. 3. hæc idoneo aptoque exemplo explicata.

6. Propositio 2. PROPOSITIO II. Rationalis anima non est portio aliqua Divinæ substantiæ.

Probatur animam rationalem non esse portionem D. substantiæ. Invictissimo argumento Augustini probatur. I. Divina substantia incommutabilis est: Anima non est incommutabilis: Ergo anima non est Divina substantia. *Nos enim credimus* (inquit S. Pater lib. VII. de Gen. ad lit. cap. 2.) *Dei naturam atque substantiam omnino esse incommutabilem. Porro autem animæ naturam vel in deterius, vel in melius commutari posse quis ambigit? Ac per hoc sacrilega opinio est eam & Deum unius esse substantiæ.* Et Epist. XXVIII. *Deum nefas est nisi vere summeque incommutabile credere. Non est igitur anima pars Dei.* II. *Omnis substantia vel Deum habet auctorem, vel ipsum auctorem non habet. Si non habet Deum auctorem, Deus est. Si habet Deum auctorem vel facta est, vel facta non est. Porro quæ facta non est, & tamen ex ipso est, aut genita est ab illo, aut procedit ex illo. Quæ genita est, Filius est unicus, quæ procedit Spiritus Sanctus, & hæc Trinitas unius est, ejusdemque naturæ.* Ita S. Pater libro II. de Anima & ejus origine cap. 3. Atqui anima non est Filius, aut Spiritus Sanctus. Ergo est substantia quæ habet Deum auctorem, & facta est. Substantia vero quæ facta est, creatura nuncupatur: & *Creatura ita esse dicitur ex Deo, ut non ex ejus natura facta sit.* Plura eo loco Augustinus.

7. Objectio 1. Opp. 1. Act. XVII. 28. & 29. dicimur *Genus*, id est, progenies Dei, Itaque ex ipsa Dei substantia propagati sumus.

Resp. nego consequentiam. Etenim explicat eodem loco Apostolus, quomodo Genus simus Dei, scilicet, quoniam *longe non est ab unoquoque nostrum: in ipso enim vivimus & movemur & sumus.* Quorum verborum sensus est: posse rationales homines Deum quærere, & mente ad illum accedere per contemplationem sui ipsius, & charitate & amore filios Dei nuncupari, maxime quod nobis per Christi gratiam supernum lumen, & dilectio sancta inspiretur. Revocat præterea Apostolus per hæc verba ab idololatria præclaro argumento. Nos, inquit, sumus genus Dei, & ab ipso cum vitam, tum motum nanciscimur. *Non debemus æstimare auro, & argento, aut lapidi, sculpturæ artis & cogitationis hominum Divinum esse simile.* In quibus hæc ratiocinii vis inest. Omne opus est ignobilius opifice: Simulacra sunt sculpta ex auro, aut ex lapide, industria & artificio hominum. Sunt ergo homine ignobiliora. Si autem homine; profecto viliora sunt ipso Deo, qui & vitam & facultatem omnem impertitur hominibus. Nefas est ergo simulacra tanquam Divinum quidpiam habere, atque his æquiparare Creatorem omnium, qui habitat in templis non manufactis. Accomodat etiam Apostolus se Poeticæ locutioni recitans *hemistichium* ex Phænomenis Arati illustris poetæ Cilicis, qui floruit tempore Ptolomæi Philadelphi circa Olympiadem 105. Arati verba sunt: τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμὲν: *Ipsius enim & genus sumus.* Producit versus, unde transsumpta sunt Clemens Alexandrinus in v. Stromatum. Sensum autem Arati sic reddit in sua Paraphrasi Festus Avienus.

Flos & flamma animæ, qui discurrente meatu
Mentis primigenæ penetralia dia resolvens
Implevit largo venas operatus amore.

Ita vero Deo aptat Paulus, quæ de Jove dicta fuerunt ab Arato.

8. Solutio. 9. Objectio 2. Opp. 2. Deus animam creavit inspirando in faciem Adæ spiraculum vitæ; ideoque spiritus hominis est halitus & afflatus Dei. Dei autem halitus est ex Dei substantia. Igitur ex Dei substantia rationalis animus productus est. Deinde non consequitur substantiam Dei diminui ac discerpi ex quo inde sit anima, integer enim manet ignis lucernæ, cum

cum de illa altera accenditur, neque dum à nobis uter inflatur, aliqua portio noſtræ naturæ in illum infunditur. Ratione ergo conſimili Deus absque ſubſtantiæ ſuæ diminutione creavit animam de ſe ipſo. Etiam Eliſæus flando mortuum puerum ſuſcitavit, neque portio ſubſtantiæ ipſius diſcerpta eſt atque abſciſſa.

10. Soluio. Reſp. diſt. majorem: Spiritus hominis eſt halitus Dei, id eſt, ſpiritus hominis halitu Dei productus eſt ex nihilo, concedo: id eſt, ſpiritus hominis eſt halitus, qui eſt halitus naturæ Dei, nego: *Quid eſt quod dicis* (ait S. P. Auguſtinus lib. III. de Orig. Animæ ad Vincentium Victorem cap. 3.) *eam particulam eſſe quamdam halitus naturæ Dei? Numquidnam ipſum halitum naturæ Dei, cujus halitus eſt ipſa particula, negas ejusdem cujus Deus eſt eſſe naturæ? Si negas, ergo de nihilo & iſtum halitum fecit Deus, cujus halitus animam vis eſſe particulam. Aut ſi non de nihilo, dic unde illum fecerat Deus. Si de ſe ipſo, ergo ipſe eſt, quod abſit, materies operis ſui.* Diſtinguo etiam minorem: Spiritus Dei eſt ex Dei ſubſtantia, ſpiritus creatus à Deo, nego: Spiritus datus à Deo, nempe Spiritus Sanctus, eſt ex Dei ſubſtantia, videlicet, procedens à Patre & Filio, qui ſunt eadem ſubſtantia, concedo. At quid inde? Spiritus Sanctus eſt ipſe Deus, eademque cum Patre & Filio ſubſtantia & natura. Quare & ipſa Anima Deus foret, ſi eſſet ſpiritus non de nihilo, ſed de ipſa ſubſtantia Dei. Vincentii exempla adverſus auctorem retunduntur. Ignis enim integer manet dum lucerna altera accenditur, ſed alterius naturæ eſt, non *ſpecificæ*, ut inquiunt, ſed *numericæ:* animam vero ac Deum eſſe individua ejusdem *ſpeciei*, niſi maximam Deorum turbam invexeris, non poteris ullo modo percipere. Inflando utrem, non de natura noſtra, ſed de iſto aere circumfuſo flatum facimus. Ita Deus non de natura ſua creavit in homine ſpiraculum vitæ, ſed ex nihilo: nam cum ſit omnipotens & incorporeus, nec aerem attrahit ad ſpirandum, neque indiget aere ut faciat flatum viventem ac ſentientem. Ad Prophetæ exemplum: *Itane:* (ait S. Pater eodem libro cap. 5.) *flatum Eliſæi fuiſſe putas animam pueri? Non usque adeo te à vero exorbitare crediderim.* Verum plura eo loco Auguſtinus.

CAPUT IV.

Altera pars præcedentis diſſertationis, quæ eſt de Animarum origine.

SUMMARIUM.

1. Probatur, ſpiritales animas non fuiſſe creatas extra corpora.
à num. 2. usque ad 8. Diluuntur oppoſitiones.
à num. 9. usque ad 17. Propugnatur, quæſtionem, an anima ex nihilo creetur, eſſe perdifficilem, licet interim certum ſit, eam non propagari ex ſemine corporali.
à num. 18. usque ad 33. Adverſæ opinionis fundamenta ſolvuntur.

De animarum origine. SIT modo adverſus Origenianos, Priſcillianiſtas, cæterosque, qui de animarum origine turpiſſime deſipuerunt,

1. Propoſitio I. PROPOSITIO. I. Spirituales animæ non ſunt creatæ extra corpora, atque in terrenum carcerem ob perpetratum crimen detruſæ.

Probatur. Exploditur contrarius error his momentis. Principio juxta dogmata Origenis cauſa mundi faciendi non fuit ut conderentur bona, ſed ut cohiberentur mala, quippe corpora creata ſunt ut eſſent vincula animarum, quæ peccando à Conditore receſſerant. At nullam cauſam faciendi mundi Scriptura commemorat, niſi ut bona fierent à bono Deo, *Vidit enim Deus cuncta quæ fecerat & erant valde bona*, legimus 1. Geneſ. v. ult. Non fuiſſent autem valde bona; ſi corporibus ſingulis fuiſſet alligata anima nefario ſcelere turpis. Igitur adverſatur Origenianum dogma Scripturis. Deprompta eſt hæc prior argumentatio ex Auguſtino lib. XI. de Civit. Dei cap. 23. atque iisdem pene verbis contexta. Præterea definitum eſt Canone VI. Concilii Bracharenſis, necnon à Viennenſe ſub Clem. V. animam eſſe ſuapte natura *formam corporis.* Non ergo propter demerita quaſi mancipium corporis ergaſtulo ſubjicitur. Rurſus immundi dæmones gravius peccaverunt, quam animæ, & dæmonibus aerium corpus, Animabus vero terrenum ac limoſum, ſi his credimus, pro carcere conſtructum eſt. Graviori ergo culpæ, quod repugnat ſummi Numinis inviolatæ æquitati, levior pœna reponditur; cum ſolidiora & craſſiora homi-

num corpora sint comparatione ætheris carceres magis tenebricosi ac teterrimi. Atque hanc ratiocinationem pariter ex Augustino deprompsimus memorato libro de Civ. Dei, & adversus Priscillianistas ad Orosium cap. 8. Ulterius, ut eodem loco magnus Doctor animadvertit, si Deus peccatis rationalium spirituum ad fabricandum mundum esset adductus, hoc sequeretur absurdum, quod duos soles, vel tres, vel quatuor, vel centum, dummodo centum animæ æqualiter peccassent, debuisset producere: & consequenter præsens mundi harmonia non est ab Opificis provisione mirabili, sed contigit tanta unius animæ peccantis progressione, ut sola corpus tale, id est, solem promereretur. Denique ad Rom. v. 12. habemus; quod *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit*; non ergo extra Adam animæ peccaverunt, nec in Adam, hoc est, in carnem, quæ ex Adam propagata est, tanquam in carcerem fuerunt intrusæ. Quod etiam argumentum exscripsimus ex Augustino Epist. xxviii. ad Hieronymum prope finem.

2. Objectio 1. Opp. 1. Sap. viii. 19. & 20. legitur: *Puer autem eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonum: & cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Pro conditione ergo meritorum præcedentium corpora aut inquinata, aut munda animabus deputantur.

3. Solutio. Resp. nego consequentiam: enimvero planissimus sensus est Salomonem adhuc puerum optimæ indolis & temperiei fuisse, ejusque animam absque notabili vitio naturali; cumque esset magis bonus Divinæ gratiæ auxilio, diu continentiam ac munditiem carnis servasse, atque eo perveniisse ut in mortali corpore caste viveret ex totis præcordiis Deum precatus, ut terrena inhabitatio deprimeret sensum multa cogitantem. Nec patitur textus ille interpretationem Origenistarum: nam si anima hujus pueri erat bona, nec animus terrenum in corpus truditur nisi propterea quod in superiori vita improbus evasit, quo jure anima illa venit ad corpus? Quod certo quantumvis optimæ temperiei, malorum animorum est, non bonorum custodia. Si vero Origenianus reponat animas, quas Deus mittit in corpora, pares natura fuisse, nec discrepantes mala liberi arbitrii voluntate; non erat ergo bona anima hujus pueri, nec melior cæteris differentia morum. Sed nec melior erat corporali temperamento, quoniam puer erat magis bonus antequam veniret ad corpus incoinquinatum. Unde igitur? Vide Augustinum libro x. de Gen. ad literam cap. xvii. & sequenti, in quo etiam hunc locum egregie interpretatur de Christo Domino. Ipsius vero ante Incarnationem præexistentiam & firmissima fide tenemus, & alibi contra Socinianos propugnavimus. Atque hinc eruitur responsio altera, quod verba Salomonis accipienda sunt de Filio Dei, cujus ille typum gerebat.

4. Objectio 2. Opp. 2. S. P. Augustinus lib. vii. de Gen. ad lit. cap. 24. ut suam de simultanea rerum omnium productione tutetur sententiam, ait: *Credatur ergo, si nulla scripturarum auctoritas seu veritatis ratio contradicit, hominem ita factum sexto die, ut corporis quidem humani ratio causalis in elementis mundi, animæ vero jam ipsa crearetur, sicut primitus conditus est dies, & creata lateret in operibus Dei, donec eam suo tempore sufflando, id est, inspirando, formato ex limo corpori insereret.* Ergo Augustinus in errorem prolabitur, quem ipse in Origenistis reprehendit.

5. Solutio. Resp. 1. Nego consequentiam; non enim Augustinus opinatur animam Adæ tanquam captivam ob culpæ demeritum venisse invitam ad corpus: sed eo fine conditam, ut corpus statim formandum sponte subiret. Secundo respondeo, quidquid Vellosillus scribat Advert. in tom. ix. q. 17. falsum esse quod S. P. hanc de anima Adæ tenuerit opinationem. Disputat quidem citato libro vii. an simul cum aliis creaturis anima producta sit; & cap. 22. demonstrat non fuisse conditam secundum causalem rationem, quoniam hæc ratio causalis in creatura corporea latere non potuit, cum anima spiritualis sit, & expers materiæ. Proximo capite demonstrat nec latuisse animæ primordialem rationem in natura Angelorum, cum anima filia Angeli non dicatur. Capite sequenti vicesimo quarto ait, *Quod humanæ opinioni tolerabilius videtur*, si potius affirmetur animam creatam quidem ab initio, sed latuisse in operibus Dei, donec formato Adæ corpori insereretur. Quam opinionem esse præcedenti tolerabiliorem nemonon videt. Hanc postremam de anima latente in operibus Dei, fateor Augustinum arbitrio lectorum relinquere, hac tamen prudentissima cautione, *si nulla Scripturarum auctoritas, seu veritatis ratio contradicit.* Imo cap. 25. & 26. totus est in refellendo illorum errore, qui putant animam veniisse coactam ad corporis habitaculum.

Hæc

Hæc sane non dogmatizantis cum Origene, sed accurati scriptoris secernentis probabilia ab erroneis, clarissima indicia sunt. Et tolerabiliorem illam opinionem amplectiturne Augustinus ? Minime. Capite 27. ita disputationem absolvit : *Nunc tamen de anima, quam Deus inspiravit homini sufflando in ejus faciem nihil confirmo, nisi quia ex Deo sic est, ut non sit substantia Dei, & sit incorporea, id est, non sit corpus, sed spiritus.* Libro itaque de Genes. septimo nihil S. Pater definivit. Quid postea ? De Civit. Dei XII. cap. 23. potius in eam sententiam flectitur, ut animam creatam asserat homine jam formato. *Et cum virum* (inquit) *terreno formasset ex pulvere, eique animam qualem dixi, sive quam jam fecerat, sufflando indidisset; sive potius sufflando fecisset, eumque flatum quem sufflando fecit, nam quid est aliud sufflare quam flatum facere, animam hominis esse voluisset, &c.* Atque huic Augustinianæ sententiæ subscribo. Nec tamen retracto quæ de simultanea creatione dicta sunt alibi : sed dico in illis sex diebus omnia fuisse condita causaliter, quæ in rationibus causalibus latere poterant, à quorum genere segregandæ sunt universorum hominum animæ : necnon assero in primo capite Geneseos plura narrari, quorum duplex distingui debet productio, videlicet, in causa, & in propria specie. Quare homo pertinet ad creationem simultaneam, & temporariam, ut explicavi præcedenti libro cap. 2. Inspiratio autem, qua homo factus est in animam viventem spectat ad productionem hominis alteram, videlicet in specie sua. Responderi etiam potest cum D. Thoma q. XC. art. IV. *quod anima humana præcessit in operibus sex dierum secundum quamdam similitudinem generis, prout convenit cum Angelis in intellectuali natura.*

6. Objectio 3

Opp. 3. Videtur hæc opinio de animorum præexistentia omnium hominum sensu firmari. De Ethnicis liquet quod penes ipsos hæc invaluerit opinio ex Panegyrico dicto Theodosio Imperatori, ubi legimus, quod *Divinus animus venturus in corpus dignum prius metiatur hospitium.* Judæos eamdem tenuisse περὶ τ' προϋπαρξεως τῶν ψυχῶν ut Græci Philosophi loquuntur, *de præexistentia ac volutatione animarum* opinationem, constat ex interrogatione eorum apud Joannem IX. 2. *Quis peccavit hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur ?* Inter clarissimos Ecclesiæ Patres eamdem sententiam recitat, nec redarguit S. Hieronymus Comment. in Epistolam ad Ephesios, & ad Philemonem. Augustinus ipse dubitavit an sol & sidera sint animata. Quod videtur Priscillianistarum errori valde proximum. Ergo, quod probandum erat, Origeni omnes plane gentes quodammodo assentiuntur.

7. Solutio.

Resp. nullam nobis aut Platonicorum, aut Pythagoreorum hac in parte habendam esse rationem ; nam intelligibilia, quæ horum philosophorum aliqui contendunt rebus corporalibus antecessisse, simul cum his fuisse producta nobis demonstrant argumenta validiora. Neque enim sapientissimus artifex indigens erat exemplaris & archetypi ut mundum construeret, cujus sapientia sempiternas rationes continet rerum faciendarum : atque congruum erat, ut opera, quam principio molitus est, tanto digna esset opifice, & referta rerum universarum generibus. Apud Judæos lex etiam corporales morbos transgressoribus minabatur ; atque in traditione habebant cæcitatem, aliaque vitia corporis pœnam esse peccati. Interrogabant itaque cujusnam peccati pœna esset illa à nativitate cæcitas ; videbatur enim illis imperceptibile potuisse hominem ante nativitatem peccare. Difficultatem ergo suam memorata interrogatione proposuere. Nec repugno Judæorum aliquos post exortas Philosophorum sectas etiam de animorum in corpora transmigratione cogitasse : quod apparet ex Philone claro gentis hujus scriptore. Sed hæc interrogantibus respondit JEsus : *Neque hic peccavit, nec parentes ejus*, actuali quidem peccato, quale suspicabantur causam fuisse cæcitatis. Ergo illius hominis anima non fuit ob actuale aliquod crimen damnata ad ergastulum corporis oculorum acie privati. Hieronymus in prima contra Rufinum Apologia à se omnem erroris accusationem propulsat, dicendo se, cum officio Commentatoris fungeretur Origenem Christianæ verecundiæ studio non reprehendisse, & in fine primi capitis Comment. Epist. ad Ephesios satis ostendisse ab ea sententia, quam sub alterius persona retulerat, suam omnino esse discordem. Augustini de anima cœlestium corporum dubitatio nihil cum errore Origenis habet affinitatis, cum nullibi in illius mentem venerit rationales spiritus in cœli luminaria fuisse detrusos. Dubitavit tantum an hæc habeant rectores spiritus, & si habent, num ab his vitaliter inspirentur ; quod & retractavit in posteriori libro Retr. cap. VII. Quantum vero ætate Augustini rationalis ac prudens fuerit ejusmodi dubi-

tatio, & an explosa sit in literis Justiniani approbatis auctoritate Vigilii Papæ, differit in Vindiciis cap. IV. §. 2. Cardinalis Norisius.

8. Objectio ultima cum solutione.

Opp. ultimo: Anima, dum moritur corpus, non moritur, sed remanet immortalis: Ergo dum producitur corpus, non creatur, sed erat. Resp. nego consequentiam; quippe in interitu corporis anima rationalis non deletur, quoniam ipsa corporalis non est, nec partes habet quæ dissolvantur. Producitur tamen una cum corpore, quod sit ejusdem corporis forma: sed neque eodem modo gignitur decisione materiæ & corporali propagatione, cum fiat ex nihilo dum unicuique singillatim inseritur. Accedit, quod separatio animæ à corpore est pœna, & cum primum Anima creata est, pœna esse non debuit. Ergo nec debuit anima produci à corpore separata.

9. Propositio 2.

PROPOSITIO II. An Anima creetur ex nihilo quæstio perdifficilis est, nec sine causa Magnus Augustinus de hac re dubitavit: certissimum tamen est atque catholicum Dogma, cui nefas est refragari, quod non propagatur ex semine & traduce corporali.

10. Probatur difficile dogma esse.

Illud enim perdifficile dogma est, quod nullo certo argumentorum genere potest resolvi. Istiusmodi est quæstio de animarum origine. Ergo hæc quæstio perdifficilis est, & Augustinus juremerito de hac re suam sententiam suspendit. Prob. minor. Quidam Theologi probant animam fieri ex nihilo ex Scripturis, unde quatuor loca producunt: Primum ex Psalmo XXXII 17. *Qui finxit singillatim corda eorum.* Secundum Is. XLII. & Zach. XII. ubi legimus Dominum *fingere spiritum hominis in eo.* Tertium ex cap. XII. Ecclesiastæ 7. *Antequam revertatur pulvis in terram suam, & spiritus redeat ad Deum qui fecit illum.* Quartum ex Joan. v. 17. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Hæc sunt, unde Theologi quidam probant animam ex nihilo fieri, ut Bellarminus lib. IV. de Amiss. Grat. cap. XI. Gabriel Biel. in 2. sen. dist. 17. q. 1. concl. 3. Estius dist. eadem §. XI. qui etiam addit verba Apostoli ad Hebræos XII. 9. *Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, & reverebamur eos: non multo magis obtemperabimus patri spirituum, & vivemus?* Sed hæc non videntur definire quod singulorum animæ fiant ex nihilo. Quod primo constat ex ipsomet Bellarmino, qui post argumenta nonnulla ex his scripturis petita, ait: *Quare ut Sanctus Augustinus disputat in Epist. 28. ad Hieronymum, nullus fortasse scripturæ locus invenietur, in quo perspicue doceatur animas non fieri ex propagine, sed creari.* Præterea S. Pater quid hujuscemodi testimonia efficiant demonstrat in Epist. 28. nuper laudata, & in 1. libro de Origine Animæ contra Vincentium Victorem. Nam ad 1. & 2. respondet cap. hujus libri 14. *Adjecit, qui fingit spiritum hominis in ipso, quasi hoc negetur. Sed unde eum fingat, hoc quæritur. Nam & corporalem hominis oculum, quis nisi Deus fingit?* Animadvertit & in Esaiæ 42. probabiliter Spiritum Sanctum esse significatum: quem aut creari aut gigni nullus Catholicorum audet asserere. Estius vim inesse putat in adverbio *singillatim*, quo nobis innuitur aliquod peculiare de productione animarum. Verum si illud accipiatur, ut vertit Hieronymus, & valet Hebraicum יחד, pro *pariter*, inanis est hæc argumentatio: si prout idem est, ac *peculiariter*, nihil demonstrat quam specialem animorum productionem, non utique ex aqua, vel terra; Animam quippe Adæ creando Deus inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. Ad tertium reponit magnus Doctor: *Sed omne etiam corpus ipse facit. Quod autem ex propagine corpus humanum faciat nullus ambigit. Ac per hoc de anima, cum eam constet ab illo fieri, unde eam faciat, utrum ex propagine sicut corpus, an insufflando sicut primam fecit, adhuc utique requirendum est.* Quod sequitur, liquet ex ipso Evangelio, hoc tantum commonstrare quod Patris & Filii opera sint indistincta, & non de animorum creatione istic agi, sed universim de institutæ naturæ conservatione, specialiter vero de Christi miraculis & ejus divinitate. Eam ob rem S. Pater recitato hoc testimonio à Hieronymo modeste respondet: *Ecce volo, ut illa sententia* (quod singulas animas singulis nascentibus etiam modo Deus inspiret) *mea sit, sed nondum esse confirmo.* Ad Hebræos XII. dicitur Deus Pater spirituum, quoniam ipse solus dat spiritus dona: alioqui si *Patrem spirituum* dictum putas quod sit creator animorum, non erit forte satis apta verborum antithesis inter patrem carnis, & patrem spirituum; nam Deus tam carnis, quam animorum est opifex.

11. Confirmatio.

Addunt quidam quod formata muliere ait Adam: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Corpus quidem, inquiunt, Evæ ex corpore Adam his verbis insinuatur eductum, sed non unius anima ex anima alterius. Corpus ergo

pro

propagatur, non anima. *Sed illi qui propaginem asserunt Animarum, hinc se putant invictius suam munire sententiam, quia cum scriptum sit, detraxisse Deum costam de latere viri sui, eamque ædificasse in mulierem, non est additum quod in ejus faciem sufflaverit flatum vitæ, ideo inquiunt, quia jam de viro fuerit animata. Ad illud vero quod ait Adam, hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; nec ait, spiritus de spiritu meo, vel anima de anima mea: sic ab eis responderi potest, ut à parte totum intelligatur hoc dictum, os & caro mea, sed quæ animata fuerint detracta, non mortua.* Hæc S. P. Augustinus citato libro cap. 18. Quantum ergo ad Scripturarum loca pertinet, repetam cum magno Doctore, an anima sit ex propagine sui generis, *Ego nec defendo nec refello: sed si defendendum est, vel refellendum, perspicuis, non ambiguis testimoniis id agendum esse commoneo.*

12. Patrum testimonia solvuntur.

Secundo pro creatione Animorum plura Patrum testimonia solent proferri. At ex adverso possumus recitare permulta, quibus constat originem animæ non fuisse antiquis omnino exploratam. Apertissima sunt verba Eucherii Episcopi Lugdunensis libro 1. super Genesim cap. 3. Patrum Africanorum in Epistola Synodica cap. x. Fulgentii lib. 3. de Veritate Prædestinat. & Grat. cap. 20. Gregorii Magni Epist. ad Secundinum, Prudentii in libro de Prædest. cap. 16. Hugonis à S. Victore lib. 1. de Sacramentis P. 7. cap. 30. Qui omnes scribunt quæstionem esse insolubilem, dubiam, multum discussam, sed absque certa definitione relictam. Legatur Alipius Reylof Gandavensis lib. VI. de Anima cap. 2. & Norisius in Vindiciis cap. 4. §. III. Doctissimus Bellarminus ait Augustinum in Epist. ad Optatum 157. sententiam de traduce animarum apertissime refellisse, & sententiam Tertulliani summæ perversitatis damnare. Sed Norisius recte observat in eadem Epistola adhuc Augustinum dubitare: reprehendere tantum inconsideratam temeritatem eorum, qui rem obscurissimam humanis conjecturis definire præsumunt; Tertulliani vero doctrinam perversam esse propterea, quod cum crederet animam esse corpoream, gigni putabat ex semine corporali. Addit Bellarminus S. Leonem Magnum Ep. ad Turibium, cap. 10. hæc scribere: *Catholica fides constanter prædicat, atque veraciter quod animæ hominum priusquam suis inspirarentur corporibus non fuere, nec ab uno incorporentur, nisi ab opifice Deo, qui ipsarum est Creator & corporum.* Sed demonstrat Norisius id idem contra Origenis, & Eutychetis perversa Dogmata institui sermonem. Atque hæc de Antiquorum Patrum sententia summatim attigi, ut quisque Norisium & Reylosium adire non prætermittat.

13. Scholasticorum argumenta solvuntur.

Tertio loco proferunt Scholastici argumenta desumpta ex animi incorporali natura; verum non desunt qui materiam spiritualem defendant: in quorum sententia sunt argumentationes illæ sacillimæ solutionis. Deinde si rationi sistendum est, undique angustiis & difficultatibus nos premi sentimus; posita enim sententia de animarum creatione difficilius est explicare quomodo originale peccatum pertranseat ex uno homine in posteros. Quamquam & huic difficultati quid sit respondendum posita animarum creatione ipse Augustinus præmonuit. Scio Bellarminum affirmare Theologos omnes, qui à quingentis annis fluoruerunt, unanimi consensione tradere quod singulorum animæ creentur ex nihilo. At non video quomodo hæc cohæreant cum iis, quæ scribit ad calcem præcedentis cap. x. *Non desunt hoc tempore, qui in ea S. Augustini dubitatione hærendum esse censuerunt.* Multos præterea Theologos propugnasse traducem animarum demonstrat Norisius citato loco, & Vossius lib. 2. Hist. Pelag. P. 3. Thesi 1. Scribit ipse Bellarminus S. Thomam q. 118. art. 2. opinionem de animarum propagine disertis verbis appellare hæresim. Verum cum Angelicus Doctor assertum suum probet ex eo quod virtus activa, quæ est in corpore, extendi nequeat ad productionem immaterialis substantiæ; manifestum est damnare ut hæreticam sententiam eorum, qui putant animam propagari per semen corporale: quod & nos hæreticum esse affirmamus.

14. Probatio ulterior.

Probatur modo prima propositionis pars: quod non est expressum in Scripturis, neque per exploratam traditionem comprobatum, &, si ad solam humanam rationem exigitur, non tollit dubietatem quæstionis; id difficillimum est, & prudenter ab Augustino non definitum. Assertum de animarum origine apertis Scripturis non solvitur, Ecclesiastica traditione nequaquam finitum est, neque illud nostra mediocritas nosse potest, absque ulla saltem ambiguitate. Itaque Augustinus suum de origine animæ judicium suspendens sese demonstrat providentissimum, cautum, & magni consilii virum.

An-

15. Notandum 1. quod anima non propagetur semine corporali.

Antequam alteram partem demonstrare aggrediar, ne quis me coarguat quod de propagine animarum videar hæsitare: principio illud in ore vulgi positum repeto: *Non est discipulus supra Magistrum.* Compello deinde doctum piumque lectorem Magistri verbis, quibus interpellavit Hieronymum: *Doce ergo quod doceam: nam ut doceam multi à me flagitant, eisque me sicut alia multa, & hoc ignorare confiteor.* Addo quæ S. Doctor scripsit de hac quæstione ad Optatum: *Non erubescendum est homini confiteri se nescire quod nescit, ne dum se scire mentitur, nunquam scire mereatur.* Cum eodem Augustino libro 11. Retract. cap. 45. admoneo, ut cui libet animam singulis nascentibus dari, eam solutionem hujus quæstionis admittat, *quæ contraria non sit apertissimis rebus, quas de originali peccato fides catholica novit in parvulis, nisi regenerentur in Christo sine dubitatione damnandis.* Profiteor hac ætate omnes ferme Theologos consentire, quod singulæ animæ creantur de novo; nec defendendam esse opinionem de animarum propagine nullis certis argumentis stabilitam adversus doctissimorum virorum consensum: quod foret proculdubio inconsideratæ temeritatis. Scisciranti vero utrum hæc communior assertio spectet ad fidem, respondeo: Bellarminum lib. 1v. de Amiss. grat. cap. x1. asserere sententiam de propagatione animorum exploratum errorem esse, nec tutum videri hoc temore de singulorum creatione hæsitare. Ex adverso Estius dist. xv11. libri 2. §. 14. demonstrat non pertinere ad fidem hoc maxime argumento, quod nunquam Augustinus, Gregorius & alii PP. supra memorati elegissent dubitare de hac quæstione, si putassent esse de Dogmate ad fidem pertinente: insuper quod non possit nec evidentibus scripturis ostendi, nec certa traditione probari; neque ullo Ecclesiæ decreto fuerit hactenus definita. Allegat in hujus asserti confirmationem Victorinum lib. 1. de Sacr. parte 7. cap. 30. Alphonsum à Castro libro de hæresibus tit. Anima, & D. Thomam in 2. sent. dist. xv111. q. 2. art. 2. Cardinalis Norisius prope finem §. 111. supra citati ait: *Suspenderet igitur etiam nunc assensum Augustinus, & tunc gratias tantum ageret, cum certum modum proponerent, quo data creatione animarum peccati originalis propagatio adeo evidenti ratione constaret, ut modus ille à nemine rejici posset.* Nos utique subscribendum ducimus tantorum virorum judicio.

16. Notandum 2.

Postremo neque illud negandum est, videri etiam imbecillitati mentis meæ probabiliorem sententiam de creatione animarum non solum ob Scholasticorum auctoritatem, qui, ut dictum est, illam majori numero & consensione propugnant; verum etiam quoniam objectio de transfusione originalis peccati etiam non admissa animorum propagine ex doctrina Augustiniana diluitur. Neque enim Catholica fides humanis duntaxat conjecturis est vindicanda. Quapropter Pelagianis ipsorum hostis acerrimus & debellator invictissimus, & nominatim versutissimo hæreticorum illorum patrono, Juliano nempe in hæc verba respondet quinti libri cap. 3. *Quid fugis ad obscurissimam de anima quæstionem in paradiso? Ab animo quidem cœpit elatio, & ad præceptum transgrediendum inde consensio, propter quod dictum est à serpente, eritis sicut Dii, &c. Ut ergo & anima & caro pariter utrumque puniatur, nisi quod nascitur renascendo emendetur, profecto aut utrumque vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tanquam in vitiato vase corrumpitur, ubi occulta justitia Divinæ legis includitur.* Accedit quod non valet exigua vis ingenioli mei traducem propaginemque percipere spiritualis substantiæ. Nam quod propagatur seminis decisione, non potest esse nisi corporeum; si ergo datur animæ semen decisum in prolis generatione, necesse est ut sit extensum, atque partibile: in causa autem, & seminali ratione corporea animam latere non posse demonstrat S. Pater lib. v11. de Gen. ad lit. cap. 22. Quod si animæ semen spirituale est, non videt tarditas mentis meæ quomodo ex generantium femore valeat defluere. Spiritualis enim res partibus caret, neque aliam habemus ideam spiritus, nisi substantiæ inextensæ. Semen ergo animæ, cujus decisione ipsa propagetur acies intelligentiæ, qua polleo, intueri non valet. Ipse Augustinus laudato libro septimo cap. 7. affirmat spiritualem materiam non satis intelligi. *Quid ipsa est,* inquit, *quod nomen, quam speciem, quem usum in rebus conditis tenet? Vivit, an non vivit? Si vivit, quid agit? Quid confert universitatis effectibus? Beatamne vitam gerit, an miseram, an neutram? Vivificat aliquid, an ab hoc etiam opere vacat, & in quodam secreto universitatis otiosa requiescit, sine vigili sensu motuque vitali? Si enim nulla prorsus adhuc vita erat, quomodo esset vitæ futuræ quædam incorporea nec viva materies? &c.* Sed de priori propositionis parte jam satis.

Pro-

17. Probationes.

Probatur secunda pars, videlicet quod anima non propagetur semine corporali. Ac primo: Anima spiritualis est, ut vidimus propos. 1. capitis præcedentis: Quod spirituale est, nequit decisione seminis propagari: Ergo anima semine deciso, & corporeo minime propagatur. Secundo: Augustinus, tametsi de Animorum propagine dubitavit, constantissime docuit non fieri rationalem animam hujuscemodi semine. *De cæterarum animarum adventu* (ait lib. x. de Gen. ad lit. cap. 21.) *utrum ex parentibus, an desuper sit, vincant qui poterunt. Ego autem adhuc inter utrosque ambigo, aliquando sic, aliquando autem sic: salvo eo duntaxat, ut vel corpus esse animam, vel aliquam corpoream qualitatem seu coaptationem non credam, nec quolibet ista garriente me crediturum esse confidam.* Quod & profitetur Epistola 28. nunc 166. & Epist. 157. modo 190. necnon in 2. Retract. cap. 56. Insuper: Spiritualis substantia non potest contineri in creatura corporea tanquam in ratione causali; Si anima fieret semine, lateret in creatura corporea tanquam in ratione causali: Ergo non producitur anima semine. Major demonstratur ab Augustino lib. VII. super Genes. cap. 21. *Si enim qui hoc sentiunt, hoc dicunt corpus quod & nos, id est naturam quamlibet longitudine, latitudine, altitudine spatium loci occupantem, neque hoc est anima, neque inde facta credenda est. Quicquid enim tale est, ut multa non dicam, in quacunque sui parte lineis dividi, vel circumscribi potest: quod anima si pateretur, nullo modo posse posset tales lineas, quæ per locum secari non queunt, quales in corpore non posse inveniri nihilo minus novit.* Vide caput III. præced. propos. 1. Consimilis est argumentatio S. Thomæ 1. p. q. CXVIII. art. 2. quod impossibile sit virtutem cujusque corporalis materiæ productivam esse intelligentis substantiæ. Plura alia argumenta, sed omnia petita ex animæ immateriali natura vide apud D. Thomam q. 3. de Potent. art. 9. & 11. contra Gentes cap. 86. Victorinum de Sacramentis loco citato, Estium §. XV. dist. 17. & Scholasticos reliquos. Cum vero firmissime tenendum sit rationalem animam esse incorpoream; quisquis eam traduci assereret semine materiali ac partibili, aut de hoc hæsitaret, non solum cum Estio maximæ temeritatis nota à nobis esset insimulandus, verum etiam damnandus tanquam hæreticus cum D. Thoma memorato loco de potentia & q. 118. Et quoniam enunciando hoc vocabulum *semen* communi sensu percipimus *materiam ferendi*, nomine autem *materiei* substantiam corporum generationi subjectam; etiam *semen* animorum nolumus in posterum nominari.

ADVERSÆ OPINIONIS ARGUMENTA SOLVUNTUR.

18. Objicitur.

Rationalem animam semine propagari quidam evincere student pluribus argumentationibus, quas omnes collegit in libro de Immortalitate animæ Antonius Roccus: qui mentem humanam & corpoream, & materiali semine propagatam esse iniquo ac pertinaci stylo contendit; irrepsitque in animum philosophorum suis imaginationibus, non fidei obsequentium tam pernicioſa contentio. Horum argumenta præcipua hæc sunt. Primum: Ad creationem requiritur quod sit productio rei ex nihilo, quod sit ab agente supernaturali, & quod terminet ad verum esse reale; Anima non fit ex nihilo: Non ergo creatur. Probatur minor: si anima fieret ex nihilo, nullam haberet à materia dependentiam; dependet autem hæc anima ab hujus corporis temperie, alias quælibet anima in quodlibet corpus ingredi posset. Insuper si anima esset à corpore independens, nec ex passionibus corporis doleret, nec pereunte ac dissoluto corpore invita recederet. Diruta enim domo vel navi, nauta & hospes recedunt, quoniam corporei corporibus indigent, vel ad commodum, vel ad fulcimentum. Res autem spirituales non sic se habent. Itaque anima si spiritualis esset, nullo pacto à corpore dependeret.

19. Solutio.

Resp. concessa majori, nego minorem. Ad prob. dico animam non dependere à corpore ut sit, neque ut res spirituales percipiat, sed tantum ut exerceat munus *formæ* corpus vivificantis ac moventis, atque ut in corpore sensus dirigat, constituatque creaturam mediam inter Angelos, & mortua elementa, id est hominem præditum corpore & spiritu. Atque ideo liberum non est animæ ingredi quodcunque corpus, quoniam huic regendo ac vivificando à Deo Conditore destinatur, neque omnium indiscriminatim, sed hujus est *forma*, cum naturæ auctor rectissime statuerit, ut singula humani generis individua formam habeant peculiarem. Ulterius anima non producitur exta corpus ut ad illud sponte suoque arbitratu devolvatur,

tur, sed illi inseritur eodem, quo creatur, momento. Quis ergo nisi insipiens cogitare potest ut spiritus hominis sit indifferens ad unum corpus, vel alterum, modo sit incorporeus? Esset, nisi produceretur hac lege, ut una cum hoc corpore constitueret hominem individuum, neque huic corpori foret alligatus, ut illud regeret, sibique melioris vitæ meritum compararet. Quod autem resoluto corpore anima recedat invita, pœna est originalis peccati. Exemplum nautæ, vel hospitis, ipsius animæ à corpore independentiam commonstrat. Nauta homo est ad regendam navim aut sponte, aut principis jussu destinatus. Quatenus homo non opus habet navigio, quo est ipse longe nobilior, nam & vitam interdum agit in continenti. Ut nauta, cujus refert maria navigatione transmittere, indiget navi. Hac dissoluta & dissipata, cogitur aut in litore miserrimam vitam ducere, aut feliciorem in portu. Refecta autem navi cursu & remis ad patriam tandem revertitur. Anima pariter est spiritualis substantia sed corporis forma, & quasi navicularia: nam illud regit, movet, & explorate ad portum tentat appellere. Ut spiritualis substantia, præstantior est corpore, neque aliquid commodi ab illo captat: ut *forma* corporis, ab eo dependet, non quidem ut sit, sed ut mare perambulet, vitam nempe mortalem. Morte corpus, ut navis tempestate, dissolvitur: atque anima pro meritis vitam agit sive miseram, sive tranquillam. Resurget mortale corpus ad vitam perennem: & est resurrectio quasi dirutæ navis instauratio. Itaque hoc eodem navitæ exemplo apte explicatur quomodo rationalis anima à corpore sit pendens, & independens. Quod de corporalibus passionibus addit Roccus, primo in eum retorquetur: nam sæpenumero mens dolore afficitur etiam sublata causa, quæ excitat motionem corpoream. Dolet enim ac tristatur homo non solum in mutilatione membrorum, sed etiam dum se mutilum considerat, atque ad peragenda vitæ corporalis officia magis ineptum. Neque solis passionibus corporum afficimur, sed perturbationibus quoque animorum. Deinde ea est lex inter animam & corpus, ut illa hoc veluti instrumento in vitæ functionibus utatur: per vitia autem instrumentorum etiam artifices opera majori difficultate perficiunt; idoneoque calamo scriptitamus, labefacto autem non ita: nec tamen sumus nos naturæ ejusdem cum plumis anserum.

Arguit 2. Si anima natura sua sit *forma* corporis, & cum eo simul constituat unum per se, educitur de potentia materiæ; Quod de potentia materiæ educitur propagatur per semen: Ergo, &c. Præterea anima est talis *forma*, quæ ab agente naturali inducitur mediis subjectæ materiæ dispositionibus; Quod creatur, non producitur mediantibus materiæ dispositionibus: Igitur rationalis anima non creatur. 20. Objicitur 2.

Resp. nego majorem. Non enim quælibet forma educitur de potentia materiæ, sed quæ corporea est, & extensa, atque à materia necessario dependet ut fiat, & conservetur. Petit ergo hæc argumentatio principium, & à calce ad carceres revocatur. Ut enim fateamur animam educi de potentia materiei, demonstranda prius est ipsius animæ extensio. Quæ sane non evincitur ex eo, quod inferatur corpori jam dispositio. Nam primi hominis anima non à generante, sed à Creatore producta est, formato prius corpore de limo terræ: & tamen animam primi hominis creatam esse fatetur Roccus; quandoquidem à supernaturali auctore nihil ad extra producitur per veram generationem, cum ipse materia in operum suorum molitione non indigeat; & si aliqua fiunt ex materia præexistente, hanc non requirit facultas Conditoris, sed operis constitutio. Dispositiones autem corporum necessariæ non sunt, ut anima rationalis subsistat, sed ut sentiat, & peragat vitæ corporalis officia. Ergo sejuncta à corpore sentire non poterit? Non utique, si sensionem dixeris passionem sui corporis, sive impressionem agitationemque partium corporearum, quæ animum non latet. At si sensatio accipiatur pro mentis humanæ perceptione, etiam excitata per occasionem & præsentiam corporis peregrini, E. G. ignium infernalium, aut supernorum cœlorum, non video cur anima à corpore divulsa sentire non possit. Quamquam, ne illam existimemus corpoream, sufficit si possit vel se ipsam, vel Angelos, vel Deum intelligere: quod utique facere poterit etiam à terreno corpore separata. 21. Solutio.

Præterea arguit Roccus. Si anima rationalis crearetur, non contraheret ex semine Adæ originale peccatum; Atqui contrahit: Non ergo creatur. Majorem probat 1. auctorite Augustini, qui in libro de Origine Animæ, sive Epist. ad Hieronymum 28. ait parvulos originali peccato non obstringi, si animæ singillatim à Deo singulis nascentibus inferantur. 22. Objicitur 3.

Addit

Addit & rationem: Qui affirmant animam creari, & tamen originale contrahere peccatum, docent illam ex infecto corpore, cui ineſt, inquinari. Sed aliud eſt verba profundere, aliud ſapere. Demonſtrent, inquit, quomodo anima trahat ex ſemine Adæ peccatum, ſi anima nullam ex ſemine Adæ ducit originem. Nullum accidens absque ſubjecto poteſt exiſtere, ſive poſitivum illud ſit, ſive privativum: Peccati originalis ſubjectum eſt anima: Ergo ſi anima ex Adæ ſemine non propagatur, neque peccatum propagatione diffunditur. Hæc Roccus.

23. Soluio. Reſp. Nego majorem; & quoniam Adverſarius abutitur etiam auctoritate Auguſtini, ei reſpondendum eſt, ut diximus S. Patrem reſponſum dediſſe Juliano: *Quid fugis ad obſcuriſſimam quæſtionem?* Nam ſalvatur ex æquo peccatum originale, ſive anima vitiata traducatur ex Adam, ſive inſeratur corrupto ac ſordido corpori. Quod Roccus opponat verba Auguſtini, facit ejus maxima & inconſiderata temeritas. Primum quoniam S. Pater nunquam dubitavit de propagatione animæ per ſemen corporeum, ut Philoſophus iſte contendit. Deinde quia S. Pater nec de propagine ſpirituali loquitur aſſertive, ſed ambigit ubique, & difficultates ſcite prudenterque proponit. Imo in memorato libro prope finem affirmat ſe illam opinionem quod ex una fiunt omnes animæ, nolle diſcutere. Ad rationem productam reſpondendum eſt, Animam licet non propagetur per ſemen, infici ex conſortio corporis, cum quo unum hominem conſtituit, ſicut aqua vitiato in vaſe corrumpitur. Id vero quo pacto fiat, erit proximo libro inquirendum. Originalis maculæ ſubjectum eſſe animam concedimus: atque etiam ex hoc capite infertur animam eſſe incorpoream; peccatum enim aut juſtitia non ſunt affectiones corporum, ſed ſpirituum. Falſum quoque eſt accidentia absque ſubjecto nunquam traduci. Tranſeunt de uno in alterum (inquit Eſtius in 2. diſt. 17. §. 16. ad 10.) ſubjecto non transfuſo hæreſes, errores, vitia, lepra, peſtis, aliaque morum & morborum contagia.

24. Inſtantia. Inſiſtit. Si eſt animus à Deo inſertus corpori, non ex propagine ac ſemine, recte Pelagiani objiciebant Catholicis, quod Deum faciant injuſtum. Quæ eſt enim juſtitia ſpiritum incontaminatum nihil habentem commune cum carne huic alligare, peccati maculæ, pœnisque ſubjiciendum?

Reſp. Nego malam injuſtamque conſecutionem. Non enim peccatum ex Divina inſtitutione, & ſpectata vi creationis traducitur, ſed humano reatu, & primi parentis malitia: cujus cauſa corporeo vaſe polluto, quod Deus terrenum ſane, ſed defæcatum & absque ſorde formavit, non debet inſtituendæ naturæ ordinem immutare. Quod appoſite docet ad quartam objectionem Vincentianam Beatus Proſper in hæc plane verba: *Prævaricatio hominum diſpoſitæ à ſæculis creationis ordinem turbare non potuit, & merito creatura peccatrix pœnalem dominationem illius patitur, cui relicto vero Domino, ſponte ſe vendidit. Hæc quippe ſervitus non inſtitutio eſt Dei, ſed judicium, &c.* 25. Reſponſio.

Argumentatur rurſus memoratus Peripateticus. Humanum ſemen habet fæcunditatem, quæ attingit terminum *formalem* generationis: Terminus generationis eſt anima: Ergo anima gignitur ſeminis fæcunditate. Minor probatur primo quoniam ſemen canis animam canis producit: Igitur ſemen hominis animam hominis. Ulterius Brutorum animæ excedunt perfectione brutorum ſemen, & nihiloſecius per illud propagantur. Gigni ergo & propagari poteſt rationalis anima per ſemen hominis, quamvis eodem ſemine ſit perfectior. Amplius: Si anima vegetativa aut ſenſitiva educta de potentia materiæ, nollet Deus creare animam rationalem, quidnam ex illo homine naſceretur, brutum animal, an homo? Inſuper naturaliſſimum eſt omnium viventium non *orbatorum* generare ſibi ſimile: Itaque vel ſimile ſibi generat homo, vel erit *orbatus* & putrigenitus. Generat ergo ſimile: At ſimilitudo non conſiſtit in materia, ſed in ſpecie, natura, & forma: Igitur etiam *forma*, quæ eſt anima, ab homine generatur. 26. Objicitur 4.

Reſp. nego minorem. Etenim homo generat hominem. non quod fæcunditas ſeminis attingat productionem animæ; ſed quoniam inducens diſpoſitionem materiei, cui Deus ex inſtituta naturæ lege inſerit animam ſpiritualem, eſt efficiens cauſa unitionis partium, quibus conſtituitur rationale animal, homo. Et quoniam Philoſophus, cum quo diſputo, catholicus videri vult, & Sanctorum Conciliorum recipit auctoritatem, reſpondeat an Virgo Maria ſit Dei Mater, ſi neque Divinam naturam, neque Verbi perſonam potuit alia ratione generare, quam ſubminiſtrando materiam, cui ſubſtantialiter unitus eſt filius Dei? Aut ergo deſinant Roccus, Pomponatius, 27. Solutio.

tius, & reliqui hujus furfuris se jactare Catholicos, aut fateantur necessarium non esse ad veram generationem, quod fœcunditas seminis cujusque termini productionem attingat. Quoniam vero nos provocant ad solam physiologiam; nego hominem deterioris esse conditionis, quam sint bruta amalia, propterea quod nequeat animam generare. Imo ex quo præditus sit anima spirituali præstat viventibus cæteris, quantum rei corporeæ substantia spiritualis; & etiam hominis generatio generationibus irrationalium, quantum dispositio materiæ & partium unitio est in hominibus, quam sit in reliquis, mirabilior. Quod sequitur de perfectione animæ brutorum, falsum est in eorum sententia qui nullam animam agnoscunt, præter mentem humanam, à corporis figuratione distinctam. Figuratio enim & dispositio partium est quidem rerum corporalium perfectio, sed quæ sita est in modificatione materiæ, non in productione novæ substantiæ. Atque materiam explicare & disponere possunt singula quæ moventur. Rationalis autem substantia non est quædam corporalis materiei dispositio; nam quantumvis materia elaboretur, nequit esse principium percipiendi invisibilia & Divina. Atque hæc philosophandi ratio videtur in hac quæstione satis idonea ad solvenda Adversariorum Sophismata. In sententia autem Peripatetica recurrendum est ad eductionem formarum ex præexistente materia. Anima quippe sensitiva neque existere potest, neque munus aliquod exercere nisi dependenter à corpore, & idcirco de potentia materiæ potest educi. Sed rationalis, cum non dependeat à materia in omni prorsus operatione, nequit produci ex præexistente subjecto. Dispositio corpore tenetur Deus Animam ei conjungere, non absolute, sed hoc providentiæ ordine præsuppositio: unde tertia argumentatio futilis est, & inepta. Si Deus alium naturæ ordinem instituere, & animam non crearet, nascereretur homo irrationalis, non hujus institutionis. Ad ultimum vero constat ex dictis, hominem generare simile quatenus ita materiem disponit, ut ei Deus inserat animam, qua species & natura humana perficitur. Nam inserta anima corpori filius gerit imaginem & similitudinem Patris, tametsi anima non sit ex ejus semine propagata.

28. Objicitur 5. Insuper objicit: Anima rationalis, sensitiva, & vegetativa est in homine una eademque: Homo generat animam vegetativam & sensitivam: Igitur generat & animam rationalem.

29. Solutio. Resp. Falsam esse in sententia plurium Philosophorum majorem: nam in animalibus nullam aliam animam sensitivam agnoscunt præter quamdam musculorum, spirituum, artuum, fibrarumque dispositionem, & præter subtiliores partes sanguinis, quibus corpora apte disposita moveantur. Hæc vero, nisi anima rationalis insit, omni sensu destituuntur. Est enim sensus, inquiunt, mentis perceptio excitata fibrarum nervorumque concussionibus. In quorum principiis distinguenda erit minor. Homo generat animam vegetativam, & sensitivam, id est corporea membra quæ dilatantur & crescunt, atque ad illorum concitationem præsens Anima, quam Deus creat, percipit sensibilia, concedo: Generat animam vegetativam, & sensitivam, id est, quamdam substantiam à materia corporali, ejusque modificatione sejunctam, nego. In Peripatetica autem Schola respondetur animam vegetativam & sensitivam perfecto jam fœtu, & adveniente anima rationali interire, quoniam hæc illarum virtutem præcontinet, & sola movere potest, & vitam tribuere corporalibus mebris: aut, si magis placet, tres simul animas consistere in eodem corpore, & vegetativam ac sensitivam traduci, rationalem creari.

30. Objicitur 6. Adhuc argumentatur. De ratione cujusque animæ est informare materiam, & ei adæquate aptari: Rationalis anima informat materiam: Ergo ei aptatur adæquate. Aptari autem quid est, nisi partes materiæ partibus formæ respondere? Partibus itaque constat anima, & gignitur corporali propagine. Tandem qui animam docent creari à Deo, asserunt illam totam esse in qualibet parte corporis. Hinc vero sequitur manifestissima contradictio: nam abscisso brachio ubi tota erat anima, jam remota est à toto corpore reliquo, & remanet tota in eodem corpore. Tota ergo divulsa erit, & tota remanet. Hactenus Antonius Roccus.

31. Solutio. Resp. Et hæc in sententia modernorum Philosophorum nihil urgere. Distinguunt hi in homine duplicem *formam*, materialem, quæ est ipsa humani corporis figuratio, & spiritualem, scilicet mentem in unaquaque parte corporis alicujus sensus fungentem munere, modo organa sint apte disposita. Idem videtur sentire Augustinus, qui de Fide & Symbolo cap. 3. inquit: *Homo excepta forma membrorum, quæ diver-*

diversis generibus animantium diversa tributa est, non differt à pecore, nisi rationali spiritu, qui mens etiam nominatur. Itaque respondemus *formam* illam, quæ partibus materiæ divisibilitate sua coaptatur, esse illam *formam* quæ consistit in figura & dispositione membrorum, per quam homo nihil differt à pecore, non mentem ac formam spiritualem, per quam hominis species constituitur nobilior reliquis animantibus. At Peripateticus reponet, animam singulis membris aptari, quoniam licet inextensa, virtualiter divisibilis est, id est habet virtutem, quæ singulis partibus corporis applicatur. Diluent pariter utrique Philosophi argumentationem postremam. Illi enim respondebunt animam in ea parte cerebri considere, ad quam nervorum omnium pertingunt filamenta, quibus corporalia membra tuetur, atque sentit quicquid accidit exterius, fibrasque aut comprimit, aut divellit. Quare sciſſo brachio non anima dividitur, sed venæ, arteriæ, aliaque filamenta, per quæ ab anima residente in cerebro movebatur. Similia reponent qui statuunt animæ sedem in corde. Nec tamen si totam etiam illi brachio inesse arbitraris, infertur animam una fuisse conscissam, sed tantum à sciſſo membro discessisse. Imo neque anima sensitiva, quæ tamen corporea est, dividitur juxta Peripateticos, dum brachium abscinditur: sed secantur duntaxat animæ imperfectorum, quorum corpora sunt paribus segmentis conglutinata, ut lacertæ & lumbrici.

32. Objicitur. 7. Oppones ultimo. Quod anima fiat ex propagine, & de femore parentum egrediatur, videtur sacris literis magis conforme. Ergo anima propagatione seminis generatur. Probatur antecedens I. Genes. II. 23. dicitur mulier sumpta à viro, neque in ejus formatione legitur Deum inspirasse in faciem ejus spiraculum vitæ. Ergo anima Evæ ex anima Adæ facta est, neque Deus aliam, quam primi hominis animam produxit ex nihilo. II. Ejusdem libri cap. XII. 5. legimus, quod Abraham profecturus de Haran tulit Sarai uxorem suam: *Et animas, quas fecerant in Haran.* Et cap. XLVI. 26. habetur: *Cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Aegyptum, & egressæ sunt de femore illius, &c.* Fiunt ergo animæ à generantibus, atque illorum ex femore egrediuntur. III. Apostolus ad Hebræos cap. VII. 9. demonstrat Sacerdotium Christi esse nobilius Levitico, quoniam illud præfiguratum est in Melchisedech, cui decimas omnium divisit Abraham; ideoque, *Et per Abraham Levi decimatus est: adhuc enim in lumbis Patris erat, quando obviavit ei Melchisedech.* At Levi non erat in lumbis Abraham ratione solius carnis, sed etiam animæ; alias etiam Christus decimatus fuisset, cum natus sit ex semine Abraham secundum carnem. Igitur universorum hominum, excepto Christo, tam caro, quam anima propagatur ex femore, lumbisque parentum.

33. Solutio. Resp. nego ant. Ad priorem probationem dico in Genesi nec legi animam Evæ fuisse traductam, sed tantum quod corpus illius fuerit extractum de corpore Adæ: unde hoc argumento non probatur nec creatio, nec propagatio animorum. Dicitur autem mulier *Virago*, quoniam est os de osse viri, & caro de carne, ut habetur eodem versu: non quod sit anima de anima, & spiritus de spiritu. Vide Augustinum Epist. 28. ad Hieron. Ad alteram respondet S. Pater in Epist. ad Optatum num. 19. filios Abraham, & Jacobi appellari Animas modo quodam locutionis, quo significatur per id quod continetur illud quod continet, sicut Virgilius ait septimo Aeneid. *Vina coronant*, cum coronentur vasa vinaria. Animadvertit etiam Gen. 46. haberi pronomen relativum masculini generis, *Qui egressi sunt de femoribus ejus*: quo manifeste significatur exiisse de femore patris homines, non animas. Id vero secundum versionem LXX. in qua legitur: οἱ ἐξελθόντες ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ; nam Vulgata habet ut supra recitatum est. Ad ultimum respondet lib. X. de Gen. ad lit. cap. 20. Christum non fuisse cum Levi decimatum in femore Abrahæ, quoniam non venit in uterum matris per viri concubitum, sed à virgine conceptus est absque semine. Pergamus itaque ad reliquas controversias, nam de origine Animæ videmur satis superque dixisse.

CAPUT V.

Sequitur quæstionis pars tertia, quæ est de immortalitate Animorum.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.

à num. 2. usque ad 7. Probatur, animam non mori simul cum corpore, sed esse immortalem.

8. 9. & 10. Respondetur ad opposita.

1. De immortalitate animi.

ITAQUE cum spiritus nihil habeat commune cum corpore non potest simul cum ipso interire. Quod nunc breviter demonstraturus sum adversus rudiores, qui sibi hanc apertissimam veritatem nequeunt persuadere. In quorum numero inique nonnullos Catholicos recensent Lucas Osiander Cent. XVI. lib. 1. cap. 16. & Daniel Classenius lib. 1. Theolog. Gentilis cap. XIV. viris doctrinæ spectabilis, ac summæ dignitatis nequaquam parcentes. Sed prodidit sese stylus ipse mendacii. Nam de his unum referunt dixisse, se animæ immortalitatem firmiter non credidisse, cum jam mortuus esset: cui autem hæc morius significaverit, ipsi nesciunt. Videatur Classenius septimo Thesauri Græarum Antiquitatum volumine pag. 76. mmortalitatem Animæ negant, qui nullam substantiam admittunt præter corporalem, divisibilem ac solubilem, & omnem animam constituunt in quadam dispositione materiæ, sive congerie atomorum. Sunt aliqui tamen, qui materialem putant animam & nihilominus immortalem; id vero non ratione, sed fide tenere se profitentur. Hi sunt, qui existimant animam generari corporeo semine: quos refutavimus capite præcedenti.

2. Propositio.

PROPOSITIO: Anima rationalis non moritur simul cum suo corpore, sed perpeti vita fruitur.

Probatur ex scripturâ immortalitas animæ.

Nam primo id eloquia Divina testantur. Sap. III. 1. legitur: *Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori . . . . illi autem sunt in pace.* II. Machab. XII. 44.: *Nisi eos qui ceciderant resurrecturos speraret, &c.* oan. XII. 25. *Qui odit animam suam in oc mundo, in vitam æternam custodit am.* Matthæi XXV. 46. *Ibunt hi in supplicium æternum: justi autem in vitam æternam.* 2. ad Corinth. V. 1. *Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.* Sunt alia generis hujus innumera.

Consentiunt Ecclesiæ PP. quorum verba necessarium non videtur producere. Legatur Coccius in Thesauro, & in lib. 2. de Operibus sex dierum Franciscus Suarez. Nedum Patres, verum etiam *multi tam Græci, quam Barbari persuasum habent quod vivat anima humana post discessum à corpore*, ait in VII. contra Celsum Origenes. Et recte quidem. Nam ut mittam Pythagoram, & Platonem in Phædone, & XII. de Rep. Diodorum Siculum lib. XVIII. Macrob. in Somn. Scipionis, Salustium in Catilin. aliosque nominis celebritate præclaros; immortalitatem animorum tenuisse Thraces scribit lib. II. cap. II. Pomponius Mela. Idem tradit de Chaldæis & Indis Pausanias in lib. quarto. Certissimum est ergo probari immortalitatem animarum Scripturis, Traditione, atque plurium etiam Gentilium consensu. 3. Probatur ex Patribus.

Tertio probatur demonstrationibus. Quarum prima est. Anima humana incorporea est, & caret partibus; Ergo est suapte natura immortalis. Antecedens demonstratum est supra cap. 3. prop. 1. consequentia pariter probata est in libro de Angelis cap. 3. prop. 2. *Quomodo enim dissolvi potest quod non est compositum?* inquit Greg. Nyss. Orat. Catach. c. 8. Huc reduci possunt argumenta Philosophorum quod principium intellectionis sit per se subsistens, atque, ut Peripatetici loquuntur, *per se forma*: de quo plura S. Thomas in II. contra Gentes cap. 55. 57. & 1. p. q. 75. art. 6. Vide & Melchiorem Canum lib. XII. cap. 14. in his tamen argumentationibus nos ab horum principiis aliqua ex parte distamus; non enim *species omnes intelligibiles* à phantasmate dependere arbitramur: atque ita deridere possumus ratiocinationes eorum, qui probant mentem humanam, ex quo à corpore per sensus species debeat emendicare, aut cum corporibus interire, aut solutam à corpore in modum glirium somno otioque torpere. Atque hinc est quod Peripatetici multi, præditi etiam magno ingenio & magna philosophiæ Aristotelis eruditione, pronuntiarunt immor- 4. Demonstrationes.

mortalitatem animorum fide credi, sed nullo certo physico argumento patescere. Quos cum disertissime Canus insectetur, & perpolito dicendi genere hanc propositionem confirmet; tamen prope finem disputationis hæc scribit de argumentis, quibus Peripatetici demonstrant animæ immortalitatem: *Quod si hujusmodi argumenta tibi evidentia non sunt, memento nec cæteros ex tuo ingenio æstimandos esse, neque hic evidentiam mathematicam requirendam.* Nos ergo ex Augustinianis principiis probamus rationalem substantiam esse omni corpore nobiliorem, quoniam illius naturam perspicue intelligibilem novimus absque omni extensione, & ideas rerum defendimus superinditas, non à corporibus emendicatas.

5. Confirmatio. Nisi omnem perceptionem oriri dixeris à sensu, & phantasmate juxta Peripateticam doctrinam; assequeris optime argumenta Augustini in libro de Immortalitate Animæ: de quo tamen commoneo, ut legatur libri 1. Retract. caput xv. Probat enim S. Pater Animum esse immortalem ex quo sit subjectum scientiæ ac disciplinæ immmutabilis, atque ei insit ratio perfectior quocunque corpore, nec non lex & ordo invariabilis numerorum, & veritas, qua nihil potest esse præstantius. De quo argumentorum genere arbitror eum, qui præcedentes lucubrationes attente legerit, plane fuisse informatum.

6. Argumentationes ulteriores. Firmissimæ sunt argumentationes ex Dei providentia petitæ. Deum esse & ratio demonstrat, & probat hominum universorum conscientia. Atque Deum justissimum esse remuneratorem bonorum operum, & malorum vindicem liquet ex idea summi & incommutabilis boni: non enim bonum rectumque Dominum judicat quisquis illum absque præmiorum pœnarumque lege constituit. Atqui nisi sit perennis animorum vita post mortem, boni plures mercede, & improbi supplicio debito privabuntur; quod est Deum facere improvidum, rerumque humanarum insciun & negligentem. Est ergo post interitum corporis, Animi perpetua & interminabilis vita. Hoc argumentum primo nobis exhibuerunt sacræ literæ: Job. xxi. à versu 7. *Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis?* Psalm lxxii. à versu 3. ad postremum. Habacuc 1. & 11. capite. Idem urget Chrysostomus hom. 4. de Providentia: nec latuit Ciceronem in libro de Senect. & in primo Tusculan. Qq. Hinc est, quod impii ut suis indulgerent cupiditatibus, Dei providentiam sustulerunt, ut legimus Psalm. xiii. 1. & Sap. ii. 1. 2. & 3. S. P. Augustinus in libro Confessionum suarum vi. cap. ultimo, *Disputabam*, inquit, *cum amicis meis Alipio & Nebridio de finibus bonorum & malorum Epicurum accepturum fuisse palmam in animo meo, nisi ego credidissem post mortem restare animæ vitam, & tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit.*

7. Confirmatio. Accedit inditus amor beatitudinis, & omnium hominum solicitudo & cura eorum, quæ post mortem futura sunt. Hujusmodi anxietas aliud non est, quam certa & constans prænotio, sive instinctus naturæ omnia ad bonum congruens recta trahentis; Instinctus autem & inclinatio naturæ fallax esse non potest, alioqui melior foret conditio pecudum, quam hominum, cum illæ ab auctore naturæ ad finem sibi debitum dirigantur: Oportet ergo, ut sit revera immortalis vita; quam appetit creatura quælibet rationalis. Quam argumentationem non solum urgent Theologi ac Patres, verum & Tullius memorato loco, ubi antiquorum Philosophorum sententias exponit, & in Epist. 117. Seneca.

8. Objectiones. Objicies. Animam simul interire cum corpore scribit Ecclesiastes cap. 3. v. 19. Apostolus in 1. ad Timoth. cap. vi. 16. atque evincitur ex Levitici xvii. v. 14. Ecclesiastes enim ait: *Idcirco unus interitus est hominis & jumentorum, & æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius: cuncta subjacent vanitati, & omnia pergunt ad unum locum: de terra facta sunt, & in terram pariter revertuntur. Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum?* Paulus vero expresse affirmat quod *Deus solus habet immortalitatem.* In Leviticо sunt hæc verba: *Anima omnis carnis in sanguine est.* Non animam dixit Divinus Auctor pecudum tantum, vel jumentorum, sed *omnis carnis.* Et *carnis* nomine etiam homines designari constat ex cap. vi. Gen. 12. & Joannis iii. 6. Ad summum animorum immortalitas, si ulla est, erit gratia mortem coercens, ut definit vi. Synodus Act. xi. Erit ergo suapte natura omnis homo quantum ad animam corruptibilis & mortalis.

9. Responsio ad locum Ecclesiastæ. Resp. ad locum Ecclesiastæ, unum esse interitum & jumentorum & hominum quantum attinet ad vitam corpoream communem omnibus animantibus: nam & homini, cui dederat Deus posse non mori, posteaquam sese avertit à Creatore suo, & perdidit originalem justitiam, di-

dictum est Gen. III. 19. *Pulvis, es & in pulverem reverteris.* Ita nihil habet homo jumento amplius ratione corporis & vitæ animalis in carne prætereuntis; & cuncta ad eamdem terræ conditionem redeunt, unde facta sunt, quoniam humani corporis molem Deus de limo formavit. Mens ergo in terram non revertitur, cum de terra non sit producta. Reliqua verba sunt admirantis, & reprehendentis improbos, quorum animus adeo terrenis cupiditatibus illaqueatur, ut nonnisi terrena sapiat, & solum corporis interitum, ut jumentorum mos est, perhorrescat. Conferenda sunt cum his verba Sap. II. *Dixerunt enim cogitantes apud se non recte: Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, &c.* Etiam citato capite Eccl. v. 17. habetur: *Et dixi in corde meo: Justum & impium judicabit Deus, &c.* Quibus commonet nos alteram manere Vitam, in qua non videtur, quomodo sub sole contingit in loco judicii impietas, sed merces æqua rependitur. De testimonio Apostoli, & auctoritate & sensu VI. Synodi vide lib. X. cap. 3. Legatur & Augustinus libro septimo de Genesi ad literam sub finem, ubi ait quod anima *sit immortalis secundum quendam vitæ modum, quem nullo modo potest amittere; secundum quamdam vero mutabilitatem, qua potest vel deterior vel melior fieri, non immerito etiam mortalis possit intelligi, quoniam veram immortalitatem solus ille habet, de quo proprie dictum est, Qui solus habet immortalitatem.* Consimilia tradit in Epistola ad Hieronymum de Origine animæ cap. 2. num. 3.

10. Responsio ad Levitici verba.

Ad Levitici verba reponent non vulgares Philosophi animam quidem omnis carnis aut immolandæ super altare Domini, aut ad mensam comedendæ, cujus profecto generis non est homo, nihil esse quam subtiliores partes sanguinis; nec in brutis reperiri animam sensitivam, quæ sit substantia aliqua distincta à materia, qualem propugnant Peripatetici. Sed de brutorum anima viderint alii. Longe hac præstantiorem & ab interitu liberum animum esse humanum, persuasum habent qui defunctorum spiritui etiam funerum ceremoniis sacros honores impendunt. Vix enim invenies aliquem, qui animum suum tanto dedecore afficiat, ut corpus illius sedem tumulandum credat asini sepultura. Respondendum itaque cum Augustino quæst. 57. in Leviticum, animam omnis carnis esse in sanguine, quatenus in hac vita vivitur dum sanguis per corporis membra omnibus in venis diffunditur; vel animam hoc loco significare duntaxat vitam temporalem, quomodo Apostolus, ut se ostenderet paratum ad sanguinem pro Evangelio fundendum, inquit, *Non enim facio animam meam pretiosiorem quam me.* Reliqua argumenta soluta sunt cap. III. Prop. I. & cap. IV. Prop. 2.

CAPUT VI.

Absolvitur disputatio de Anima hominis refellendo errorem de ejus transmigratione, & revolutione Platonica.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis exponitur.
à num. 2. usque ad 5. Probatur, non dari animarum de uno in aliud corpus migrationem.
6. Propugnatur, non dari revolutionem Platonicam.
7. & 8. Solvuntur figmenta.

1. De transmigratione animarum.

Μετεμψύχωσιν, ut Græci appellant, sive animorum de uno in aliud corpus transitum, vel, ut loquitur Tertullianus, *recidivatum* dicitur primus omnium tradidisse Pythagoras. Verum arbitror derivasse ab Ægiptiorum idololatria: hanc enim gentem principio Regum suorum memoriam astrorum symbolis, rerumque corporalium imaginibus coluisse, deinde tanquam numina sempiterna sydera ipsa, & alia Majorum symbola habere cœpisse, commonstrant quæ à nobis scripta sunt de Origine Polytheismi. In ea opinione magis confirmamur, quod Photius in Bibliotheca p. 1004. affirmat errorem illum ad Pythagoram ex Aegyptiis manasse. Eodem laborasse Stoicos omnes auctor est in libro III. cap. 18. Lactantius. Idem de antiquis Germanis scribit Appianus in Celtico, & de Indis lib. 3. Physiologiæ Stoicorum dissert. XII. Justus Lipsius. Quanto insuper honore Brachmanni Boves, Elephantes

phantes & animalia cætera prosequantur, scribit in Itinere ad Orientales Indias Vincentius Maria Carmelita Excalc. lib. III. cap. 22. & 26. Etiam Plato animas hominum volvi post mortem credidit ad corpora bestiarum, auctore Augustino in X. de Civit. Dei cap. 30. Sic in Phædro scribit, sic in Timæo, sic in extremo de Republica. At non fuit Plato primus hujus erroris assertor, ut visum Irenæo lib. II. cap. 58. nunc 33. sed idololatræ Aegyptii, aut saltem Pythagoras, à quo nefarium Dogma accepit Empedocles, cujus extant apud Tertullianum de Anima cap. 15. & Diogenem Laertium in vita Philosoph. ea verba: *Thamnus & piscis fui.* Etiam Manichæi eodem errore imbuti sunt, apud Augustinum Hæresi 46. & in libro contra Adimantum cap. XII. Platonici quidam non solum *Transanimationem* defendunt, sed ulterius animarum reditum ad astra, unde sumptæ fuerunt; quamquam non conveniunt an exacto anno magno ibi in æternum debeant permanere, an infinitis revolutionibus cogantur iterum ad corpora terrena descendere. De hac animarum perpetua revolutione Virgilius in VI. Aen.

Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethæum ad fluvium Deus evocat agmine magno,
Scilicet immemores supera ut convexa revisant,
Rursus & incipiant in corpora velle reverti.

Exprimit autem Poeta per aquam Lethæi fluvii oblivionem; nemo quippe mortalium vitæ in alio corpore anteactæ juxta Platonem reminiscitur, propterea quod animæ in aliud corpus migraturæ exhibet Dæmon medicamentum, quo in gravem incidit aporiam. Refellendus modo est tam supinus & pervulgatus error quambreviſſime possumus, ut ad munus pensumque persequendi lucubrationem de primo homine revocemur.

2. Propositio I. PROPOSITIO I. Non datur animorum de uno in aliud corpus migratio.

Probatur ex S. Scriptura. Manifestissima hæc veritas sacrorum librorum auctoritate firmatur. Ecclesiastæ XII. 7. habetur: *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* At non rediret ad Deum, si in aliud corpus migraret. Apostolus ingemiscebat, dicens: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Cupiebat corpo-

ris resolutionem, ut esset cum Christo: & dissoluta hujus habitationis domo alteram non manufactam firmissime sperandam esse monebat. Si autem daretur transanimatio, esset de domo terrestri in terrestrem, & de corpore mortis in corpus mortis transeundum.

3. Pythagorei refutantur. Refutatur etiam opinio Pythagoreorum ratiocinationibus naturalibus. Prima est Irenæi lib. II. cap. 33. & potest hac brevi forma proponi: Nemo reminiscitur eorum, quæ in alio corpore perpetravit. Ergo qui putat se in alio corpore vitam egisse, id nulla ratione affirmat, nec probabili ducitur conjectura. Reponunt Platonici, quod animæ priusquam in corpora intrent, potantur oblivione. Verum Beatus Irenæus ita Platonem perstringit: *Si oblivionis poculum potest, posteaquam ebibitum est, omnium factorum obliterare memoriam: hoc ipsum unde scis, ô Plato, cum sit nunc in corpore anima tua, quoniam priusquam in corpus introeat, à Dæmone potata est oblivionis medicamentum?* Deinde si posset corporum admixtio omnium præteritorum delere memoriam; dum quis à somno evigilat, non reminisceretur eorum, quæ soporatus & quiescente corpore vidit in somniis. Id vero experientiæ quotidianæ adversatur, cum anima recordetur, quæ apud se vidit, & in phantasmate egit, eaque post plurimum temporis nuntiet proximis. Insuper aggravat quidem corpus animam, quæ illo utitur tanquam organo & instrumento, & si corporea moles disrumpitur, mens humana nequit operari per sensus, quemadmodum artifex extremum opus sine instrumentis non perficit: sed quæcumque corporis permixtio & effectio non potest efficere, ut anima, quæ est suapte natura substantia cogitans, omnem prorsus internam cogitationem & reminiscentiam deperdat: quemadmodum nec defectus instrumentorum potest impedire atque omnino delere ideam, ac perceptionem artificis. Sed legendus est memorato loco Irenæus.

4. Probatur 2. Altera argumentatio potest depromi ex Tertulliano lib. de Anima cap. 33. Si animabus, dum in alia corpora migrant, ea deputantur, quæ ipsorum meritis videntur congruere, E. G. porcorum immundis, luporum falsariis, glirium otiosis, asinorumque socordibus & ignaris congruum est, ut etiam scelerum suorum reminiscantur, quibus talia corpora promeruerunt, maxime cum hoc fine ad ea volutentur, ut adim-

pleant quod negligenter prætermiserunt, & pœnam luant commissorum: Atqui nemo præteritorum factorum conscientia torquetur, nisi illorum tantum, quæ in hoc humano corpore perpetravit: Ergo ad hoc non venit, ut superioris vitæ corrigat vitia, pœnasque persolvat. *Si demutantur* (inquit Tertullianus) *non ipsa dispungentur quæ merebuntur: & evacuabitur ratio judicii, si meritorum deerit sensus. Deerit autem sensus meritorum, si status verterit animarum.*

5. Probatur 3. ex S. Augustino.

Tertio loco nonnulla argumenta producam ex magno Ecclesiæ Doctore Augustino. Sit primum: Deus hominem condidit ad imaginem & similitudinem suam: atque hæc Divina imago in animo potissimum sita est. Si daretur animorum transmigratio, corpora quoque brutorum fierent habitaculum spiritualis animæ. Igitur etiam belluæ essent procreatæ ad imaginem & similitudinem Dei. *Anima humana facta est ad imaginem & similitudinem Dei. Non dabit imaginem suam cani, & porco.* Inquit S. Pater in Psalmum 146. v. 9. Alterum sit: Jumenta, quæ hominum usui deserviunt, absque ullo crudelitatis scelere vapulant, freno reguntur, neque ulla est inter illa hominesque consuetudo. Nemo quippe non miratur extremam quorumdam Indorum stultitiam, qui bestias ingenti pretio redimunt, excipiunt hospitio, & ab earum carne abstinent, stercore etiam religiose servato, maxime boum atque elephantum. At si daretur animorum transmigratio, jumentis esset peculiaris honor habendus, & Indorum superstitionem docti quique probarent; quum in belluina corpora essent detrusæ animæ parentum & amicorum. Non ergo, nisi prorsus desipiat, hanc animorum revolutionem quipiam audebit asserere: *Quid ergo faciet de tanto scelere* (ait S. Pater contra Adimantum discipulum Manichæi cap. 12.) *si quando tardum jumentum plagis, aut concitatum freno fatigavit, in quo forte patris ejus anima fuerit? Ut non dicam quod etiam accidere parentes suos inter pediculos, & pulices potuerit, à quorum isti interfectione non temperant.* Tertio: Cum olim Manichæi, tum memorati Brachmanni fatentur animas hominum in corpora quidem jumentorum, pecudum, boumque revolvi, at non in minutissima cimicum, pulicum, aliaque hujusmodi: At si hominum spiritus migraret in bestias, etiam in tenuissimas revolveretur: Ergo non transmigrat. *Cur in vulpeculam* (inquit eodem loco Augustinus) *revolvi anima humana possit, & non possit in mustelam, cum catulus vulpeculæ fortasse etiam minor sit, quum magna mustela? Deinde si in mustelam potest, cur in murem non potest? Et si in istum potest, cur in stellionem non potest, deinde in apem, deinde in muscam, deinde in cimicem, atque inde usque in pulicem, & si quid est aliud multo minutius, pervenire?*

6. Propositio.

PROPOSITIO II. Non datur circulus animorum, seu revolutio Platonica, qua anima Deum secuta sine ulla pœna ad alterum circum pervadat, confectoque omnium siderum cursu ad primam conditionem evolutis perpetuo sæculis revertatur.

Probatio contra revolutionem Platonicam.

Ad præcedentia argumenta, accedit ratiocinatio Augustini in x. de Civit. Dei cap. 30. & XII. cap. 20. Ea sic proponitur: Anima purgata, Deum secuta, & beatitudinem adepta juxta Platonicorum placita revolutis sæculis ad secundam vitam redit, optione unicuique proposita, ut corpus eligat, quod velit, E. G. Anima Orphei corpus cygni, Ajacis leonis, Thamyræ philomelæ, Agamemnonis aquilæ; ut in Phædro ait Plato. Hoc autem est omnino incredibile. Ergo commentitius est circumitus & circus animorum. Minor probatur; quoniam stultum est credere ex illa vita, quæ beata esse non potest, nisi certa sit anima de sua futura æternitate, *desiderari corporum corruptibilium labem, & inde ad ista remeare, tanquam hoc agat summa purgatio, ut inquinatio requiratur.* Confirmatur; nam animæ juxta Platonis doctrinam nunquam beatitudinem consequuntur, quam instinctu appetunt naturali, cum post temporum volumina sciant se iterum ad miseriam, terrenamque calamitatem redituras: aut si id ignorant, non sint veram felicitatem consecutæ. Recte ergo Tullius in VI. de Republica dicit ex sententia Platonis vitam ubique jugi malorum fonte circumseptam esse; & præceptoris doctrina jure displicuit Porphyrio: quem puduit illud credere, *ne mater fortasse filium in mulam revoluta vectaret.* Legendus in locis, quæ innuimus S. Pater, & Alipius Reylof Gandavensis lib. VI. de Anima cap. 3.

7. Objectio.

Oppones: Transmigratio animorum non videtur repugnare Scripturis. Nam in Joannem Baptistam revolutum spiritum Eliæ, constat ex apertissimo Christi testimonio Matth. XI. 14. *Ipse est Elias.* Transmigrant ergo animi de corpore hominis unius in corpus alterius. Revolvi etiam ad bestias & volucres colligitur

ligitur ex Psalmo 146. 9. ubi legimus Deum præbere escam *pullis corvorum invocantibus eum.* At non invocarent corvi Dominum, nisi anima spirituali præditi essent. Venit itaque interdum spiritus hominis ad corpora ferarum & volatilium.

8. Solutio. Resp. ad 1. Si animus Eliæ vere in Joannem migraverat, eccur interrogantibus Levitis Jo. 1. v. 21. num esset Elias, respondit, *non sum*, Itaque, ut Augustinus scribit Tractatu in Joannem quarto, *si figuram Præcursoris advertas, Joannes ipse est Elias: quod enim ille ad primum adventum, hoc iste ad secundum erit. Si proprietatem personæ interroges, Joannes Joannes, Elias Elias. Dominus ergo ad præfigurationem recte, ipse est Elias; Joannes autem recte ad proprietatem, non sum Elias.* Idem scribit Tertullianus de Anima cap. 17. Hieronymus Epistola ad Algasiam 151. q. 1. & Gregorius hom. VII. in Evangelia. Pulli autem corvorum dicuntur Deum *invocare* metaphorice, quatenus clamitant crocitando: unde vertit Hieronymus *Filiis corvi clamantibus.* Atque Psalmista nobis providentissimam Dei curam hoc exemplo commendat. Pulli enim corvorum antequam plumescant, non pascuntur à parentibus, ut mos est volucrum cæterorum, & postea enutriti pelluntur è nido, & tamen quærunt à Deo escam sibi. Videatur Isidorus in XII. Etymolog. cap. 7. & Elianus lib. 2. Hist. Anim. cap. 49. Corvorum pullos magnus Augustinus interpretatur Gentiles, *Qui simulacra colere videbantur parentum suorum, & conversi sunt ad Deum.*

CAPUT VII.

Reditur ad primum Hominem, & inquiritur, quomodo conditus fuerit ad Imaginem Dei, & cum originali justitia.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. & 3. Probatur, hominem factum esse ad imaginem Dei secundum animam.
4. & 5. Ostenditur, similitudinem Dei præter substantiæ intelligentis naturam, etiam dona virtutum, & D. gratiarum involvere.
à 6. usque ad 9 Propugnatur, Adamum cum gratia gratum faciente productum fuisse, licet id non sit definitum ab Ecclesia.
à num. 10. usque ad 15. Diluuntur contraria.

1. Quomodo primus homo conditus ad imaginem Dei, & cum justitia originali. PRIMUM hominem creatum esse ad imaginem & similitudinem Dei aperte Divina Scriptura testatur. Ad rationem imaginis requiritur, ut rem, cujus imago est, peculiariter repræsentet. Epiphanius ait Hæresi 70. incertum esse, an hæc imago in anima vel corpore sita sit: sed erraſse scribunt cum Gregorio de Valentia disp. VIII. quæst. 3. p. 1. Theologi alii. Quoniam vero Magister sententiarum in 11. dist. XVI. demonstrat auctoritate Augustini similitudinem non solum consistere in essentia, quæ immortalis & incorruptibilis est, verum etiam in amore virtutis, atque innocentia & justitia; etiam de originali integritate est disquirendum.

2. Propositio I. PROPOSITIO. I. Homo factus est ad imaginem Dei secundum Animam: & hæc imago in facultate intelligendi & volendi, atque in arbitrii libertate consistit.

Probatio. Etenim Genes. 1. 26. hominem creatum legimus ad imaginem Dei, ut præesset *piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis, universæque terræ.* Atqui homo cæteris animantibus præest non proceritate aut robore corporis, sed facultatibus animi. Ergo non in corpore, sed in animo Imago Dei sita est. Deinde conveniunt in hoc Ecclesiæ Patres, & Theologi; quorum princeps Augustinus lib. 24. contra Faustum cap. 2. inquit: *Eum ad imaginem suam non fecit, nisi secundum id quod interius est, non solum incorporeum, verum etiam rationale, quod pecoribus non inest.* Insuper lib. VII. ex libris Augustini de Trinitate, Patris, Filii, & Spiritus Sancti imaginem in mente ejusque notitia & amore peculiariter expressam ostendimus. Præterea, ut idem Augustinus docet in lib. 83. Qq. q. 51. inter creaturas omnes, *Quæ sapiunt Deo similitudine proximæ sunt.* Et ratio est, quoniam creatura intellectualis, & sapientiæ capax & est, & vivit, & cognoscit, cum creaturæ aliæ aut non cognoscant, ut bruta, aut non vivant, ut lapides: ideoque substantia intelligens est id, quo nihil melius in creatura invenitur. Oportet ergo, ut imago Dei existat in Anima, qer quam homo divinitatis

vinitatis substantiam, id est, plenitudinem essendi peculiari modo repræsentat.

3. Sequela 1. Ex quibus sequitur primo etiam Angelum, cum sit spiritualis substantiæ, & præditus vi intelligendi, ad imaginem Dei fuisse creatum, & quidem peculiari quadam ratione, cum majori intelligentiæ polleat acumine. Sequitur 2. ulterius etiam mulierem in se imaginem Divinam referre, ut colligitur ex primo Geneseos 27. *Ad imaginem Dei creavit illum, masculum & fœminam creavit eos.* Quamquam mulier rectissime appellatur ab Apostolo in priori ad Corinthios XI. 7. *gloria viri*, quatenus ex viro producta Sequitur 3. est, eique subjicitur. Consequitur tertio hominem peccando imaginem Dei penitus non amittere, quoniam in eo non extinguitur lumen rationis, neque omnino perit liberi arbitrii facultas: tametsi dum actu peccat, erratque extra rationis semitas, comparandus sit jumentis insipientibus, & fiat similis vanitati. Sequitur 4. præterea hominem & Dei imaginem appellari, & ad imaginem Dei procreatum, ut distinguatur à Verbo, quod est Divinæ substantiæ perfectissima imago, & sapientia Patris, non creata, sed nata; nec diceretur recte ad imaginem Patris, quæ verba demonstrant imparem quamdam similitudinem. Legendus Augustinus XV. de Trinit. cap. 2. & 3. & Magister sent. in II. dist. XVI. §. ultimo. Postremo sequitur Divinam imaginem etiam in corpore quodammodo relucere, ut idem Aug. docet in VI. de Gen. ad lit. cap. 12. & in I. de Genesi contra Manichæos cap. 17. *Omnium enim animalium corpora, sive quæ in aquis, sive quæ in terra vivunt, sive quæ in aere volitant, inclinata sunt ad terram, & non sunt erecta, sicut hominis corpus. Quo significatur etiam animum nostrum in superna, id est in æterna spiritualia erectum esse debere. Ita intelligitur per animum maxime, attestante etiam erecta corporis forma, homo factus ad imaginem, & similitudinem Dei.* Atque poterunt hoc pacto conciliari Patres, qui etiam in corpore humano Divinam imaginem agnoverunt; ut in Dracontii Hexamerone:

Sed dominatorum dominator summus & auctor
Limavit per membra virum de pulvere factum:
Limus adhuc deformis erat; membratur in artus
Corporea species hominis cœlestis Imago.

4. Propositio 2. Proposition II. Similitudo Dei præter substantiæ intelligentis naturam, etiam dona virtutum, divinarumque gratiarum munera videtur complecti.

Probatur ex Scriptura. Id innuunt primum sacræ literæ. Nam Apost. ad Ephes. IV. 24. & ad Coloss. III. 10. hortatur nos ad charitatem, & exercitia virtutum, ut spiritu renovemur *secundum imaginem Dei*, ad quam creatus est primus Adam. Igitur præter rationalem naturam quæ Dei imago est naturalis, impertitus est universorum Creator homini gratiarum dona, in quibus splendescit imago quædam supernaturalis, cujus causa nuncupamur Dei filii, eique speciali titulo similes. Ait etiam Joannes Epist. I. cap. III. 2. quod in Patria *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Divina ergo similitudo non qualemcunque cognitionem, sed supernaturalem, & sanctæ dilectioni conjunctam commonstrare videtur. Nec tamen hic sequitur primum hominem ab initio vidisse Deum facie ad faciem, ut quidam commenti sunt; non enim habuit plenitudinem beatitudinis, & charitatem adeo fervidam, ut non posset ad commutabilia bona converti, quomodo ipse probavit eventus. Similitudo ergo Patriæ in hoc est perfectior, quod justi per liberum arbitrium excidere à charitate non possunt, orta ex manifesta visione Dei sanctæ dilectionis necessitate, quæ cum flexibili hominum viatorum arbitrio nequit connecti.

5. Probatur ex Patribus. Etiam Patres similitudinem Dei in amore virtutis constituerunt. Irenæus lib 5. adversus hæres. cap. 6. docet *imaginem haberi in plasmate, similitudinem vero assumi per spiritum:* hac autem improbos & carnalibus cupiditatibus deditos propria culpa carere. S. Hieronymus in Comment. ad cap. 28. Ezech. ait Dei similitudinem compleri *in baptismate.* S. P. Augustinus adversus Adimantum discipulum Manichæi cap. 5. eamdem similitudinem apparere scribit *in dilectione inimicorum:* quod conforme est testimonio Evangelico Mat. v. vers. 45. Plura Patrum testimonia affert Bellarm. de Gratia primi hominis cap. 2. quibus *cogimur* (inquit) *admittere non esse omnino idem Imaginem & similitudinem, sed imaginem ad naturam, similitudinem ad virtutes pertinere.* Quod & Magister docet memorata distinct. XVI. §. 4. & D. Thomas q. 93. art. 9. Suffragatur & ratio; nam similitudo addit ad rationem imaginis rectitudinem ac perfectionem, quæ proculdubio in creatura rationali est virtus & ordo dilectionis. Ex quibus infertur hominem peccando similitudinem Dei, non imaginem per-

perdidisse: unde Augustinus, qui in VI. de Gen. ad lit. cap. 27. & 28. scripserat *Adam imaginem Dei perdidisse peccato*, in II. Retract. cap. 24. ita accipiendum esse animadvertit, *non tanquam in eo nulla remanserit, sed quod tam deformis, ut reformatione opus haberet.* Quam reformationem Apostolus in justitia & sanctitate consistere non uno in loco declarat.

6. Propositio 3. PROPOSITIO III. Adam cum gratia gratum faciente productus est: non tamen id ab Ecclesia definitum videtur.

Probatur pars 1. Demonstrata est à nobis hæc thesis libro hujus x. cap. VII. Prop. secunda. Nunc de homine breviter confirmatur; cum producta ibidem argumenta sint homini Angelisque communia. Primo Apostolus ad Ephes. 4. 23. ait: *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.* Qui renovatur ad priorem conditionem regreditur. Prior ergo conditio hominis fuit in justitia & sanctitate. Insuper Concilium Tridentinum sess. v. can. 1. definit: *Primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse.* Præterea hæc est sententia Augustini, aliorumque Patrum rationi etiam consentanea, ut demonstratum est loco nuper citato de Angelis.

7. Probatur pars 2. Secunda pars probatur. Jansenius de Grat. I. hominis cap. 1. contendit spectare ad fidem ob allatam Tridentini definitionem. Sed hæc conjectura est valde infirma. Nam Estius in 2. dist. 25. respondet: *Aliud est creatum esse in sanctitate & justitia, aliud in ea constitutum. Constitui enim in ea potuit post creationem. Nam & in Paradiso constitutus, id est, positus fuit primus homo Gen. 2. non tamen in eo creatus. Unde satis liquet Patres Concilii Tridentini dum ita circumspecte locuti sunt, ut constitutum dicerent, non creatum aut conditum, studio voluisse abstinere à definienda quæstione inter Catholicos disputata, an homo fuerit creatus in gratia.* Addit Juenin Tom. 3. Inst. dissert. 3. q. 1. Sacræ Synodi jussu deletam fuisse vocem *Conditum*, quam illius Canonis editores primum inseruerant. Contendunt alii Concilium per *justitiam & sanctitatem veritatis*, non habitualem gratiam intellexisse, sed rectitudinem originalem, quam sitam putant in recto ordine ac dominio rationis, nullo reluctante motu concupiscentiæ, necnon in libero arbitrio actuali gratia suffulto; quam utique rectitudinem merito primi peccati perdidimus; nam etiamsi nobis gratia uberior per Christum subministretur, remanet tamen concupiscentia ad agonem, quæ ex peccato est, & ad peccatum inclinat, ut eadem Tridentina Synodus docet proximo Canone quinto. Denique Cardinalis Pallavicinus lib. VII. Hist. Con. Trid. cap. x. testatur, *Patrum consilium fuisse se prorsus abstinere à supervacaneis articulis, ab illis nimirum qui Catholicas inter scholas in dubitatione versantur . . . . nec enim Synodus collecta fuerat ad decidendas opiniones, sed ad errores recidendos.* Quanti autem Scholastici scripserint primum hominem absque gratia habituali fuisse conditum, neminem puto ignorare.

8. Confirmatio. Neque probatur hujus de Adamo condito in gratia sanctificante assertionis definitio Canone 19. Concilii 2. Arausicani, quem urget Bellarminus capite de Gratia primi hominis tertio, & Cl. Auctor Operis, quod inscribitur Mens Augustini lib. 1. cap 4. Sunt autem Concilii verba ex Augustini Epistola sexta ac centesima: *Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo se ipsam Creatore suo non adjuvante servaret. Unde cum sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine gratia poterit reparare quod perdidit?* Quibus in verbis demonstratur tantum adversus Pelagianos necessitas gratiæ actualis ad consequendam salutem, & reparandas vires ad servanda *ut oportet* Divina præcepta ob Adæ culpam deperditas, argumentatione quam appellitant Scholæ à fortiori. Neque irrefragabile monumentum subministrant verba Augustini lib. 1. de lib. arb. cap. 11. dicentis firmissima fide tenendum esse, *Hominem tam perfecte conditum à Deo, & in beata vita constitutum, ut ad ærumnas mortalis vitæ ipse inde propria voluntate delapsus sit*: Aut quod in synopsi fidei Monachi Scithæ, vel quod Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 25. absque dubitatione credendum esse profitentur, *Primos homines, id est, Adam & mulierem ejus, bonos & rectos, & sine peccato creatos esse.* Respondere etenim poterunt antiquorum scholasticorum defensores ad perfectionem & rectitudinem originalem hoc tantum requiri, ut humana natura esset instituta absque ullo vitio & peccato, atque cum bona voluntate, & gratiæ sufficientis adjutorio, ut posset sibi habitualem charitatem comparare, & ad plenitudinem beatitudinis pervenire. Quamobrem nulla censura veteres Scholasticos perstrin-

ſtringendos arbitramur : etſi rectitudinis ac ſanctitatis nomine planiori ſenſu fatemur ſignificari juſtificationem & gratiam, in qua permanentes jure quodam hæreditario conſequimur beatitudinem. Hancvero aſſertionem noſtram comemorato lib. I. cap. VII. ſatis præmunivimus.

9. Quænam ſpecialia dona juſtitia originalis importaverit.

Profecto juſtitia Originalis præter gratiam habitualem alia dona complura importabat : idque ex eo conſtat, quod nemo filiorum Adæ in peccato conceptus dum baptiſmate abluitur, & gratia ac ſanctitate exornatur, in hac vita aſſequitur primigeniæ inſtitutionis uberrimam pleniſſimamque felicitatem. Aſſequeretur autem, ſi rectitudo originalis nihil fuiſſet præter gratiam gratum facientem. Itaque primus homo ita conſtitutus eſt bonus & rectus, ut in anima ſuperni luminis illuſtrationem, & beatitudinem participaret; imperfecte tamen, & quomodo explanavi libro X. cap. VIII. In qua beatitudine nulla rixa à ſe ipſo adverſus ſe ipſum turbatus atque tentatus ſua ſecum pace fruebatur. Quamvis vero eſſet futuri caſus ignarus, propterea quod plenitudo ſcientiæ & major abundantia charitatis futura erat merces arbitrii, ſi in accepta juſtitia ſtetiſſet; nulla tamen animi angebatur ſolicitudine, cum non miſerum fieri, & à tanta bonorum affluentia non cadere in ſua poteſtate eſſe ſentiret. In corpore pariter tranquillitate, ſecuritate, & immortalitate fruebatur; nullo enim concupiſcentiæ motu rationi contrario, nullaque rixa carnis integer animus gravabatur : atque licet mortalis factus conditione corporis animalis, erat immortalis beneficio Conditoris. Præerat etiam omnibus animantibus terræ, piſcibus maris, & volatilibus cœli, ampliori etiam dominatu, quam modo exerceat non ſolum pecora & jumenta ſuis uſibus ſubdita regendo, ſed feris etiam imperando potentia non corporis, ſed rationis. Atque hæc omnia manifeſta reddentur capite libri hujus penultimo, ubi oſtendam ignorantiam, concupiſcentiam, & mortem non eſſe conditionem humanæ naturæ, ſed pœnam peccati. Diluenda nunc erunt eorum objecta, quibus arridet veterum quorumdam Scholaſticorum opinio de homine in juſtitia quidem originali, ſed non in gratia ſanctificante creato.

10. Objectio 1.

Ob. 1. Apoſtolus in I. ad Corinth. cap. XV. 46. ait : *Factus eſt primus homo in animam viventem, noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem.* Adam ergo ſine gratia, Chriſtus in ſanctitate & juſtitia creatus eſt. Confirmatur ex eo, quod S. P. Auguſtinus in II. de Geneſi contra Manich. cap. 8. hoc Apoſtolico teſtimonio utitur ad probandum tunc ſpiritualem Adam fuiſſe effectum, *cum in Paradiſo, hoc eſt in beata vita conſtitutus præceptum etiam perfectionis accepit, ut verbo Dei conſummaretur.* Quod manifeſtius affirmat in libro Quæſt. novi ac veteris teſtamenti q. 123. ubi eos refellit, qui putant primum hominem Spiritum Sanctum in ſua conditione accepiſſe.

11. Solutio 1.

Reſp. Apoſtolum diſertis verbis loqui de reſurrectione mortuorum; in qua corpus, quod ſeminatur in corruptione, ſurget in gloria, & quod ſeminatur animale, ſurget ſpirituale : nos vero qui portamus imaginem hominis terreni portaturos imaginem cœleſtis, dum reſurgent mortui incorrupti, & corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem. Eſt enim Apoſtolus eodem loco verborum ſuorum interpres. *In eo ergo quod ſcriptum eſt, Factus eſt primus homo in animam viventem, voluit Apoſtolus intelligi corpus hominis animale. Spirituale autem quodammodo intelligendum eſſe oſtendit, addendo, noviſſimus autem Adam in ſpiritum vivificantem; proculdubio Chriſtum ſignificans, qui jam ex mortuis ita reſurrexit, ut mori omnino deinceps non poſſit.* Ita Auguſtinus XIII. de Civit. Dei cap. 23. Itaque diſtinguendum eſt antec. Factus eſt per Apoſtolum primus homo in animam viventem, id eſt, in corpus animale, vita præditum, ſed natura mortale, quamvis non moriturum niſi peccaſſet, concedo : Factus eſt in animam viventem, videlicet, abſque Divinæ gratiæ muneribus, & rectus perfectione naturæ, non ſanctificationis ornatu, nego.

12. Solutio 2.

Ad verba Auguſtini deprompta ex libro 2. de Geneſi contra Manichæos ſolent noſtri reſpondere cum eximio Auctore librorum, quorum titulus eſt *Mens Auguſtini*, S. Patrem tradidiſſe ſimultaneam rerum creationem nullis temporum intervallis diſtentam, ideoque ordinem narrationis deſignaſſe, non autem rerum geſtarum, ſive diſcrimen poſuiſſe inter id quod facit hominem animalem, & quod illum ſpiritalem reddit, non inter tempus creationis, & juſtificationis. Non eſt tamen vera hæc reſponſio. Ea quippe creatio, qua homo in propria ſpecie productus eſt, & poſitus in Paradiſo, per Auguſtinum temporis intervallis fuit peracta, & ad ſimultaneam ſex dierum operationem pertinet ſola creatio hominis ſecundum cauſa-

causalem rationem. *Verumtamen* (inquit S. Pater lib. VI. de Gen. ad lit. cap. 15. n. 26.) *sic factus est homo, quemadmodum illæ primæ causæ habebant ut fieret primus homo . . . . secundum causalem rationem, in qua primitus factus est. Nam si aliter factus est, non illum Deus ita illorum sex dierum operibus fecerat: in quibus cum dicitur factus, ipsam causam utique fecerat Deus, qua erat suo tempore homo futurus.* Et cap. 3. num. 5. scripserat: *Huc accedit, quod etiam ipsa verba, quibus narratur quomodo Deus paradisum plantaverat, in eoque hominem quem fecerat collocarit, &c. satis nos admonent hæc non ad illam operationem pertinere, unde requievit in die septimo, sed ad istam potius, qua per temporum versus etiam nunc operatur.* In ea ergo hominis productione commemorata secundo capite Geneseos, & qua homo formatus est de limo terræ & positus in Paradiso, non solum reperitur rerum gestarum distinctio, sed etiam morarum temporalium: adeoque si Adam spiritalis effectus est cum primo præceptum accepit in Paradiso, fuit aliquando animalis, & nondum sanctificatione exornatus. Respondetur ergo Augustinum quod scripserat lib. 2. de Genes. contra Manich. retractasse lib. 1. Retract. cap. x. his verbis: *Nec illud Apostoli, ubi adhibet testimonium de Genesi, dicens: Factus est primus homo Adam in animam viventem, sicut ille voluit, intellexi. Apostolus enim ad hoc adhibuit illud testimonium, ut probaret esse corpus animale: ego autem hinc putavi hoc esse monstrandum animalem factum prius hominem, non corpus hominis solum.* Hinc est, quod in VI. de Gen. ad lit. cap. 21. 22. 23. opinionem de homine creato prius animali, postea spiritali luculenter impugnat, eodemque modo Apostolica verba exponit, quem nos paullo supra tradidimus.

13. Solutio 3. Librum Quæst. novi ac veteris Testamenti non esse Augustini tenent viri omnes eruditi, Bellarminus, Macedo, Alexander, PP. S. Mauri, Caveus etiam, & Oudinus. Enimvero q. 2. scribitur mundum à Deo fuisse creatum ob Diaboli præsumptionem q. 21. fœminam non esse ad imaginem Dei, q. 109. Melchisedech esse Spiritum Sanctum, aliaque plura digna notis, severisque castigationibus. Respondet tamen S. Thomas q. 95. art. 1. legi in eodem libro fuisse aliquo modo in Adam Spiritum Sanctum sicut in aliis justis; non tamen quomodo nunc est in fidelibus, qui statim post mortem æternæ vitæ percipiunt hæreditatem.

14. Objectio 2. Opponit celebris Commentator Ægidii Fridericus Gavardi Tom. 3. quæst. VIII. art. 2. Si Adam in gratia sanctificante creatus fuisset, quantum ad spem attinet futuri boni fuisset magis beatus, quam justus in statu naturæ lapsæ. Hoc autem falsum est. Non ergo fuit Adam conditus in gratia. Ad hæc: adversatur superior assertio Augustinianæ doctrinæ. Primo quoniam S. Pater de corrept. & grat. cap. x. scribit: *Erat adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, ut magna per Spiritum Sanctum data abundantia charitatis cadere ulterius omnino non possent.* Sed gratia habitualis est inhabitatio Spiritus Sancti. Ergo gratiam habitualem Angeli & primus homo accepturi erant, si per liberum arbitrium in veritate stetissent. Deinde cap. XI. ait S. Pater: *Prima gratia est, qua fit, ut habeat homo justitiam si velit.* Poterat ergo Adam habere justitiam, sed non habuit. Ulterius docet eodem loco Augustinus Deum primo homini fuisse largitum *Adjutorium sine quo non.* Hoc adjutorium non est gratia sanctificans, sed actualis sufficiens. Solam ergo sufficientem gratiam in prima conditione habuit Adam. Insuper lib. XII. de Civit. Dei cap. 9. docet, *non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de Sanctis Angelis dici posse: quod charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum.* Itaque charitas habitualis non omnibus Angelis principio collata fuit. Denique homo in eo peccavit, quod appetiit Dei naturam ac sapientiam: non ergo Divinæ naturæ particeps erat per gratiam.

15. Solutio. Resp. ad primum, Adam in statu innocentiæ majorem beatitudinis spem habuisse, quatenus ignarus erat futuræ miseriæ, & non mori & non miserum fieri erat in sua potestate, atque si per liberum arbitrium in accepta justitia perseverasset, plenitudinem beatitudinis consecutus fuisset sine ullo mortis & infelicitatis exprimento. Quatenus vero justis confertur gratia per JEsum Christum, qua non solum donatur perseverantiæ potestas, sed etiam felicitas perseverantiæ, est in homine lapso vividior spes, dum interim non lætiore, sed potentiore gratia fulcitur. Augustinus hæc expressis verbis docet de Corrept. & Grat. cap. x. & XI. Neque ait Angelos per liberum arbitrium promeruisse Spiritum Sanctum, sed majorem abundan-

dantiam charitatis, scilicet charitatem consummatam, sive plenitudinem beatitudinis, ut cadere non possent ulterius, & hoc certissime scirent. Quare non gratia, sed gloria fuit Angelis, & futura erat homini, dummodo in veritate stetisset, merces arbitrii. Dum ait Magnus Doctor primam gratiam fuisse ut homo haberet justitiam si vellet, demonstrat discrimen inter gratiam actualem Conditoris, & Redemptoris, quarum una dat posse, altera dat etiam velle, & carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincit. Quod paullo post explicans inquit: *Tunc ergo dederat homini bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat qui fecerat rectum. Dederat & adjutorium, sine quo in ea non posset permanere si vellet.* Idem est ergo posse habere justitiam, ac posse per adjutorium actualis gratiæ acceptam rectitudinem perseveranter tenere. Atque his excutitur altera Gavardi argutatio: non enim Augustinus ait collatum Adæ solum adjutorium sufficiens, sed ulterius bonam voluntatem, & statum rectum ac sine vitio, in quo si permanere voluisset, recepisset debitam cum Angelis sanctis mercedem, plenissimam scilicet beatitudinem. Status autem ille rectus & sine vitio, in quo permanendo pervenitur ad gloriam, est conditio sanctificationis & gratiæ: quam ad Sanctos Angelos pertinere cum debita laude Creatoris confitemur, ut cap. IX. libri de Civit. Dei XII. declarat Augustinus; nam sine bona voluntate, hoc est Dei amore, nunquam illos fuisse credendum est. A qua bona voluntate cum mali sponte defecerint, non habent charitatem, per quam Deo adhæreant: habuerunt tamen, quia simul ac facti sunt, ei à quo facti sunt amore cum quo facti sunt adhæserunt. Atque hæc omnia sunt ex iisdem locis, quæ ex Augustino opponuntur, deprompta. In solutione vero ultimi argumenti lectorem non moror; nam gratia sanctificans & participatio Divinæ naturæ non efficit quin possit homini irrepere amor propriæ potestatis, & superba præsumptio, nisi summum bonum, cui amore adhærendum est, perspicua cognitione videatur in gloria.

CAPUT VIII.

Primo homini etiam gratiam actualem fuisse collatam, sed ei necessariam non fuisse ad perseverandum ab intrinseco efficacem & prædeterminantem.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. 3. & 4. Probatur, Adamo præter gratiam Sanctificantem etiam actualem à Deo fuisse collatam.
5. & 6. Solvitur objectio.
à num 7. Usque ad 10. Propugnatur, Adamum ad perseverandum non indiguisse adjutorio gratiæ prædeterminantis.
à num. 11. Usque 25. Enervantur contraria fundamenta.

1. De gratia actuali.

GREGORIUS Ariminensis in 2. Sent. dist. XXIX. q. 1. concl. 3. in eo potestatem supernaturaliter operandi, quam habuit Adam, à præsenti statu corruptæ per peccatum naturæ distinguit, quod innocens homo adjutorio habitualis gratiæ per liberum arbitrium, ejusque nativam ac naturalem potentiam poterat perseverare ac mereri, absque speciali actualis gratiæ adjumento; quod infirmis & perduelli cupiditate lacessitis hominibus est maxime necessarium. Hanc authentici Doctoris sententiam ita nostrates solent interpretari, ut quamcunque actualis gratiæ largitatem à prima innocentis creaturæ conditione Gregorius excluserit: cum tamen possit intelligi de gratia, sive auxilo efficaciter excitante, ac faciente ut homo reipsa uteretur habitu justitiæ & generalis *influentiæ* & præmotionis: quo speciali auxilio Adam non eguisse etiam Bellarminus defendit in libro de gratia primi hominis cap. 4. citato cum aliis insignioribus scholasticis ipso Gregorio. Nos, quoniam non sumus de verborum sensu nimis soliciti, ad res animum convertentes illud inquirimus, num Adam præter gratiam sanctificantem, etiam actuali donatus fuerit; & an ad actu perseverandum indiguerit adjutorio prædeterminante, pro quo inter Scholasticos plures doctique viri decertant. Quæ duo alibi à nobis discussa qui-

quidem sunt: sed cum libro IV. polliciti simus facturos hoc loco quasi post messem spicilegium, hæc subjicimus.

2. Propositio I. PROPOSITIO I. Adamo præter gratiam sanctificantem etiam actualem Deus impertitus est.

Probatur ex S. Aug. Adamo collata gratia actualis. Facili negocio demonstratur ex Augustino, qui in Ench. cap. 106. de primo homine scribit: *Etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, non tamen justitiæ retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni Divinum adjutorium præberetur.* Et in Ep. 106. ad Paulin. *Natura humana* (inquit) *si in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo se ipsum Creatore suo non adjuvante servaret.* Ergo præter justitiam & integritatem originalem Deus primo homini etiam adjutorium largitus est, ut posset in bona voluntate & sanctitate perseverare. Quod & confirmat S. Pater de Corrept. & Grat. cap. XI. his verbis: *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem: in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat & adjutorium, sine quo in ea non posset permanere si vellet.* Ubi aperte bona voluntas & originalis rectitudo ab auxilio *sine quo non*, sive possibilitatis, aut sufficientis gratiæ distinguitur. Adde Augustiniana testimonia à nobis producta lib. X. cap. VII. propos. I.

3. Probatur 2. ratione. Probatur etiam ratione. Primo quoniam oculus quantumvis sanus indiget candore lucis, ut possit videre; ergo anima licet recta & sancta eget superna gratiæ actualis illustratione, ut possit virtutum supernaturalium officia exercere. Quod argumentum est Augustini in lib. de Nat. & Grat. cap. 20. ubi ait: *Sicut enim oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere; sic homo etiam perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.* Præterea habitus, ut suos exerant actus, sunt excitandi, & movendi. Indigebat ergo primus homo gratiæ præmotione & excitatione aliqua, ut charitatis habitus in actum sanctæ dilectionis exiret. Nec sat erat illius habitus conservatio, & simultaneus causæ primæ concursus: quoniam iste, ut Theologi docent, non causam movet ad operandum, sed comitatur & adjuvat operantem.

4. An gratia actualis constitat in sola illustratione mentis. Hanc gratiam actualem necessariam Adamo innocenti docti quidam viri in sola illustratione mentis constituunt, ita ut gratia Christi præter certam scientiam & illuminationem mentis moveat etiam voluntatem per sanctæ dilectionis inspirationem. Luculenter Augustinum adversus Pelagianos pugnasse pro necessitate hujus gratiæ, quæ sita est in illuminatione intellectus, & voluntatis impulsu, demonstrant Dionysius Petavius in lib. de Hæresi Pelagiana cap. 8. & 9. Stephanus Decamps lib. III. de hær. Jansen. cap. 15. Vossius etiam lib. III. p. 2. art. 6. Quibus subscribit Tournely de Grat. Christi q. 2. art. 1. p. 25. Hi omnes videntur gratiam innocentis naturæ in sola mentis illustratione statuere. Illud autem certissimum est, S. Patrem adversus Pelagianos ita gratiam Christi prædicare, ut ei tribuenda sit bona voluntas, sancta delectatio, & talis inspiratio dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus. Controvertitur inter Catholicos, an gratia Christi hanc dilectionem inspiret præmotione quadam indifferenti, an congrua, an ab intrinseco efficaci & victrici. Hanc nos propugnamus, & defendimus, ita tamen, ut in hoc statu etiam gratiam sufficientem, quæ dat pugnandi vincendique virtutem, sed à duris corde respuitur, contra recentiores hæreticos asseramus. Itaque Theologi, qui gratiam victricem & efficaciter præmoventem nolunt admittere, aut admittunt duntaxat specietenus, non possunt invenire discrimen inter gratiam Conditoris & Redemptoris, neque hanc uberiorem demonstrare, nisi affirment illam mentem collustrasse, hanc vero etiam corda inflammare suavi, blandaque delectatione. Nos ergo in hoc latissimam discrepantiam invenimus; quod in hoc statu gratia præmovet ad hoc vel illud bonum particulare, inspiratque determinatam delectationem, V. G. sanctam voluntatem amandi Deum, diligendi inimicum, orandi, pœnitendi, &c. Atque hæc delectatio nunc effectum consequitur & super carnalem concupiscentiam exercet gloriosa certamina, & est gratia efficax: nunc ipsa à prava cupiditate vincitur & oppugnatur, & est adjutorium sufficiens. Legatur libri quarti caput XI. Auxilium ergo actualis gratiæ collatum Adæ erat illuminatio mentis & quædam inclinatio voluntatis ad bonum in communi, qua poterat liberum arbitrium hoc vel illud bonum specialiter eligere, & in bona voluntate permanere, si vellet: illuminatio autem & inclinatio ad bonum supernaturale, ut donum gratiæ distinguatur à proprietate naturæ.

5. Objectio. Opp. S. P. Augustinus in lib. de Natura & Gratia cap. 51. ait: *Si enim iste, qui hunc librum scripsit* (Pelagius) *de illa hominis natura loqueretur, quæ primo inculpata & salva condita est, utcunque acceptaretur hoc dictum.* At Pelagius dixerat possibilitatem non peccandi esse in arbitrii potestate, nec aliam gratiam requiri præter legem & doctrinam, atque revelationem Spiritus Sancti. Ergo homini innocenti hæc sola revelatio, non adjutorium actualis gratiæ fuit necessarium. Utitur hoc argumento Cl. Tournely pag. 26.

6. Solutio. Resp. non illum esse verborum Augustini sensum, ut significet Pelagianam doctrinam locum habere in statu innocentiæ; maxime quod Tournely eodem loco, & Petavius citato cap. VIII. docent Pelagium tandem agnovisse non solum gratiam doctrinæ & legis extrinsecus sonantis, sed internam quoque revelationem, licet non absolute & simpliciter necessariam. De qua re opinionem nostram in libro de Hæresi Pelagiana explicabimus. Quamobrem si in statu innocentiæ requirebatur adjutorium supernæ intrinsecæ illustrationis, quod Pelagius non agnovit nisi ad facilius operandum; quomodo dicta à Pelagio de integra hominis natura acceptarentur? Dogma ergo Pelagianum de non peccandi possibilitate loquendo de prima hominis conditione *utcunque* est tolerabile; quoniam infirmitas & concupiscentia, ad quam superandam necessaria est gratia victricis delectationis, unde fit suave quod antea non delectabat, non erant in priori hominis institutione; ideoque erat in libero arbitrio possibilitas non peccandi magis, quam nunc sit, expedita, & validior.

7. Propositio 2. PROPOSITIO II. Adam ad perseverandum non opus habebat adjutorio gratiæ prædeterminantis & victricis.

Probatur Adam non opus habuisse ad perseverandum gratia prædeterminante. Hæc est Augustini sententia, ut probatum est lib. 4. cap. VIII. & nunc breviter confirmatur. Sanctus enim Augustinus de Corrept. & Grat. cap. XI. de primo homine ait: *Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti cum dicunt, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Atqui auxilium quod isti, nempe Adæ posteri, implorant, est auxilium gratiæ prædeterminantis. Non ergo auxilio istiusmodi indiguit Adam. Et quoniam responderi solet primum hominem non opus quidem habuisse auxilio actualis perseverantiæ, ut vinceretur concupiscentia, & liberi arbitrii sanaretur infirmitas, sed ut perseveraret actu, & dependeret à prima causa tam bene operandi potestas, quam ipsamet operatio: pluribus excutitur hujus responsionis infirmitas. Nam 1. S. Pater gratiæ medicinalis hunc expressum characterem describit, quod potentior sit, & faciat, *ut homo velit*; cum econtra adjutorium Adæ esset tale, *quod desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret, ut vellet.* Fatentur autem Adversarii Adamum non indiguisse adjutorio gratiæ medicinalis. Ergo fateri debent non indiguisse adjutorio, quod efficeret, *ut vellet.* Deinde S. P. hanc gratiam, quæ dat non solum posse, sed etiam velle, & ipsam efficit perseverantiam, necessariam tantummodo tradidit ob infirmitatem naturæ lapsæ, & carnem contraria concupiscentem; ita, ut, nisi foret hæc naturæ infirmitas, cupiditasque vitiosa, nullatenus homini necessaria esset alia gratia præter illam quæ dat posse perseverare: Atqui in statu innocentiæ nullum erat naturæ vulnus, nec adversus rationem pugnans cupiditas: Ergo in hoc innocentiæ statu necessaria non erat gratia, quæ efficit prædeterminante & indeclinabili impulsu ipsam perseverantiam. Major liquet ex verbis Augustini cap. 12. ejusdem operis: *Tantum quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint quia sic volunt, ideo sic velint, quia Deus operatur ut velint; nam si in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent; inter tot & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent.* Sed legenda sunt etiam præcedentia & subsequentia verba contentione animi ad discendum assidua.

8. Confirmatio. Præterea eodem libro S. P. Augustinus docet Angelos Sanctos stetisse per liberum arbitrium, & beatitudinem fuisse illis mercedem meriti, cum post Adæ lapsum ipsa perseverantia donetur electis, & gloria in his qui liberantur sit donum gratiæ. Atqui per Augustinum stare per liberum arbitrium est perseverare in bona voluntate & justitia cum solo adjutorio sine quo non poterat permanere. Ergo hoc solum adjutorium erat homini ante culpam transgressionemque

Adæ

Adæ necessarium. Major est Augustini scribentis citato cap. XI. *Posset ergo permanere, si vellet, quia dederat adjutorium per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset: sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, & hujus mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit semper se in illa esse mansuros.* Et infra, *quæ futura erat & homini, sicut facta est & angelis sanctis, merces meriti.* Minor etiam propositio est Augustini. Stare enim per liberum arbitrium, non est perseverare sine gratia, nam, *si hoc adjutorium vel angelo vel homini, cum primum facti sunt defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine Divino adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent. Adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.* Ergo stare per liberum arbitrium est permanere in sanctitate cum solo adjutorio *sine quo*, videlicet cum gratia quæ dat posse habere justitiam, si homo velit, non qua fit etiam *ut velit*.

9. Oppugnatio Thomistarum.

Respondent cum Thomistis eruditus Theologus Ant. Boucat dissert. IV. de Hominis creatione art. 2. concl. 2. primum hoc argumentum nimis probare, nam etiam sub gratia præmovente efficaciter, quisquis in justitia perseverat, stat per liberum arbitrium; non enim Christi gratia infert, ut Janseniani dogmatizant, necessitatem. Insuper ex eodem cap. de Corrept. & Gratia XI. demonstrat etiam Adamo gratiam singularem magnamque fuisse collatam; quomodo insinuant ea verba: *Quid ergo Adam non habuit Dei gratiam? Imo vero habuit magnam, sed disparem*, & cætera, quæ subsequuntur. Addit liberum arbitrium etiam à Deo motum & excitatum posse dissentire si velit, ut definit sacrosancta Tridentina Synodus sess. VI. can. 4. & 6.

10. Responsio.

Hæc adversus Jansenianos pervicaciter in hoc statu negantes libertatis indifferentiam bene sapienterque dicta sunt: sed quatenus posita ad elidendam superioris argumentationis vim, Augustini discipulis nihil negotii facessunt. Ad primum enim respondent, liberum arbitrium Adæ indiguisse quidem adjutorio, *sine quo non*, sed in hoc à præsenti arbitrio differre, quod modo præmovetur gratia Christi, quæ carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincit. Demonstrata est ergo in primo homine potestas liberi arbitrii; *quoniam sic adjuvatur* (notentur verba Augustini) *ut sine hoc adjutorio in bono non maneret, sed hoc adjutorium si vellet desereret.* Non itaque argumentum illud nimis probat; quia licet consistat sub utraque gratia libertas: gratia primi hominis erat adjutorium, *sine quo* perseverare non poterat; nunc autem parum est non posse sine gratia permanere, nisi etiam ab ea efficiatur, *ut homo velit*. Et quoniam primus homo accepit *posse si vellet*, sed non habuit *velle quod posset*, & tunc ita liberum erat, ut bene posset velle vel male; ideo perseverare in bono dicitur ab Augustino, *stare per liberum arbitrium*. Nunc vero, cum per gratiam Christi detur nobis in bono recipiendo, & perseveranter tenendo *non solum posse quod volumus, verum etiam velle quod possumus;* propterea perseverantia dicitur peculiari titulo donum gratiæ. Quæ cum Augustinus prædicto in loco iterum iterumque declaret, & à nobis iisdem verbis repetantur; miror quomodo viri docti in nos insurgant, quasi à libertate Adæ gratiam, à gratia Christi libertatem divellere studeamus. Ad secundum responsio est manifestissima; nam Augustinus, posteaquam scripsit Adam habuisse gratiam, eamque magnam, sed disparem; ipsemet hanc disparitatem demonstrat. *Hæc est prima gratia* (inquit) *quæ data est primo Adam, sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima est enim qua fit, ut homo habeat justitiam si velit: secunda ergo plus potest, qua etiam fit, ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat.* Teneamus ergo hanc manifestissimam disparitatem. Canones Tridentinos suscipimus, probamus, defendimus: stat enim cum gratia excitante indifferentia judicii, ideoque vera libertas, & potestas dissentiendi: viget adhuc arbitrium, nec est inanime quoddam mere passive se habens: manere tamen concupiscentiam vel fomitem Sancta Synodus fatetur & sentit; & ideo necessariam dicimus in hoc statu gratiam victricem, ut non consentientibus sed viriliter repugnantibus nocere non valeat. Ergo nisi talis concupiscentia maneret, necessaria esset gratia, sed non illa, quam nunc imploramus, dum *caro concupiscit adversus spiritum.*

Opp. 1. Hæc de gratia Adæ necessa- 11. Objectio 1.
riâ opinio negans in statu Innocentiæ

necessitatem auxilii specialiter præmoventis, & efficaciter excitantis nova est, Janseniana est, & hoc solo titulo redditur suspecta, quod probetur uno tantum, vel altero textu libri de Corrept. & Grat. nullo in aliis plurimis ab Augustino editis adversus Pelagianos hujus doctrinæ apparente vestigio.

12. Solutio. Resp. Hanc sententiam non esse novam, sed ab antiquis scholasticis traditam, & ab his omnibus, qui docent Adamum non eguisse auxilio excitante, & motione, qua fieret ut homo bene uteretur concursu Dei indifferenti: quod asseri unanimiter à Scholasticis innuit Bellarminus, & fatentur recentiores omnes, qui non sunt physicæ prædeterminationi Thomistarum prorsus addicti. Quorum aliqui in eo tantum à nobis discrepant, quod auxilium actuale primi hominis in sola mentis illustratione constituunt, gratiam vero Christi in sanctæ charitatis inspiratione; ut aliquo discrimine inter utramque gratiam posito, facilius ab hoc statu gratiam suapte natura victricem removeant. At nos pro tali genere gratiæ tanquam pro causa meliore pugnamus; quod nemo verterit vitio, studioque novitatis. Eapropter in utroque statu, integræ scilicet, corruptæque naturæ auxilio Dei tribuendam putamus sanctam delectationem, sed disparem, tunc præmoventem ut posset homo in bona voluntate persistere, nunc autem ut velit, & tantum velit; ut adversantem cupiditatem viriliter superet. Nam primi hominis voluntas, ut Augustinus scribit lib. XIV. de Civit Dei cap. 13. *Illustrabatur ut videret, & accendebatur ut amaret.* Neque Janseniana Dogmata possunt nobis objectari; non enim arbitramur victricem delectationem trahere liberum arbitrium inevitabili necessitate, neque gratiam Christi semper tali impulsu voluntatem impellere, ut nunquam homo dissentiat: sed tum gratiam sufficientem, cum libertatis indifferentiam in statu naturæ lapsæ defendimus ac propugnamus. Quod si affirmasset Jansenius, seque intra hos limites continuisset, ut hoc unum contenderet, Adamum eguisse solo auxilio gratiæ sufficientis, nihil foret, quantum ad præsens institutum, in eo reprehendendum, inquit Honoratus Tournely in Prælect. de Gratia pag. 20. Observat. 3. In libro quidem de corrept. & Gr. S. P. Augustinus absque ulla ambiguitate tradidit utriusque status discrimen, ut Monachorum Adrumentinorum controversias compesceret: sed in omni Opere adversus Pelagianos demonstrat necessarium esse, ut gratia Christi non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat charitatem: non solum operetur veras revelationes, sed etiam bonas voluntates; non tantum certam scientiam, sed etiam victricem delectationem. Videatur lib. de Grat. Christi cap. 6. 13. 24. 28. de peccatorum meritis & remissione cap. 19. de spiritu & lit. cap. 3. & 12. &c. Pelagii vero sententiam solam gratiam legis & doctrinæ, sive revelationem admittentis, in lib. de nat. & grat. cap. 51. de hominis natura loquendo, quæ primo inculpata & sana condita est, censet *utcunque* tolerabilem: non tolerabilem *omnino*, quoniam & illa natura ab immutabili bono illustrabatur, ut videret, & accendebatur ut amaret: sed tolerabilem *utcunque*, quia: *De homine sanis pedibus tolerabiliter dici potest, velit, nolit, habet ambulandi possibilitatem: confractis vero, etsi velit, non habet.* Delectationem ergo victricem exigit Augustinus duntaxat in natura vitiata: ubicunque enim disputat contra Pelagium, *non de illa gratia quæstio est, qua est homo conditus, sed de illa, qua fit salvus per Jesum Christum Dominum nostrum.* Legendum est caput ejusdem libri de nat. & grat. quinquagesimum tertium. Atque hoc Augustini monitu constat perperam afferri adversus ea, quæ diximus de gratia primi hominis, quidquid Augustinus ipse profert de Gratia Salvatoris.

13. Objectio 2. Opp. 2. S. Augustinus de Corrept. & Grat. cap. XII. docet ad omnem hominem pertinere quod scriptum est, *Ut non glorietur omnis caro, coram ipso;* & ad omnes justos illud, *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* At si Adam potuisset perseverare absque prædeterminante adjutorio potuisset gloriari quod viribus liberi arbitrii haberet perseverantiam, quam à Deo non accepit. Ergo perseverare absque gratia prædeterminante non potuit.

14. Solutio. Resp. Proculdubio quod ab Apostolo in priori Epist. ad Corinth. scriptum est, neminem posse gloriari nisi in Domino, ad omnem prorsus hominem pertinere, sed dispari quadam ratione. Pertinet ad hominem innocentem, quia habuit adjutorium, *sine quo perseverare non poterat*, ideoque si stetisset, gloriandum ei fuerat in Domino, à quo accepit *posse perseverare.* Pertinet ad hominem in peccatis & iniquitate conceptum, quo-

quoniam habet interdum à gratia Christi, *ut perseverare possit & velit*, adeoque gloriari debet in Domino, qui in hoc statu *donat etiam perseverantiam.* Nego itaque minorem: nego consequentiam; & retorqueo argumentum. Ut enim homo gloriari non possit se in hoc statu habere robustum libertatis arbitrium, in quo conditus est primus homo, *virtus in infirmitate perficitur*, eique perseverandi possibilitas & voluntas Divinæ gratiæ largitate donatur. *In hoc loco miseriarum*, (ait eodem loco Augustinus) *ubi tentatio est vita humana super terram, virtus in infirmitate perficitur: quæ virtus, nisi ut qui gloriatur in Domino glorietur?* Ergo dictum istud Apostoli in hoc infirmitatis statu peculiarem vim habet, propterea quod gratia Christi non solum dat adjutorium quale primo homini dedit, sine quo non possumus perseverare, sed etiam operatur & velle, & in infirmitate propter elationem reprimendam virtus perficitur: & ideo non spectat eadem ratione ad statum innocentiæ, neque in illo donanda erat gratiæ largitate tam perseverandi possibilitas, quam voluntas.

15. Quæstio de necessitate D. gratiæ solvitur.

Quærenti autem, an ex isto Apostoli testimonio demonstretur pro utroque statu necessitas Divinæ gratiæ, respondemus comprobari necessitatem in statu innocentiæ adjutorii *sine quo non*, quia sine hoc adjutorio primus homo *non poterat permanere:* & si non poterat permanere absque Divino adjutorio, non poterat gloriari nisi in Domino de possibilitate perseverandi. In hoc vero statu ex ipsomet testimonio probatur necessitas adjutorii *quo*, quoniam *virtus in infirmitate perficitur*, nec solum per JEsum Christum adest adjutorium, sine quo permanere non possumus etiamsi velimus, verum etiam tantum ac tale, ut velimus; & consequenter non possumus gloriari nisi in Domino neque de potestate, neque de voluntate perseverandi. Quod si in hoc infirmitatis statu tale adjutorium, quo fit ut velimus, necessarium non foret, sed illud tantummodo sine quo non possumus perseverare; posset infirmus gloriari se habere virtutem quam perdidit Adam; quod non esset gloriari in Domino Christi gratiam confitendo, sed gloriari in se ipso virtutem propriam laudando. Libenter gloriabimur in infirmitatibus nostris, ut in nobis virtus Christi permaneat, ut monet Apostolus.

16. Objectio 3.

Opp. 3. Angeli Sancti habuerunt præcæteris *majorem abundantiam charitatis:* Major abundantia charitatis est donum perseverantiæ: Ergo hoc donum perseverantiæ Angelis sanctis collatum est; ideoque etiam primo homini necessarium erat, ut actu perseveraret.

17. Solutio.

Resp. Nego minorem: quippe major illa abundantia charitatis non est donum perseverantiæ Angelorum Sanctorum, sed præmium, scribente Augustino cap. x. de corrept. & gratia: *Diabolus vero & Angeli ejus, etsi beati erant antequam caderent, & se in miseriam casuros esse nesciebant, erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipsius permansionis acciperent, id est, ut magna per Spiritum Sanctum data abundantia charitatis Dei, cadere ulterius omnino non possent, & hoc de se certissime nossent.* Hanc plenitudinem beatitudinis & uberrimam charitatem Sanctos Angelos accepisse *merito permansionis* paullo post Augustinus declarat.

18. Objectio 4.

Opp. 4. Cum Ant. Boucat. Contraria est præcedens assertio Divinarum literarum auctoritati, testimoniis Augustini, & multiplici rationi ex Divo Thoma depromptæ. Non ergo propugnanda est, maxime cum Theologis plurimis, nec infimi subsellii displiceat. Probatur antecedens; enimvero Jerem. xxx. 21. legimus: *Applicabo eum, & accedet ad me: quis enim ille est, ut applicet corsuum, & appropinquet mihi, ait Dominus?* Ezech. xxxvi. 27. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini.* Ad Philipp. ii. 13. *Deus est enim qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.* Et ad Corinthios i. xii. 3. *Nemo potest dicere, Dominus JEsus, nisi in Spiritu Sancto.* Atqui applicare aliquem ut appropinquet ad Dominum, facere ut ambulet in præceptis, & custodiat judicia, operari velle & perficere est illum efficaciter præmovere. Ergo nemo nisi à Deo efficaciter præmoveatur, potest in accepta justitia perseverare.

19. Solutio.

Resp. Hæc literarum sanctarum verba, si de homine primitus condito accipiantur, tantummodo evincere Deum applicasse illum ad bonum, quatenus eum condidit in bona voluntate, & in Angelis Sanctis ab ipso Deo custodiam legis, & meriti perfectionem fuisse derivatam, in quantum ab eo acceperunt gratiam, sine qua mereri per liberum arbitrium non poterant. Verum de homine lapso prolata sunt, qui cum sese ignorantiæ & cupiditati sponte subjece-

nit, & sanam robustamque libertatem amiserit, eget potentiori auxilio, quo certa scientia, & victrix delectatio inspiretur. Nam Jeremias eodem loco ait: *Obducam enim cicatricem tibi, & à vulneribus tuis sanabo te, dicit Dominus.* Et Ezechiel: *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum.* Quæ sane de hominibus impiis, inquinatisque sunt dicta. Apostolus etiam ad Philipp. ea verba profert, ut quisque salutem suam operetur *cum metu & tremore.* At in statu innocentiæ non erat metus, qui aut hominem, aut Angelos miseros esse compelleret. In 1. vero ad Corinth. cap. XII. demonstrat Sanctorum de Christo prophetias esse dona Spiritus Sancti, quomodo oracula simulacrorum opera Dæmonum, quod nemo loquens in spiritu Dei dicit anathema JEsu, & nemo prophetans in spiritu Satanæ confitetur Dominum JEsum: ideoque necesse est, ut qui prophetarunt de Christo fuerint Divino Spiritu afflati. Quod si ita accipiendum putas, ut nemo possit Christum invocare, nisi præveniatur gratia Spiritus Sancti, non ego repugno, qui gratiæ prævenientis necessitatem profiteor, non eo tamen sensu, ut creatura innocens indiguerit gratia præveniente ac præmovente efficaciter. Addit Boucat testimonium Apostoli ad Ephesios II. 10. *Creati in Christo JEsu in operibus bonis.* Sed JEsum prædestinatum fuisse præviſis jam Adæ lapsu, ac perseverantiâ Angelorum; & consequenter hanc non fuisse effectum gratiæ Redemptoris, sed Conditoris, fateri debent qui Incarnationem definitam credunt in humani generis redemptionem. Quamobrem hæc Apostoli verba nequeunt ad primam hominis, vel Angelorum conditionem detorqueri.

20. Roboratio objectionis cum solutione.

Probat antecedens idem Auctor etiam Augustinianis testimoniis. Ex quo nempe S. P. Augustinus lib. III. de Trinit. cap. 4. num. 10. doceat omnia, quæ fiant per corporales motus, operari à Deo, qui movet primitus invisibilia. Et in XII. de Civit. Dei cap. 9. voluntatem, qua Angeli meliores facti sunt, eosdem non habuisse, *nisi operante adjutorio Creatoris.* Quod repetit S. Pater Epist. 106. nunc 186. cap. XI. & S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 1. 2. & 9. Sed hæc nostram sententiam non impetunt. Gratiam enim præmoventem etiam in statu innocentis naturæ admittimus, & sine ea fatemur non fuisse bonam voluntatem Angelorum: sed negamus in hac bona voluntate perseverasse gratia efficaciter prædeterminante excitatos. Non enim quælibet gratia præmovens est victrix; alioqui non daretur auxilium sufficiens ab efficaci distinctum, quod hæreticum est affirmare. Hinc S. Thomas seq. art. x. in Respons. ad tertium affirmat, quod etiamsi homo in primo statu accepit donum per quod perseverare posset, non autem accepit ut perseveraret; nunc autem per gratiam Christi multi accipiunt & donum gratiæ quo perseverare possunt, & ulterius eis datur ut perseverent; tamen facilius homo per gratiæ donum perseverare poterat in statu innocentiæ, in quo nulla erat rebellio carnis ad spiritum, quam nunc possimus. His autem verbis quid luculentius possit pro nostra assertione proferri, me latet.

21. Instantia.

Insuper probatur idem antec. ratione. Ac primo quoniam motio moventis ratione & causa præcedere debet motum mobilis, ut tradit Angelicus Doctor in III. contra Gentes cap. 149. Deinde quia Deus non solum est prima causa, sed etiam universalis; non esset autem universalis, nisi operaretur & velle. Rursus D. Thomas in III. libro nuper citato cap. 98. demonstrat Deum esse causam non tantum voluntatis, sed etiam volendi Ulterius, quia non salvantur jura primæ causæ per solum concursum simultaneum, cum iste non in causam influat, sed in effectum. Quibus addenda sunt quæ eruditus Theologus affert Conclus. præced. ut probet ex D. Thoma omnem causarum secundarum operationem esse in Deum tanquam in primum principium referendam.

22. Solutio.

Respondeo hæc pariter nihil nos deterrere, qui tamen magni Thomæ Aquinatis præceptiones pluris, quam aliqui faciant, æstimamus. Arbitrantur enim viri docti, quibus subscribimus, his limitibus Doctoris hujus præclarissimi contineri doctrinam. Principio docet Angelicus Deum prævia quadam motione creatam voluntatem flectere & inclinare ad bonum universaliter, tali etiam impulsu, ut extra ordinem boni nequeat discurrere: *Deus* (inquit 1. 2. q. IX. art. 6. ad 3.) *movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum in communi; & sine hac universali motione homo non potest aliquid velle.* Deinde voluntas creata vi hujus præmotionis determinat se ipsam per rationem, sive judicium practicum, ad volendum hoc vel illud bonum in particulari,

lari, quod est bonum aut verum, aut apparens; ut docet eodem loco Thomas, necnon q. 3. de malo art. 3. ad 4. & lib. 3. contra Gentes cap. x. Habetur ergo determinatio hujus individuæ voluntatis non à prima causa, sed per consilium rationis, quemadmodum sensitivus appetitus determinatur ab hoc vel illo sensibili, aut motio universalis cœlestium corporum ab inferioribus. Quæ duo exempla adducit ipse beatissimus Thomas lect. 3. cap. 9. Epist. ad Romanos, & q. 2. de Verit. art. 4. Quoniam vero etiam consilium rationis aliquam causam præmoventem habere debet, non enim humana ratio est prima causa, & repugnat processus in infinitum; præmotio omnium prima, per quam secundæ causæ operantur modo, qui propriæ formæ conveniat, est in causis liberis impulsus supremi motoris, quo inclinatur voluntas ad bonum universaliter. Atque hæc in operibus naturalibus locum habent. Nam in supernaturalibus indiget liberum arbitrium *speciali motione*, ut ait S. Thomas: quæ præmotio est auxilium gratiæ, quæ homini integro dabat posse perseverare, nunc vero interdum dat lapsis ut perseverent. De his legenda sunt, quæ scripsimus fusiori calamo in libro IV. cap. VI. Prop. 2. & seqq. Legendus & J. B. Du-Hamel in dissert. de Deo primo Motore. Itaque Deus est primum movens, quoniam prævenit omnem motum causarum secundarum, nec impertitur solam, ut inquiunt, formam, sive naturam & operandi facultatem, sed etiam adjuvat ut possint operari. Est etiam causa universalis, & id in operibus quoque liberi arbitrii, quia præmovet ad universale objectum voluntatis, quod est bonum in communi. Item est primum prædeterminans eo, quod in serie & connexione causarum prior determinatio est ad bonum universaliter; vi autem hujusce motionis voluntas sese per rationem determinat ad hoc, vel illud bonum particulare, ut ipsa ratio ex cognitione præmissarum determinatur ad assentiendum propositionibus inde illatis. Est etiam in operibus supernaturalibus motor specialis, quoniam collustratio mentis & delectatio ab auxilio gratiæ inspirata sublimioris sunt ordinis ac perfectionis, quam proprietates naturæ. Denique & est prædeterminator particularium effectuum, si causæ necessariæ sunt, nec possunt se per rationem, qua carent, determinare; aut, si ratione & libertate pollent, est in eis reprimenda voluntas carnis, & adversus rationem pugnans concupiscentia.

Hæc sane displicere nequeunt, nisi iis, qui victricem gratiam Salvatoris nolunt juxta sensa Augustini prædicare. Quibus lectitanda erit Epistola Hilarii inter Augustinianas 226. ubi de Semipelagianis etiam hæc offendent: *Molestè ferunt, ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perseverantiam, non qua fieret ut perseveraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseverare non posset: nunc vero sanctis in regnum per gratiam prædestinatis non tale adjutorium perseverantiæ detur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur, &c.* 23. Solutionis confirmatio.

Opponit ultimo memoratus Theologus. Habuit Adam gratiam habitualem, omnium donorum ac scientiarum largitionem, exercuit actus moralium virtutum, nec defuit in eo summus amor, qui consequitur ad cognitionem, & eo ferventior evadit, quo est perspicacior ipsa cognitio, & rationalis creatura summo bono proximior. Quisnam igitur æquus æstimator rerum negaverit primum hominem innocentem habuisse præmoventem gratiam, eamque efficacissimam? 24. Objectio ultima.

Resp. Ex hoc eodem capite quod Adam fuerit tot tantisque gratiarum muneribus cumulatus infertur non eguisse ad perseverandum adjutorio efficaciter præmovente. Condito enim homine recto, cum bona voluntate, sine ullo vitio & cum originali justitia, Deus rerum omnium auctor ac Dominus *fortissimo dimisit atque permisit facere quod vellet.* Neque nos negamus bonam illam voluntatem, castum amorem, aliaque gratiarum munera primitus fuisse à Deo rationali creaturæ concessa, & actus virtutum principio inspiratos ab eo, qui cum sit optimus, omnia valde bona creavit. Quæritur hoc unum, an indiguerit creatura innocens adjutorio *quo*, ut in acceptis bonis perseveranter maneret. *Istam gratiam* (de Corrept. & Grat. cap. XI.) *non habuit homo primus, qua nunquam vellet esse malus: sed sane habuit in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset, sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset . . . . Tale quippe erat adjutorium quod desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet. Hæc est prima gratia, quæ data est primo Adam.* 25. Solutio.

CA-

CAPUT IX.

Immortalitatem Adæ fuisse donum supernaturale, non proprietatem ei naturaliter debitam.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. & 3. Probatur, Immortalitatem primi hominis non fuisse naturæ proprietatem, sed gratiæ beneficium.
4. & 5. Resolvitur dubium de virtute ligni vitæ.
6. Ostenditur, cibos paradisi fuisse corporeos.
7. Respondetur ad quæstionem, an Adam perennem vitam consecutus fuisset, si de ligno vitæ semel comedisset.
8. & 9. Solvitur objectio.

1. De immortalitate Adæ.

PRIMA hominis immortalitas erat posse non mori, non autem non posse mori; quod nobis repromissum est ob merita Christi, eritque implendum quando corruptibile hoc induerit incorruptionem, cunctis è tumulo resurgentibus. Illud vero *posse non mori* naturale fuisse Adamo, prout naturale idem est, ac id, quod simul cum natura ab initio collatum est, aut naturam ipsam perficit & exornat, nemo, ut arbitror, negat. Num autem naturale fuerit, prout naturale est illud quod ex intrinseca virtute tanquam proprietas diffluit, neque ad sui conservationem aliquo indiget supernaturali beneficio, solet à Theologis disputari.

2. Propositio.

PROPOSITIO UNICA Immortalitas primi hominis non fuit naturæ proprietas, sed gratiæ beneficium.

Probatur immortalitas Adæ ut gratiæ beneficium.

Spectat hæc propositio ad fidem, est enim ab Apostolicæ Sedis divina auctoritate proscriptum contrarium assertum Michaelis Baji: *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.* Et probatur apertissimis Augustinianis testimoniis. *Illud quippe* (inquit S. P. de Corpore Adæ lib. VI. de Gen. ad lit. cap. 20.) *& mortale secundum aliam, & immortale secundum aliam causam dici poterat: id est mortale quia poterat mori, immortale quia poterat non mori. Aliud est enim non posse mori, sicut quasdam creaturas immortales creavit Deus: aliud est posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis; quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ: à quo ligno separatus est cum peccasset, ut posset mori, qui nisi peccasset posset non mori. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris.* Vide & librum adversus Julianum IV. capite 14. necnon de Civ. Dei lib. XIII. cap. 20.

3. Probatur ratione.

Probatur etiam ratione. Corpus enim humanum elementis compactum est, quæ propter qualitates contrarias tendunt ad mixti dissolutionem. Itaque ne dissolveretur, nec homo rediret in terram suam, conservandum erat absque pugna istiusmodi elementorum temperamentum; quod est quidem supra naturalem humani corporis conditionem. Unde Augustinus post verba superius relata ait: *Si enim corpus animale, utique mortale, quia & mori poterat.* Et lib. I. de peccatorum meritis & remiss. cap. 3. explicat primorum parentum immortalitatem exemplo vestimentorum & calceamentorum Israelitarum, quæ in deserto per tot annos non sunt obtrita, necnon Eliæ & Henoch, quorum corpora, etsi in spiritualem qualitatem nondum sunt commutata, non tamen per tam longam ætatem senectute marcuerunt. Atque ita primus homo, *habebat quantum existimo & de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, & de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem.*

4. An virtus ligni vitæ fuerit naturalis.

Quæri solet an hæc virtus ligni vitæ esset naturalis. Naturalem fuisse existimant Cornelius à Lapide, Tostatus Episcopus Abulensis, Pererius, Calmet, aliique sacrarum Scripturarum Interpretes, hac ducti ratione, quod Dominus ejiciendo Adam de Paradiso Gen III. 2. ait: *Ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ & comedat, & vivat in æternum.* Satis enim erat, inquiunt, ut moreretur, lignum vitæ indita supernaturali virtute expoliare: nec necesse erat hominem de horto voluptatis expellere. Contrarium tamen censent antiquiores Scholastici, Magister sent. D. Bonaventura, & Ægidius in II. dist. 19. Quorum sententiæ præluit Augustinus lib. VIII. de Gen. ad lit. cap. 5. dicens: *Illud quoque addo, quamquam corporalem cibum, talem tamen illam arborem præstitisse, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, non sicut ex alio cibo, sed inspiratione salubritatis occulta.* Et de Civ. Dei cap. 20. lib. XIII. *Qui status ei de ligno vitæ, quod in medio Paradisi cum arbore vetita simul erat, mirabili Dei gratia præstabatur.*

Hæc

5. Probatur virtutem ligni non fuisse naturalem.

Hæc autem sententia, licet nonnulli sunt qui Augustini verba de gratia improprie dicta interpretantur; quatenus & gratia fuit Paradisus voluptatis; & quidquid primo homini liberalitate Conditoris collatum est, magis mihi placet, quam alia. Primo enim, quod sola naturali virtute servatur non est donum supernaturale: si ergo immortalitas primi hominis donum supernaturale est, non poterat sola naturali vi alicujus cibi perenniter conservari. Deinde Augustinus occultam illam salubritatem ex ligno vitæ repetit; *non sicut ex alio cibo*, qui aderat ne homo esuriret, & corpus animale naturali virtute alimenti reficiebat. Præterea Anastasius Sinaita, aliique perpauci cibos Adami non fuisse corporales hoc argumento demonstrant, quoniam etiam bestiæ, aliquæ saltem, quæ arborum fructibus vescuntur, potuissent de ligno vitæ comedere, atque ita non fuisset primi hominis immmortalitas singulare aliquod beneficium. Anastasio autem in hac sententia facile occurritur, respondendo lignum vitæ Dei gratia ejusmodi vim habuisse, quæ ad solos homines pertineret, dum ipsi, inquit Petavius lib. 2. de op. sex dierum cap. VII. num. 6. in officio manerent. Denique ratio quam afferunt recentiores Interpretes nulla est, cum Deo tam facile fuerit ligno vitæ occultam vim salubritatis subtrahere, quam arborem maledictione sterilem reddere, ne ulterius pro homine prævaricatore poma proferret: nisi dicere velimus ea verba, *Ne vivat in æternum*, fuisse ejusdem generis cum præcedentibus, *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*, ironicam scilicet objurgationem.

Solvuntur objectiones.

6. Probatur cibos Paradisi fuisse corporeos.

Illud vero, quod diximus, cibos Paradisi fuisse corporeos cum auctoritate Augustini, tum ratione probatur. Nam S. Pater lib. IV. contra Julianum cap. 14. n. 69. ait: *Sed ego cum eis sentio, qui sicut illud quod dictum est, Masculum & fœminam fecit eos, & benedixit illis Deus dicens, Crescite & multiplicamini, & replete terram, secundum sexum corporalem atque conspicuum intelligunt dictum; ita etiam quod paullo post sequitur, Ecce dedi vobis omnem fœnum sativum seminans semen, quod est super omnem terram, & omne lignum quod habet in se fructum seminis sativi vobis erit in escam . . . . non aliter accipiunt, nisi quia ille uterque sexus his alimentis, quibus & animalia cætera, corporaliter utebatur, & habebat ex hoc victu sustentaculum congruum, licet modo quodam immortali, tamen animali corpori necessarium, ne indigentia læderetur, de ligno autem vitæ, ne senectute perduceretur ad mortem.* Ex quibus Augustini verbis etiam theologica ratio depromitur: verba enim versus 27. prioris Capitis Geneseos, *Crescite & multiplicamini, & replete terram*, sunt proprie & literaliter accipienda: Ergo & quæ proximo versu sequuntur, *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam.*

7. Variæ sententiæ an Adam perenniter vixisset, si de ligno vitæ semel comedisset.

Inquirunt etiam Interpretes, an Adam perennem vitam consecutus esset, si de ligno vitæ semel comedisset. Et aliqui cum Abulensi Episcopo respondent affirmative: sed Theologi cum D. Thoma q. 97. art. 4. tenent virtutem ligni vitæ fuisse finitam, ideoque præservasse à corruptione usque ad determinatum tempus, quo transacto vel homo translatus esset in vitam spiritalem, vel iterum de ligno vitæ comedere debuisset. Ex qua D. Thomæ sententia infert Estius virtutem hujus arboris fuisse naturalem, quoniam, inquit, omnis virtus corporalis finita est, nec virtus supernaturalis in corpore naturali absque necessitate est ponenda. Sed hujus consequentiæ necessitatem non satis percipio. Etenim virtus supernaturalis finita esse potest, maxime comparate ad præceptum factum Adæ exercendi obedientiam tam abstinendo ab arbore vetita scientiæ boni & & mali, quam vitam alendo ac servando esca arborum cæterarum. Nam etiam virtus Sacramentorum illorum usu quodammodo instauratur, & si despectui sint, arbitrii culpâ deperditur; hanc tamen virtutem nemo dixerit naturalem. *Sic ergo immortalis & incorruptibilis condita est caro hominis, ut suam immortalitatem & incorruptionem per observantiam mandatorum Dei custodiret. In quibus mandatis hoc continebatur, ut de illis lignis concessis manducaret, & ab interdicto abstineret, & per horum edulium immortalitatis dona conservaret*: ait Mag. Sent. dist. XIX. §. 4. Ut ad Abulensem redeat oratio; si comedere semel de ligno vitæ perennem præstitisset immortalitem, profecto Adam mortuus non esset, cum in Paradiso degens aliquando ejusdem arboris fructus gustaverit: *Quid enim absurdius, quam ut credatur ex aliis arboribus alimenta sumpsisse, non autem etiam ex illo, quod & similiter permissum fuerat*, ait S. Pater lib. 2. de Peccatorum meritis & remiss. cap.

cap. XXI. n. 35. Profecto Adamum si Divini præcepti observantia custodisset originalem justitiam, consecuturum fuisse illam immortalitatem, qua etiam non posset mori, non utique expoliandum corpore sed superveſtiendum incorruptione, ut absorberetur mortale à vita, & ab animali in spiritale transiret, expresse docet idem Augustinus in Opere mox laudato lib. 1. cap. 2. de Corrept. & grat. cap. 10. & XIII. de Civit. Dei cap. 19.

8. Objectio. Unum est, quod contra superiorem propositionem opponi potest, Animam rationalem esse suapte natura formam corporis, formam vero naturaliter exigere materiei propriæ unitionem. Cum ergo Anima sit immortalis exigit etiam corpus indissolubile: alioqui posset naturaliter à corpore divelli, & absque culpa misera fieri. Cum enim à corpore separata consisteret ejusque societatem summopere appeteret, nec naturaliter habere posset, desiderio compartis suæ plurimum torqueretur. At quod à rerum naturali constitutione exigitur, nequit supernaturale beneficium existimari. Igitur supernaturalis non est primi hominis immortalitas.

9. Solutio. Qui puræ naturæ possibilitatem propugnant, huic argumento respondent spitualem animam modo perpetuam corporis unionem, etiam à corpore sejunctam appetere, quoniam homo conditus est immortalis, & separatio animæ à corpore pœna est violati præcepti, non conditio naturæ. At si homo in puris naturalibus productus esset, nec perpetuam corporis societatem, nec ejus post mortem resurrectionem naturali instinctu exoptaret, cum optime nosceret utramque constitutioni corporis sui non deberi. Qui vero statum puræ naturæ possibilem negant, respondent appetere quidem rationalem animam perpetuam cum corpore vitam; hanc tamen esse hominis conditionem, & quidem perfectiorem, quam sit natura quælibet irrationalis, ut omne, quod appetit naturali facultate consequi minime possit, sed opus habeat supernaturalibus auxiliis, maxime ut perenni vita fruatur, & finem, ad quem fertur, assequi valeat. Utramque sententiam ad trutinam revocabo in dissertatione ad finem libri hujus apponenda.

CAPUT X.

De libero arbitrio primi hominis, & in quo essentialis ratio libertatis consistat?

SUMMARIUM.

à num. 1. usque ad 5. Præmittuntur scitu necessaria.

à num. 6. usque ad 10. Explicatur, quid sit Liberum arbitrium inditum primo homini, ac permanens sub captivitate peccati, & unde proficiscatur.

1. De libero arbitrio primi hominis, & in quo essentialis ratio libertatis. NIHIL liberi arbitrii prolato nomine soleo mentis animadversione percipere, quam voluntatem ipsam rationalis substantiæ, quæ pro suo arbitratu quod ei à ratione proponitur eligere potest, vel rejicere. Constituitur ergo libertas voluntate & ratione; non tamen ex æquo: sed voluntas est ipsa potestas, quæ potest in utramlibet partem inclinari: ratio autem vis intelligendi, qua voluntati objectum proponitur, & sine qua non potest in bonum libera deliberatione propendere. Etenim, ut Augustinus ait in VIII. de Trin. cap. 4. *Nemo amare potest incognitum.* Et quidem ea propensio, qua natura quælibet fertur in bonum absque ductu rationis, non potest opus voluntatis appellari, alioqui prædita forent arbitrio etiam animalia bruta, & creaturæ reliquæ, in quibus philosophi plures appetitum quemdam constituunt sensitivum aut naturalem: quamquam sunt Philosophi non vulgares, qui in rebus inanimatis nullam inclinationem agnoscunt præterquam Divinæ ordinationis legem, & superiorum causarum impulsum, cui necessitate infallibili obsecundent, & veluti jaculum emissum à perito sagittario dirigantur ad scopum, quem illæ nullo modo deprehendunt. Profecto in ratione liberum arbitrium consistere nequit *formaliter*: cum non sit in nostra potestate objecta percipere & cogitare; alias peccaret quisque ante consensum voluntatis, dum mentem subit cognitio aliqua falsa & perversa, nec ulla daretur ignorantia, quæ à peccato excusaret, quandoquidem esset in potestate hominis & libera ipsamet ignoratio. Quapropter S. P. Augustinus in lib. de Sp. & lit. cap. 34. ait: *Nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem; sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est.* Ex quibus satis revincitur error Durandi statuentis in II. dist. 24. naturam libertatis tam in voluntate, quam in ratione.

Cum

2. Ratio radicem liberi arbitrii constituit.

Cum itaque ratio motum voluntatis præcedat, in illius judicio *radicem*, ut inquiunt Scholæ, liberi arbitrii statuunt juremerito docti celebresque Theologi. Et quoniam ad bonum in communi & ad Deum in se visum dari nequit indifferentia judicii, cum nulla in his apprehendi possit species mali, etsi voluntas in hujusmodi objecta sponte ac lubenter protendat, non habet veram libertatem, quæ est potestas ad utrumlibet, nulla necessitate impellente. Necessario enim amatur quod adeo bonum apprehenditur, ut aliò animus à vero aut apparenti bono rapi non possit. Quæ satis lib. IV. cap. ultimo, & lib. X. cap. XIII. sunt explicata.

3. Notanda quomodo libertas hominis in unoquoque statu dignoscenda.

Ut modo libertas hominis in unoquoque statu facile possit dignosci; advertendum est voluntatem appellari liberam *à necessitate, à peccato, à miseria.* Dicitur libera à necessitate suapte natura, & essentiali constitutione; unde quidquid ex necessitate agitur, nequit opus liberi arbitrii appellari. *Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus*, ait Augustinus lib. III. de lib. arb. cap. 3. Quapropter errant turpissime Calvini, & Jansenii Gregales, qui libertatem putant cum indeclinabili necessitate consistere. Observandum hoc loco indifferentiam, in qua libertas sita est, non esse ad bonum & malum, quam appellant Theologi indifferentiam *contrarietatis non servato, sed prætermisso ordine finis;* cum objectum voluntatis sit bonum, neque in malum tendat, nisi propter aliquem defectum, ut recte S. Thomas in II. Sent. dist. 25. q. 1. art. 2. Hinc est, quod Augustinus Julianum constituentem liberum arbitrium in facultate æquilibrata, & sese ad bonum, vel ad malum pro suo arbitratu inclinante, merito his verbis exprobrat lib. 1. Op. Imperf. *Siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem?* Sita est itaque libertatis essentia in potestate eligendi pro lubitu hæc vel illa media, etiam ad invicem contraria, quæ valeant ad debitum finem conducere: unde S. Thomas libertatem definivit 1. p. q. 61. art. 8. *Libertas est vis electiva mediorum servato & non prætermisso ordine finis.* Quod ergo possit voluntas ad malum flecti, id non habet ex intrinseca ratione libertatis, sed conditione creaturæ defectibilis: cujus liberum arbitrium definitur ab Augustino: *Media vis, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest:* atque à Magistro Sent. in II. dist. 24. §. 5. *Facultas rationis & voluntatis, qua bonum eligitur gratia assistente, vel malum eadem desistente.* Hanc liberam à necessitate voluntatem habuit primus homo, qui *potuit non peccare, potuit non mori, potuit bonum non deserere*, inquit lib. de Corrept. & Grat. cap. XI. S. Pater.

4. De libertate à necessitate.

Eadem *à necessitate* libertas etiam in hoc infirmitatis statu certissime perseverat. Etenim Deus, ut idem Augustinus ait in VIII. de Gen. ad lit. cap. 23. *Nunquam ita punit voluntatem malam, ut naturæ perimat dignitatem.* Est tamen inter libertatem Adæ, & libertatem quæ post Adæ transgressionem permansit, discrimen serio advertendum; nempe, quod in prima hominis conditione arbitrium erat liberum *à necessitate & à peccato;* homo enim creatus est rectus, sine vitio, cum bona voluntate, & cum adjutorio perseverandi, si vellet. Nunc vero est quidem homo liber à necessitate, sed servus peccati, nisi gratia Redemptoris liberetur, id est, habet adhuc liberam voluntatis potestatem, sed cupiditate, quæ est pœna peccati, tanquam visco glutinoque taliter implicata, ut bonum, sicut oportet, non agat, nisi charitate, quæ inspiratur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, contraria concupiscentia vincatur. Nam *ubi Spiritus Domini, ibi libertas*, Auctore Apost. in 2. ad Corinth. III. 17. Cum itaque Pelagiani originale peccatum, & gratiæ Salvatoris necessitatem negarent eoquod libero arbitrio inesset ad utrumlibet æqua potestas, rectissime Augustinus adversus hæreticos illos disputans ait *amissam peccati merito libertatem*, in Ench. ad Laurent. cap. 39. in Epist. ad Vitalem, & lib. XIV. de Civit. Dei cap. XI. Quod sane intelligendum est de voluntatis potestate libera à lege peccati, & explicata à glutino concupiscentiæ, non de potestate libera *à necessitate*, quæ etiam post Adæ prævaricationem in hominibus perseverat. Nam in libro 1. ad Bonifacium cap. 2. non libertatem periisse scribit, sed illam magnam, *quæ fuit in Paradiso*: quod repetit de Corrept. & gratia cap. 12. de Spiritu & lit. cap. 31. de lib. arb. cap. 18. & aliis in locis compluribus. Eo enim Augustini disputationes collineant, ut adversus Pelagianos respuentes gratiæ Christi adjutorium, nimiumque arbitrii possibilitatem extollentes, originalem culpam, & gratiam Salvatoris propugnet. Eapropter scribit lib. 1. Operis imperf. *Non satis esse ad operandum bonum liberum arbitrium, nisi Dei gratia liberatum:* &

lib. de nat. & grat. cap. 67. *De gratia quippe Dei agitur, quæ nobis per Mediatorem medicina opitulatur, non de impossibilitate justitiæ. Post peccatum caveri, sed opitulante illo, qui non potest falli.* Solvit vero nodum omnem de Gratia & lib. arbitrio cap. 15. scribens: *Semper est autem in nobis voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim à justitia libera est, quando servit peccato, & tunc est mala: aut à peccato libera est, quando servit justitiæ, & tunc est bona. Gratia vero Dei semper est bona, & per hanc fit, ut sit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ.* Quamobrem Augustinus in hoc statu miseriarum non negat libertatem *indifferentiæ*, sed libertatem *à peccato*, neque de illa lis unquam fuit inter ipsum atque Pelagium, sed de libertate expedita à servitute pravæ cupiditatis: quam libertatem hostis gratiæ Christi in filiis Adæ æque ac in homine primo asserebat. Ex quibus colligitur perperam gloriari de patrocinio Augustini, qui negant veram in hoc statu libertatem, & irrito molimine Phereponum, sive Clericum, conari Animadv. in cap. 30. Enchirid. pag. 560. Append. August. ut Augustinum apertum liberi Arbitrii hostem demonstret.

5. Unde liberemur à peccato.

Liberamur itaque *à peccato* per gratiam. *Ex quo enim primus homo libero arbitrio venumdatus est sub peccato, ideo mala cœpit esse libertas hominis, quia ipsa libero arbitrio ablata est bonitas voluntatis:* inquit in Respons. ad 1. Inq. Ferrandi S. Fulgentius. Nondum tamen in hoc statu liberi sumus *à miseria*, cum etiam in justis remaneat concupiscentia ad luctam, & mors stipendium peccati. Etenim libera voluntas dicenda non est, quando subditur vincentibus cupiditatibus. A quibus erit penitus libera, cum à summo bono viso facie ad faciem ad illud perenniter rapietur, non solum restituta libertate prima, qua Adam poterat non deserere bonum, & quæ nobis per Christi gratiam redditur cumulatius, sed etiam libertate, quæ fruens indeficienter æternorum gaudiorum jucunditate non poterit amplius servire peccato. *Prima ergo libertas voluntatis erat posse non peccare: novissima erit multo major non posse peccare. Prima immortalitas erat posse non mori: novissima erit multo major non posse mori:* ait S. P. de Corrept. & Grat. cap. 12. de Nat. & Grat. cap. 35. & in Ench. ad Laurent. cap. 105. Ex quibus etiam obiter animadverte S. Patrem asserentem in patria perfectissimam libertatem non loqui de *libertate indifferentiæ*, quæ ad meritum & demeritum in hoc statu necessaria est, sed de *libertate à miseria.* Hæc omnia traduntur à Magistro sent. lib. 11. dist. xxv. his verbis: *Est namque libertas triplex, scilicet à necessitate, à peccato, à miseria.* Ubi etiam docet Adam peccando libertatem arbitrii perdidisse, non quidem omnem, sed libertatem *à miseria & à peccato:* libertatem *à necessitate* reperiri tam in bonis, quam in malis, nec sine illa meritum dari: libertatem à peccato illis solis inesse, quos Christi gratia liberat & reparat, non ita, quod in hac mortali carne penitus sint sine peccato, sed ut in eis peccatum non dominetur nec regnet: libertatem denique à miseria illam esse, de qua Apostolus ait, *Et ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei;* quam libertatem habebat Adam ante peccatum, sed plenius habent Sancti in beatitudine. Hæc Magister. Divus quoque Bernardus de Gratia & libero arbitrio. *Triplex est* (inquit) *nobis proposita libertas, à peccato, à miseria, à necessitate. Hanc ultimo loco positam contulit nobis in conditione naturæ: in pristinam restauramur à gratia: media nobis reservatur in patria. Dicatur ergo prima libertas naturæ, secunda gratiæ, tertia vitæ vel gloriæ.*

6. De homine libero à necessitate.

De arbitrio indito primo homini, ac permanente sub captivitate peccati, id est libero à necessitate aliquid modo dicturus exponam quid sit, & unde proficiscatur: nam utrum revera persistat sub dominatu concupiscentiæ, ut indubitanter supponimus, non videtur spectare ad institutam de primo homine disputationem, sed ad statum ærumnosæ mortalitatis, & ad gratiam Christi medicinalem. Istud itaque arbitrium quidam in quodam habitu à ratione & voluntate diverso male, ut arbitror, constituerunt. Habitus enim, quemadmodum à Scholasticis accipiuntur, sunt affectiones animorum ad unum specie actum inclinantes, E. G. ad charitatem, ad humilitatem, ad temperantiam: & per liberum arbitrium potest voluntas nedum ad istiusmodi actus flecti, verum etiam ad oppositos, id est, malevolentiam, superbiam, atque immoderationem. Quod si habitum dixeris facultatem potestatemque rationalis substantiæ; liberum arbitrium habitum esse fatebor, maxime cum à D. Bernardo definiatur *habitus animi liber sui.* Pariter non satis apte liberum arbitrium appellarunt nonnulli *actum*, cum maneat voluntas libera tametsi

tametsi nihil agat: quamvis & actum dicere non detrecto, quatenus actus nominat etiam proprietates, ac formas, vulgaris sermonis consuetudo. Definiri ergo liberum arbitrium potest: *Facultas rationalis creaturæ agendi & non agendi, prout lubet, positis omnibus ad actionem requisitis.*

7. Liberum arbitrium ab ipsa voluntate non distinguitur.

Sane cum ejusdem potentiæ sit velle & eligere, liberum arbitrium ab ipsa voluntate nequaquam distinguitur: unde opus est, ut liberæ cujusque operationis sit rationalis voluntas principium efficiens. Quod commonstrat argumentationibus pluribus selectisque authenticus Doctor Ariminensis in II. sent. distinctione quinta ac vicesima. Et revera Magnus Augustinus in III. de lib. arbitrio cap. 1. motum culpabilem esse in voluntate, & à voluntate demonstrat. In voluntate, quoniam eo motu animus movetur à voluntate, quo movetur libere, non necessario. Profert eo loco S. P. exemplum lapidis, cui similis est prævaricator animus in eo, quod ut ille pondere gravitatis in ima fertur, ita iste premente cupiditate inclinatur ad commutabile bonum; in hoc tamen dissimilis, quod lapis ita movetur ut non habeat potestatem activam, qua possit impressam sibi motionem cohibere, animus vero potestatem istiusmodi habeat. Ex quibus vellem diligenter notari, Jansenianos ac Novatores reliquos liberum arbitrium non meliorem saxo putasse, dum ausi sunt dogmatizare voluptatem ita animum dejicere, ut necessario moveatur, nec potis sit contraniti. Sed præstat audire Augustinum. *Restat* (inquit) *ut ejus sit proprius iste motus, quo fruendi voluntatem ad creaturam à Creatore convertit: qui motus si culpæ deputatur, non est utique naturalis, sed voluntarius: in eoque similis est illi motui, quo deorsum versus lapis fertur, quia sicut iste proprius est lapidis, sic ille animi. Veruntamen in eo dissimilis, quod in potestate non habet lapis cohibere motum, quo fertur inferius, animus vero, dum non vult, non ita movetur, ut superioribus desertis inferiora diligat: & ideo lapidi naturalis est ille motus, animo vero iste voluntarius.* Et infra, *Motus, quo huc atque illuc voluntas convertitur, nisi esset voluntarius atque in nostra potius potestate, neque laudandus cum ad superiora, neque culpandus homo esset cum ad inferiora detorquet quasi quemdam cardinem voluntatis.* Motus ergo liber erit tantummodo, ubi sit in voluntate potestas illum cohibendi. Satis enim constat Augustinum voluntarium pro libero usurpavisse; cum potestas illa animi motum cohibendi ad voluntarii rationem minime requiratur. Quamobrem ad Novatorum vitanda sophismata distinguendum accuratius est inter voluntarium & liberum, sive, ut recentiores quidam loquuntur, inter libertatem voluntatis, & libertatem arbitrii. Libertas enim voluntatis opponitur coactioni, libertas arbitrii adversatur necessitati. Enimvero voluntas, auctore Augustino in libro de duabus Animabus, *Est animi motus, cogente nullo, ad aliquid non admittendum vel adipiscendum:* voluntas autem tunc libera est, quando *actus volendi est in nostra potestate*, ut ipse Augustinus docet in I. Retract. cap. 22.

8. Libero arbitrio carent res inanimes & bruta.

Quoniam, ut diximus, voluntas non fertur ad incognita, etiam ratio & judicium ad actum voluntarium ac liberum prærequiritur, unde libero arbitrio carent res inanimes, & bruta Animalia. Etiam quando amamus scire incognita, amor iste cognitionē supponit; non enim hoc idem est cum dicitur, *amat incognita*, &, *amat scire incognita:* quoniam qui scire amat incognita, non ipsa incognita, sed ipsum scire amat. Videatur Augustinus in X. de Trinit. cap. 1. Quomodo autem ad ipsam cognitionem actus liber consequatur, memini me non semel disseruisse. Addam nunc Angelici Doctoris declarationem tanto dignam Magistro ex I. p. q. 82. art. 2. *Intellectus*, inquit, *naturaliter ex necessitate inhæret primis principiis, & voluntas ultimo fini. Sunt autem quædam intelligibilia, quæ non habent necessariam connexionem ad prima principia: sicut contingentes propositiones, ad quarum remotionem sequitur remotio principiorum. Et talibus non ex necessitate assentit intellectus. Quædam autem propositiones sunt necessariæ, quæ habent connexionem necessariam cum primis principiis: sicut conclusiones demonstrabiles, ad quarum remotionem sequitur remotio primorum principiorum. Et his intellectus ex necessitate assentit cognita connexione necessaria conclusionum ad principia per demonstrationis deductionem. Non autem ex necessitate assentit, antequam hujusmodi necessitatem conclusionis per demonstrationem cognoscat. Similiter etiam ex parte voluntatis. Sunt enim quædam particularia bona, quæ non habent necessariam connexionem ad beatitudinem, quia sine his potest aliquis esse beatus, & hujusmodi voluntas non de necessitate inhæret. Sunt autem quædam habentia necessariam connexionem ad beatitudinem, quibus scilicet homo Deo*

inhæret, in quo solo vera beatitudo consistit. Sed tamen antequam per certitudinem Divinæ visionis necessitas hujusmodi connexionis demonstretur, voluntas non ex necessitate Deo inhæret, nec his quæ Dei sunt. Sed voluntas videntis Deum per essentiam de necessitate inhæret Deo, sicut nunc ex necessitate volumus esse beati. His autem ea, quæ alibi de libertate arbitrii disputavimus, sunt plenissime comprobata.

9. Monitum

Illud tantum moneo, nos, dum liberum arbitrium ex duplici facultate conflatum prædicamus, id est, ex ratione & voluntate, minime unum ab alia discerpere, sed eamdem humanam mentem esse intellectum & voluntatem, quatenus diversimode percipitur, ut apprehendit, aut vult. Quod non soli recentiores Philosophi tenent, sed etiam Nominalium princeps Gregorius Ariminensis in 2. dist. XVI. & XVII. q. III. art. 2. Et nihilominus intellectum quasi facem voluntatis concipimus, & illum necessariam aliquam facultatem, istam indifferentem ac liberam rectissime nuncupamus. Idque diversa connotatione terminorum & consignificatione rerum facillimum est explicare. Mens enim prout rerum ideis formatur, & recipit rerum imagines, atque ad eas contemplatione convertitur, Ratio & intellectio appellatur; prout eligit, & quod menti obversatur, amplectitur, aut fugit, dicitur voluntas. Atque ita de imaginatione, sensibusque philosophi bene multi ratiocinantur, nec ea distinguunt, nisi objectorum ratione, ita, ut nihil sint aliud, quam anima ad corporeum objectum, sive ad ejus imaginem se convertens. Hinc arbitrantur plures animam dum intelligit, pati; dum vult, agere, quoniam intelligendo recipit ideas, volendo se libere aut spontanee determinat. Verum placet nobis etiam in intellectione actum aliquem constituere, mentis scilicet conversionem, & advertentiam. Ut enim oculus non cernit colores nisi animus ad imaginem pictam in oculis se convertat; ita mens non deprehendet veritatem, si non ad ideam vel speciem adverterit.

10. Elucubratio sententiæ S. Augustini

Nullus quidem in lectione Augustini aliquantisper versatus arbitrabitur me doctrinam ejus repellere. In x. de Trinit. cap. 11. docet, hæc tria, *memoriam, intelligentiam, & voluntatem non esse tres vitas, sed unam vitam, nec tres mentes, sed unam mentem, nec tres essentias, sed unam essentiam.* Et lib. XII. cap. 4. *Cum differimus* (inquit) *de natura mentis humanæ, de una quadam re differimus; nec eam in hæc duo, quæ commemoravi, nisi per officia geminamus.* Quidquid autem potest ex adverso objici, per ordinem ad connotata facillime diluetur. Ita rationem dicimus esse id, quod excellit in anima, & præstantiorem illam fatemur quocunque sensu; quoniam primum animi officium est perceptio veri, & longe sublimior est contemplatio rerum spiritualium, quam corporearum atque mutabilium. Brevi dicam: Anima est plurium operationum causa effectrix, & ab his plura etiam sortitur vocabula. Potest intelligere, potest velle, potest sentire. Intelligitur verum: eligitur bonum: sentitur corpus certis quibusdam extensionis aut qualitatis modis, quos *accidentia* appellant, affectum. Ergo vocabulum istud *Intellectus* significat animam, & consignificat ipsius potestatem, aut operationem, quæ est cognoscere *verum*: Alterum *voluntas* demonstrat eamdem animam, & connotat illius virtutem, aut actum eligendi *bonum*: Tertium *sensus* denotat ipsam substantiam animæ, & commonstrat ipsius ordinem ad *sensibilia*. Quapropter ipsamet Anima, quatenus percipit verum, & eligit bonum, est illa creaturæ rationalis eximia ac singularis proprietas, de qua dissertatiuncula nostra ad hunc modum se habet, videlicet, Liberum Arbitrium.

CAPUT XI.

An generatio hominum in Paradiso fuisset per carnalem complexum, si nemo peccasset?

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. Probatur, etiam in statu innocentiæ per copulam conjugalem filiorum propagationem futuram fuisse. à num. 3. usque ad 6. Respondetur ad contraria.

CAR-

1. De generatione hominum in Paradiso.

CARNALEM hominum propagationem minime in ſtatu Innocentiæ futuram nonnulli Patres tradiderunt, quibus placuit nullum uſum fore nuptiarum, ſi Adam ſtetiſſet. Quod traditum à Damaſceno lib. 11. De Fide Orthodoxa cap. 30. & libro 1v. cap. 25. à Gregorio Nyſſeno in libro de Opificio Mundi cap. 17. ſcribit Petavius lib. 2. de Op. ſex dierum cap. v111. & Velloſillus Adv. in Tom. 1. Chryſoſtomi q. 3. Eſtius etiam in 2. diſt. xx. §. 1. Addunt eundem Chryſoſtomum Hom. xv111. in Geneſim, & Procopium in caput ejusdem libri 1v. Idem Eſtius affirmat aliquando ita ſenſiſſe Auguſtinum, ut conſtat (inquit) ex lib. 1. de Gen. contra Manichæos cap. 19. & de vera Relig. cap. 46. incertum quodammodo fuiſſe lib. de bono conjugali cap. 2. ſed priorem repudiaſſe ſententiam. Prioris vero dubitationis ſuæ meminiſſe lib. x1v. de Civit. Dei cap. xx1.

Mens aliquorum Patrum.

Opinio S. Auguſtini.

Revera S. Pater citato libro ſuper Geneſim cap. 19. inquirit, num verba Geneſeos 1. 28. *Creſcite, & multiplicamini* ſint carnaliter, an ſpiritaliter accipienda & reſpondet: *Licet nobis eam etiam ſpiritaliter accipere, ut in carnalem fœcunditatem poſt peccatum converſa eſſe credatur.* Ubi etiamſi carnalem generationem commode poſſimus accipere, quæ eſt humanæ naturæ propagatio per turbidam libidinem, declarat tamen pleniſſime filiis ſæculi tantum quadrare verba Chriſti apud Lucam xx. 34. *nubunt, & traduntur ad nuptias*, quod negat ante peccatum Adæ futurum. Atque de vera Religione cap. 46. & lib. 1. de verbis Apoſtoli cap. 15. ſcribit carnales neceſſitudines ex peccato oriri, nec futuras ſi natura humana in iſtam corruptionem non fuiſſet relegata. Sed hæc duo loca retractat lib. 1. Retract. cap. 13. n. 8. ſcribens: *Nondum enim videram fieri potuiſſe, ut non morituri de non morituris naſcerentur, ſi peccato illo magno non mutaretur in deterius humana natura: ac per hoc ſi & in parentibus & in filiis fœcunditas felicitasque manſiſſet, usque ad certum Sanctorum numerum quem prædeſtinavit Deus, naſcerentur homines non parentibus ſucceſſuri morientibus, ſed cum viventibus regnaturi. Eſſent ergo & iſtæ cognationes & affinitates, ſi nullus delinqueret, nullusque moreretur.* Repudiavit ergo Auguſtinus priorem illam opinationem.

2. Propoſitio.

PROPOSITIO: Fuiſſet etiam in ſtatu innocentiæ per copulam conjugalem filiorum propagatio.

Probatur propagatio conjugalis etiam in ſtatu innocentiæ.

Ex Scripturis, & Auguſtinianis teſtimoniis breviter demonſtratur. I. Deus cum hominem condidit, maſculum & fœminam fecit eos, & benedixit eis dicens, *Creſcite & multiplicamini:* Eſt Ergo fœcunditas generationis benedictio priori hominum inſtitutioni conveniens, non occaſione peccati ſuperinducta; alias ad multiplicationem humani generis, & memoratæ benedictionis effectum neceſſarium fuiſſet peccatum, quod valde abſurdum eſt cogitare. *Quisquis autem dicit non fuiſſe coituros, nec generaturos niſi peccaſſent, quid dicit, niſi propter numeroſitatem Sanctorum neceſſarium hominis fuiſſe peccatum?* ait S. P. Auguſtin. lib. x1v. de Civit. Dei cap. 23. 11. mulier Gen 11. 18. appellatur viri adjutorium: *Si autem quæritur, ad quam rem fieri oportuerit hoc adjutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quam propter filios procreandos, ſicut adjutorium ſemini terra eſt, ut virgultum ex utroque naſcatur:* ait ipſemet Aug. lib. 1x. de Geneſ. ad lit. cap. 3. num. 5. 111. Adam adhuc innocens & proximæ calamitatis ignarus inquit Gen. 2. *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una.* Quæ verba affert Chriſtus Matth. x1v. 4. ut probet matrimonium eſſe ex ſua inſtitutione indiſſolubile, nec licitum eſſe quacunque ex cauſa libellum repudii. Viguiſſent igitur in prima quoque conditione connubia. Ita ratiocinatur ipſe Auguſtinus laudato libro 1v. de Civit. Dei cap. 22. In eodem cap. Geneſis v. 18. legitur: *Non eſt bonum eſſe hominem ſolum.* At mulier, quæ viro cauſa fuit perditionis, non bona extitiſſet, niſi ei futura eſſet gignendæ prolis adjutrix. Deus ergo hac de cauſa mulierem producendam eſſe probavit. *Mulierem viro* (Ambroſius) *nonniſi generandi causâ perhibet inſtitutam. Hæc enim ſunt verba ejus in lib. de Paradiſo: Si igitur viro culpæ auctor eſt mulier, quemadmodum pro bono videtur adjecta? Verum ſi conſideres quia Deo univerſitatis eſt cura, invenies plus placere Domino debuiſſe id, in quo eſſet cauſa univerſitatis, quam condemnandum fuiſſe illud, in quo eſſet cauſa peccati. Ideo quia ex viro ſolo non poterat humani eſſe generis propagatio, pronuntiavit Dominus, non eſſe bonum hominem ſolum eſſe.* Verba ſunt Auguſtini libro 11. contra Julianum cap. v11. n. 29. Satis ex his liquet fœminæ, virique conjugium ad ſocietatem & propagationem prolis fuiſſe primitus inſtitutum, atque

ad

ad naturæ conditionem, non ad peccati statum fœcunditatem pertinere. Quæ omnia rationi etiam consentanea sunt; non enim homini ubertas fœcunditasque videbatur deneganda, quæ animantibus cæteris fuit ab hujus universitatis Auctore concessa.

REFUTATUR OBJECTIO.

3. Objectio. Oppones: Homines in statu innocentiæ minime propagandos saltem conjunctione gignentium, cum ipsorum conditio, tum generandæ prolis constitutio, ejusdemque generationis natura commonstrant. Et generantium quidem conditio: enimvero, si masculus & fœmina adulti ac virili ætate fuerunt producti, & institutæ naturæ conveniens erat consimilis prolis & posteritatis generatio, quare ante prævaricationem procreandis liberis operam non dederunt? Proles vero quonam statu fuisset ex materno utero in lucem edita? Si corpore exiguo membrisque infantilibus, obnoxii fuissent pueri innumeris calamitatibus, & deteriores bestiis, quibus nutrices in os inserunt mansa quæque minima & emolita. Quod si robusta virtute, & corpore valenti & confecto; non essent pueri ab hominibus progeniti hujusce naturæ. Generatio denique & libidine perficitur, & corporalis seminis abscissione: quarum una rationem antevertit, & est pœna peccati; altera est mortalitatis & corruptionis indicium: unde Lucæ xx. 34. solis, ut diximus, filiis sæculi degentibus sub necessitate mortis, & contagione peccati res uxoria dicitur convenire. Pugnat ergo præcedens assertio cum parentum, natorum, & generationis conditione & natura.

4. Solutio. Respond. Adam & Evam, licet adultos aptosque ad maritalem complexum non minus, ac modo sint desponsati ætate progressa, statim se ad faciendam generis sui progeniem non applicavisse: *Quia mox creata muliere facta est illa transgressio, cujus merito in mortem destinati etiam de loco illius felicitatis exierunt. Posset etiam dici, quia nondum Deus jusserat ut coirent. Cur enim non ad hanc rem Divina expectaretur auctoritas, ubi nulla concupiscentia tanquam stimulus inobedientis carnis urgebat? Ideo autem non jusserat Deus, quia secundum suam præscientiam disponebat omnia, in qua & eorum casum proculdubio præsciebat, unde jam mortale genus propagandum esset humanum.* Hæc S. Pater lib. ix. de Genes. ad lit. cap. 3. In quibus verbis non ait Augustinus expectandum fuisse universale mandatum, quod jam acceperant, sed peculiare, ut jure nobiliori, quam belluæ, suo obtemperarent Auctori.

5. Solutio quoad prolem

Quod ad prolem attinet, diluitur à D. P. August. in lib. 1. de Peccatorum meritis cap. 37. & 38. *Propter uteri capacitatem* (inquit) *fortasse necesse fuerit parvulos nasci, quamvis cum exigua sit pars corporis costa, non tamen propter hoc Deus parvulam viro conjugem fecit, quam ædificavit in mulierem, unde & ejus filios poterat omnipotentia Creatoris mox editos grandes protinus facere. Sed, ut hoc omittam, poterat certe quod multis etiam pecoribus præstitit: quorum pulli, quamvis sint parvuli, neque accedentibus corporis incrementis etiam mente proficiant, quoniam rationalem animam non habent, tamen etiam minutissimi & currunt, & matres agnoscunt, nec sugendis uberibus cura & ope admoventur aliena, sed ea ipsi in maternis corporibus loco abdito posita mirabili facilitate noverunt. Contra homini nato, nec ad incessum pedes idonei, nec manus saltem ad scalpendum habiles, & nisi opere nutrientis admotis labris papillæ uberis ingerantur, nec ubi sint sentiunt, & juxta se jacentibus mammis magis possint esurientes flere, quam sugere. Proinde infirmitati mentis congruit hæc omnino infirmitas corporis.* Vide & quæ scripsimus lib. 1. cap. 3. opp. 2.

6. Solutio de æstu libidinis & corruptione naturæ.

De æstu libidinis, & corruptione naturæ hæc sit ejusdem Augustini responsio in libro adversus Julianum IV. cap. 5. num. 35. *Cur autem non creditis, hominibus in paradiso constitutis ante peccatum Divinitus potuisse concedi, ut tranquilla motione, vel commixtione membrorum sine ulla libidine filios procrearent, aut in eis saltem libido talis esset, cujus motus nec præcederet, nec excederet voluntatem?* Et lib. XIV. de Civit. Dei cap. 24. *Seminaret igitur prolem vir, susciperet fœmina genitalibus membris, quando id opus esset, voluntate motis, non libidine concitatis.* Proximo cap. 26. solvit etiam quod de violata virginitate opponebatur, his verbis. *Ita tunc potuisse utero conjugis salva integritate fœminei genitalis virile semen immitti; sicut nunc potest eadem integritate salva ex utero virginis fluxus menstrui cruoris emitti. Eadem quippe via posset illud injici, qua hoc potest ejici. Ut enim ad pariendum non doloris gemitus, sed maturitatis impulsus fœminea viscera relaxaret: sic ad fœtandum & concipiendum non libidinis appetitus, sed volun-*

voluntarius usus naturam utramque conjungeret. Ad hæc autem oratio nostra deducta cohibere se debet, ne ulterius progrediatur; nam posthac sapientissimus Augustinus, *De rebus loquimur*, (inquit) *nunc pudendis, & ideo quamvis antequam earum puderet, quales esse potuissent, conjiciamus ut possumus; tamen necesse est ut nostra disputatio magis frenetur eâ, quæ nos revocat, verecundia, quam eloquentia quæ nobis parum suppetit, adjuvetur.*

CAPUT XII.

Quomodo Protoplasti suasione Serpentis præceptum Domini transgressi sunt?

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. & 3. Probatur, Legem homini Latam, ne certæ arboris, cujus species ignoratur, fructum tangeret, fuisse æquissimam.
4. Solvitur objectio.

à num. 5. usque ad 8. Propugnatur, diabolum ad tentandam Evam fuisse usum vero, ac naturali serpente tanquam instrumento.

à num. 9. usque ad 13. Respondetur ad objectiones.

à num. 14. usque ad 16. Propugnatur, transgressionem primorum Parentum plura involvere peccata, quorum tamen primum erat superbia.

1. De mandato Dei, tentatione serpentis, & de lapsu Adam & Evæ.

SED jam ad ærumnas, quæ propter malitiam & carnis necessitudinem nos premunt, ventum est. Præceperat Dominus Adæ & uxori, ne de ligno scientiæ boni & mali comederent facta copia arborum cæterarum. Serpens mulierem decepit, hæc virum; is nos miseram ejus progeniem in cumulum miseriarum dejecit. Hæc omnia brevi complectar, de mandato Dei, de tentatione serpentis, de lapsu protoparentum hac sectione dicturus.

2. Propositio.

PROPOSITIO I. Aequissima fuit lex principio homini lata, ut certæ arboris, cujus speciem ignoramus, fructum non tangeret.

Probatio.

Ratio enim æquitatis postulat, ut creatura suo Auctori subjiciatur, eique præstet obedientiam. At Deus brevissimo illo, levissimoque mandato, *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas*, ut Augustinus ait in libro de Civitate Dei quartodecimo, cap. 15. *Se esse Dominum commonebat.* Postulabat itaque jus æquitatis, ut rationalis homo latam sibi legem inviolabiliter custodiret. Deinde, quoniam magnum est obedientiæ meritum, rectissime autem Angelorum hominumque Creator statuerat, ut plenitudo beatitudinis esset merces arbitrii Divinæ gratiæ adjutorio suffulti, quomodo idem Augustinus docet de Corrept. & Grat. cap. x. xi. sapientissime institutum est, ut aliquo præcepto servando suam exerceret obedientiam. Utramque causam complexus est S. Pater in 11. de Peccatorum meritis cap. 21. scribens: *Absit enim ut bonorum Creator, qui fecit omnia bona valde, mali aliquid in illius etiam corporalis Paradisi fertilitate plantaret. Sed ut ostenderet homini, cui esset sub tali Domino utilissima servitus, quantum esset solius obedientiæ bonum, quam solam de famulo exegerat, cui obedire non propter ipsius dominatum, sed propter servientis utilitatem potius expediret, ab eo ligno sunt prohibiti, quo si uterentur non prohibiti, nihil mali omnino paterentur, ut, quod illo post prohibitionem utentes passi sunt, satis ostenderetur quod hoc eis non intulerit arbor cibo noxio perniciosa, sed tantum obedientia violata.*

3. Quæ species arboris.

Illius arboris speciem incompertam esse non male diximus præced. libro prop. 3. cap. 4. Nam quod traditur in Alkorano fuisse triticum septem spicarum, refutatur ex Genes. ubi legimus non de genere segetum herbarumque, sed de lignorum fuisse. *Quod ergo lignum esset, non est dubitandum*, ait Augustinus lib. VIII. de Gen. ad lit. cap. 6. Opinio Theodoreti & Moysis Barcepha, quam non improbant Isidorus Pelusiota, Gennadius & Procopius, fundamento nititur nimium labili. Ajunt enim fuisse ficum, propterea quod Gen. III. 7. legimus, *Consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata:* putant enim ex eadem planta fructum ac folia Protoparentes legisse. Sed nostri Interpretes inquiunt inverisimile esse quod iterum ausi fuerint arborem illam contingere, unde accidisse sibi maximam calamitatem sentiebant. Addit David Ziegra cum Remonstrantibus aliis, videri probabilius, quod Adam prope arborem non steterit, eoquod non ipse propria manu carpsit fructum, sed hunc

hunc ei detulit mulier. Fecerint ergo subligacula ficus, quod ad tegendam nuditatem habeat hoc arborum genus lata folia; sed, ut S. Pater admonet in VIII. de Gen. ad lit. cap. 5. *Melius est dubitare de occultis, quam litigare de incertis.*

4. Objectio. Objices: Videtur lex nimium rigida tam minimæ transgressioni pœnam innumerabilium calamitatum addicere.

Solutio. Resp. non minimam ac levem, sed gravissimam fuisse priorum hominum culpam. Primo quoniam facillimum fuit in tanta integritate naturæ & magna ciborum copia ab unica arbore in Dei honorem abstinere, nec potuit melius & diligentius commendari quantum malum sit sola inobedientia, ut Augustinus demonstrat lib. VIII. memorati Operis de Gen. ad lit. cap. XIII. & II. de Peccator. meritis cap. 21. Deinde quia ubi magna est inobedientiæ pœna proposita, & res à Creatore facilis imperata, nequit satis explicari quantum malum sit non obedire tantæ potestatis imperio, & tanto terrenti supplicio; inquit Doctor maximus XIV. de Civ. Dei cap. 15. Insuper quia in hac primordiali Dei lege, quam in arboris fructu Deus observari mandaverat, omnia præcepta legis posterioris continebantur, ut luculenter demonstrat Tertullianus in libro adversus Judæos cap. 2. Sed videamus quis fuerit tam perniciosæ inobedientiæ primis Parentibus Auctor.

5. Propositio 2. PROPOSITIO II. Suasor primi peccati fuit Diabolus, usus, ut mulierem alloqueretur, vero ac naturali serpente tanquam organo & instrumento.

Sentimenta aliquorum. Ita cum cæteris Fidei luminibus S. Pater XI. de Genesi ad literam cap. 2. & XIV. de Civit. Dei cap. XI. paucis Catholicis repugnantibus. Origenes tamen & Philo serpentis nomine designari putant aut appetitum sensitivum interius percellentem, aut Diaboli suggestionem nullo visibili corpore assumpto peractam. Ab his non dissentit Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus. Nonnulli apud Fagium Comment. in Genes. serpentis nomine significari tradunt linguam animalis à serpente diversi. Rabbi Abenesra ait Diabolum, nullatenus Evam aggressum, sed colubrum naturali facultate loquentem. Ophitæ, quibus Marcionis & Manichæi assecla assentiuntur, inquiunt serpentem illum fuisse spiritum Deo meliorem: cui gratias agunt, quod per ipsum hominibus cibus, per cibum visus, per visum mulieris cognitio, per hanc nuptiæ, per istas vero mundo bona innumera accesserint. Hos omnes parum negotii est refutare.

6. Probatur verum ac naturalem serpentem assumptum à dæmone. Ac primo verum ac naturalem serpentem assumptum à Dæmone demonstratur, quoniam Geneseos III. 1. ubi legimus: *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ*, habetur hebraicum vocabulum נָחָשׁ *Nachasc* quod genus quoddam reptilium significat, ut constat ex lib. Exodi IV. 3. Deuter. VIII. 15. & Jeremiæ VIII. 17. Præterea huic vocabulo præfigitur litera pædagogica ה, *He*: quæ juxta regulas Grammaticorum nota est aut pronominis, aut articuli & regiminis, aut interrogationis, aut significationis propriæ, ut demonstrant Joannes Paschius, & Salomon Glassius. At hoc loco neque articuli, neque pronominis, neque interrogationis nota est: Ergo significationis propriæ & literalis. Rursus comparatur eodem versu *Serpens* cum cæteris animantibus terræ. Igitur est etiam ipse terrenum animal. Affert non solum Guilelmus Estius in 2. dist. 21. §. 1. & alii Scholastici, sed etiam memoratus Paschius, & Jo. Frischmuth Acatholici maledictionem in serpentem prolatam; sed non desunt qui hanc ad solum Diabolum pertinere arbitrentur, ut idem Estius scribit sequenti §. quartodecimo: unde ex hac maledictione natura serpentis nequit certo deprehendi: etsi, ut mox dicam, defendi possit serpentem quoque naturalem fuisse à Deo maledictum.

7. Probatur, in serpente latuisse dæmonem. Delituisse in colubro Diabolum & scriptura & ratio suadent. Nam legimus lib. Sap. cap. II. 24. *Invidia autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Et Jo. VIII. 44. *Ille homicida erat ab initio.* Apocalyps. etiam XII. 9. appellatur Diabolus *Serpens antiquus.* Neque poterat animal ratione carens mulierem alloqui, cum ea differere, ac tanta vafritie illam ad exitium impellere. *Non itaque serpens verborum sonos intelligebat, qui ex illo fiebant ad mulierem. Neque enim conversa credenda est anima ejus in naturam rationalem; quandoquidem nec ipsi homines, quorum rationalis natura est, cum dæmon in eis loquitur ea passione cui Exorcista requiritur, sciunt quid loquantur.* Ait S. Pater XI. de Gen. ad lit. cap. XVIII. Et paucis interjectis naturam humanam primitus seductam dæmonis in serpente colloquio conjicit etiam ex eo, quod nullum aliud genus animantium soleat moveri incantationibus, ut serpentium, quasi ad primæ tentationis memoriam commendandam quædam sit illi, id est dæmoni, cum hoc genere familiaritas.

Ophi-

8. Quid de Ophitarum deliramentis.

Ophitarum vero deliramenta recitasse, ac refutasse idem est. Nuptiæ enim sunt ante suggestionem serpentis institutæ, atque etiam in statu innocentiæ fuisset humani generis propagatio. Neque credendum est, spiritum bonum fuisse auctorem mortis, & inobedientiæ præconem. Aperti sunt autem post culpam oculi prævaricatorum ad intuendum quod novum in eorum corpore acciderat patentibus eorum oculis nudo. Audiatur Augustinus, qui Marcionitas Ophitasque aperte refellit in libro 1. de Nudtiis ad Valerium Comitem cap. 5. *Quomodo à se adductis animalibus terrestribus & volatilibus omnibus, Adam clausis oculis nomina posset imponere, quod nisi discernendo non fecerat, discernere autem nisi videndo non posset? Quomodo ipsa mulier ei demonstrata est, quando ait: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea? Postremo si usqueadeo quisquam fuerit contentiosus, ut hæc eum dicat non cernendo, sed palpando potuisse cognoscere, quid dicturus est, quod ibi legitur mulier lignum, de quo fuerat cibum sumptura, prohibitum vidisse quod esset speciosum oculis ad videndum? Erant itaque nudi, & non confundebantur, non quia non videbant, sed quia nihil unde confunderentur in membris sensérant quæ videbant.* De specie serpentis hoc unum dicam, ab Eugubino credi fuisse basiliscum, à Pererio Scytalem ornatam præfulgida tergi varietate, ab aliis viperam: sed incerta res est, nec multum Theologis refert in eam inquirere.

9. Objectio Aben-Esræ.

Arguit Aben-Esra à naturali serpente Evam fuisse tentatam. Nam Satanas super ventre non graditur, nec vescitur pulvere. At serpenti ait Dominus Gen. III. 14. *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Non ergo serpens ille erat Satanas. Contra hoc eodem argumento quidam probant serpentem illum nonnisi Satanam fuisse. Enimvero, inquiunt, serpenti progredi humi rependo est inditum à natura, non pœna: Atqui serpenti Evæ deceptori in pœnam datum est, ut gradiatur sine pedibus ventre: Ergo serpens tentator mulieris verus serpens non fuit. Et quidem verum non fuisse serpentem pluribus argumentis evincitur. Primo quod in tertio Geneseos dicitur *callidus*, in versione LXX. προνιμώτατος *plurimum prudens*, à Hieronymo *nequam & versipellis*, in multis Latinis Codicibus, teste Augustino XI. super Genesim cap. 2. *sapientissimus*: quæ non possunt stupido & irrationali serpenti convenire. Deinde inverisimile est Deum cum reptili rationis experte eodem modo, ac hominibus fuisse locutum, eique peccandi nescio tanta indignatione probra ac maledicta dixisse. Præterea eccur Satanas corpus serpentis ingressus est; non vero animantis alterius membrorum forma venustioris? Quomodo etiam fieri potuit, ut mulier colubrum non horreret, aut saltem eo loquente non detegeret latentis spiritus fraudem? His suaderi potest non aliud fuisse Serpentis nomine significatum, quam aut sensitivum hominis appetitum, aut dæmonem.

10. Solutio.

Resp. ad argumentationem Aben-Esræ præfatam maledictionem ad serpentem antiquum, id est, Diabolum certissime pertinere: quippe non minus cum serpente, quam cum cæteris venenatis, & feris animantibus nobis inimicitiæ sunt, & verisimile non est ea, quæ de serpente dicuntur, pœnam esse reptilium terrestrium, non insitas à natura proprietates. Etsi enim Interpretes recentiores inquiunt, facile esse hanc maledictionem etiam de vero serpente exponere, nam labefactato per culpam dominio hominis super bestias serpens homini noxius & abominabilis factus est, & quod erat conditio naturæ, transiit in pœnam, quemadmodum nuditas, & partus mulierum, aliaque permulta; hæc tamen me plane non convincunt, cum serpens nec pudoris, nec pœnitudinis sit capax, nec fortassis ullius doloris ac sensus: &, quod nuper dicebam, non foret singulariter serpens maledictis illis vexatus, cæteris quoque nocivis belluis & repentibus plurimis, & talo hominis insidiantibus. Atque hæc adeo vera sunt, ut Didymus, Basilius, Ephrem Syrus, & Chrysostomus, qui maledictionem de vero serpente accepere, senserint olim pedes habuisse, hisque postmodum vi maledictionis Divinæ deperditis repere. Proinde Augustinus cap. 36. libri super Genesim XI. *Tota* (inquit) *ista sententia figurata est, nec aliud debet ei Scriptoris fides, narrationisque veritas, nisi ne illam dictam fuisse dubitemus.* Haud me fugit viros doctos reponere historicam narrationem esse: pœnam infictam non propter serpentem, sed propter hominem; & Diabolum ipsum ante aggressionem fæminæ damnatum & exosum fuisse. Verum hæc parum urgent: nam & nos literaliter omnia explicabimus, ita tamen, ut conditiones serpentis, ad quas fit allusio, sint velut cortex parabolæ, & maledictio cadat in diabolum, qui sub anguis exuviis seducta Eva, pœna

etiam in naturalibus serpentium proprietatibus expressa mulctandus erat. Neque tanta ei fuerat tentandi homines potestas, clanculum præsertim, & veluti calcaneum mordendo, per sensuum illusiones, atque vicissim tanta in eum humani generis abominatio, & pugnandi etiam & conterendi caput ejus facultas, quanta miserandum Adæ lapsum fuit consecuta. Ita ergo literalem sensum recipiendum arbitror, ut quatenus sententia maledictionis prolata est, sit figurata, & appellet Diabolum puniendum spiritaliter supplicio significato in proprietatibus vere ac proprie inditis naturæ serpentis: quemadmodum colloquium fallax, & fraudulenta tentatio fuerat solius spiritus nequam reapse tamen per lubricum animal tortuosis anfractibus mobile; ut Augustinus ait in XIX. de Civit. Dei cap. XI. Quod si adhuc contendas maledictionem illam ad utrumque serpentem pertinere, nullatenus repugnabo: nam & pro hac sententia sunt modo à me momenta quædam inserta, & plura suppeditabunt Estius in 2. dist. XXI. §. 14. Sylvius opusculo VIII. in cap. 3. Geneseos, Spondanus An. Mundi 1. num. v. qui tamen fatentur in ea maledictione sensum mysticum primario à Deo intentum, referendum utique ad Diabolum, qui maleficii, & casus miserabilis auctor extitit. Graditur autem Diabolus super pectus, & terram comedit, quoniam invidentia, dolis, & superbia homines circumvenit, serpitque, & fluctuatione cupiditatum agit, terrenosque & voluptatibus deditos quasi devorat, & depascitur. Sed vide hæc apud Augustinum citato loco, & lib. 2. de Genesi contra Manichæos cap. 17. exposita & enucleata. Ac de maledictione serpentis hactenus.

11. Responsio 1. contra argumenta probantia diabolum non assumpsisse verum serpentem.

Nunc ex ordine ad argumenta, quæ probare videntur Diabolum non assumpsisse verum serpentem, est respondendum. Atque ad primum dico serpentem prudentiæ & astutiæ laude commendari, quod sit animal præ aliis dexteritatem habens ad malum vitandum, caudam in via medio corpori inferens ne à viatoribus detruncetur, & caput erigens ut videat an quisquam veniat ei nocumentum allaturus. Dormiens etiam sese torquens corpus totum plectit, ut caput communiat, & senium sentiens in rimam petræ se insinuat, ac pronus per foramen nititur, exuitque vetustatem. Hinc prudens dicitur, callidus, sapiens; ut columba laudatur ob simplicitatem, & formica ob sagacem industriam. Potest etiam iste serpens, *non irrationali anima, sed alieno spiritu, id est, Diabolico, sapientissimus dici omnium bestiarum*, ait Sanctus Pater XI. de Gen. ad lit. cap. 2. Joannes Frischmuth cum Drusio reprehendit Hieronymum, quod in lib. de Tradit. Hebræis interpretatus sit עָרוּם *Harum*, callidum, *nequam & versipellem* cum omnia, inquit, essent valde bona: sed inconsiderata, aut audaci animadversione; primo quoniam ita reddiderunt etiam Aquila, & Theodotion: deinde, quia sermo est de serpente, & malo spiritu illum exagitante: rursus quia Fagius ejusdem cum Frischmutho religionis Comment. in 3. Gen. scribit: עָרוּם *Hebræis æquivocum est ad nuditatem, astutiam, versutiam, & calliditatem.* Revera cap. 2. versu ultimo Adam, & Eva eodem vocabulo appellati sunt עֲרוּמִים *Harumim*, nudi.

12. Responsio 2.

Quod sequitur nullius est momenti; cum Deus etiam rebus sensu carentibus nutu & voce imperet in summæ auctoritatis, & omnipotentiæ testimonium. Erat insuper Domini reprehensio principaliter ad seductorem spiritum directa; unde serpens cur hoc fecerit non est interrogatus: *Quia non ipse in sua natura & voluntate fecerat, sed diabolus de illo, & per illum, & in illo fuerat operatus*, inquit S. Pater XI. de Gen. ad lit. cap. 36. num. 49. Assumpsit vero Satanas corpus serpentis, non bestiæ alterius quia illud assumere permissus est, & non aliud, *ut per naturam serpentis significaretur genere hominum, omnis diabolicæ tentationis similitudo;* ait eodem libro Augustinus cap. 28. n. 35. Est autem hæc similitudo, quod per infirmiores potentias spiritualiter serpendo, & suavi persuasionis sibilo permulcendo, venenum sensim instillat. Addit Spondanus, libentissime diabolum elegisse serpentem, ut hominem per vilissimum animal prosterneret ac superaret.

13. Responsio 3.

Ad illud vero, quod postremo loco sequitur, hoc habeto responsum. Mulier colubrum non timuit, non quod animalia tunc loquendi facultatem haberent, ut in 1. Antiquitatum libro cap. 2. Joseph commentus est; sed quoniam nulla erat causa timoris, ubi cuncta ad nutum hominis serviebant, quomodo Chrysostomus ait homilia in Genesim sextadecima. Cur vero non sit admirata, non unam causam apud Scriptores invenimus.

Existi-

Existimat S. Thomas q. XCIV. art. 4. mulierem putavisse, quod serpens loquendi officium accepisset supernaturali aliqua operatione. Docent alii ignorasse, num naturaliter sermonem habere posset etiam animal, quod noverat à Deo creatum : sed nihil prohibet quin ultro concedamus fuisse Evam demiratam, & rei tam novæ eventum expectavisse, ut Jansenius scribit in tertium Gen. v. 1. Notatione tertia.

14. Propositio 3.

PROPOSITIO III. In transgressione primorum parentum plurium peccatorum reperitur complexio, sed est primum, & radix cæterorum superbia.

Eva plura commisit peccata.

Non uno peccato Evam deliquisse satis constat; fuit enim *superba* Dei scientiam affectans, *inobediens* Divinum mandatum transgressa, *curiosa* fructum vetitum contemplando, *Impœnitens* malitiam propriam excusans, & viro suo *scandalosa* eundem trahens in perditionem. Sed tribus præsertim modis Satanas illam tentavit : infidelitate, ne crederet se morituram; immoderata cibi aviditate, ut de ligno scientiæ comederet; & inani gloria, & promissione deitatis, cum dixit, *Eritis sicut Dii.* His omnibus sceleribus sese Adam coinquinavit, qui etiam peccavit amore in mulierem inordinato, eo iniquior, quo in dignoscendis diaboli fallaciis sapientior, & fortior ad has repellendas.

15. Probatur primum peccatum fuisse superbiam.

Horum peccatorum primum fuisse superbiam, demonstrant Divinæ scripturæ, & ratio ex Augustino deprompta. Etenim Prov. XVI. 18. legimus, *Contritionem præcedit superbia : & ante ruinam exaltatur spiritus.* Et Eccl. X. 14. 15. *Initium superbiæ hominis Apostatare à Deo : quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus, quoniam initium omnis peccati est superbia.* Augustiniana ratio hæc est in lib. XIV. de Civit. Dei cap. XIII. *In occulto autem mali esse cœperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur. Non enim ad malum opus perveniretur, nisi præcessisset mala voluntas; porro malæ voluntatis initium quid potuit esse, nisi superbia ? Initium enim omnis peccati superbia est. Quid est autem superbia, nisi perversæ celsitudinis appetitus ?* Ita ergo casus miserandus accidit. Præcessit serpentis interrogatio, deinde timoris expulsio, posthac suggestio, & Divinitatis ac summæ scientiæ promissio. Tum mulier Dei similitudinem transgressione præcepti appetere, mentis elatione superbire, averti à bono incommutabili, in pœnam præsumptionis decipi, fidem præbere suadenti, fructum comedere, exhibere marito. Quod callidus serpens ad extremum pollicitus est, primo muliebrem animum contaminavit, traxitque ad arborem, à qua fuerat exordium sermonis. Hinc facile est conciliare sententias Patrum, quorum alii primum peccatum infidelitatem, alii inobedientiam, alii inanem gloriam appellaverunt. Nam infidelitas & mendacium principio apparet in suasoris sermone : inobedientia & vetiti fructus degustatio primum peccatum est operis; elatio autem & præsumptio est malæ voluntatis initium. Legite lib. XI. de Gen. ad lit. cap. 30. & memoratum caput XIII. de Civit. Dei.

16. De peccato Adæ.

Adam vero postquam ab Eva certior factus est suggestionis diabolicæ, appetens & ipse præter ordinem rectum Divinitatem ac sapientiam, quamvis forte amplis Satanæ promissis non fideret, noluit uxorem contristare, & fructum, quem porrigebat, comedit magis deceptus benevolentia mulieris, quam fraude serpentis. Nec tamen primum Adæ peccatum fuit in uxorem studium & amor : *Quoniam si voluntas in amore superioris immutabilis boni, à quo illustrabatur ut videret, & accendebatur ut amaret, stabilis permaneret; non inde ad sibi placendum averteretur, & ex hoc tenebresceret, & frigesceret, ut vel illa verum crederet dixisse serpentem, vel ille Dei mandato uxoris præponeret voluntatem, putaretque se venialiter transgressorem esse præcepti, si vitæ suæ sociam non desereret etiam in societate peccati.* Hactenus loco nuperrime laudato Augustinus.

CAPUT XIII.

De pœnis, quæ justa retributione Adæ inobedientiam consecutæ sunt.

SUMMARIUM.

1. Præmittitur notandum generale.
2. Additur notandum speciale de morte.
3. Probatur, mortem esse pœnam peccati.
à num. 4. Usque ad 10. Refutantur responsiones Socini.
à num. 11. Usque ad 15. Solvuntur reliquæ objectiones.
16. Habetur notandum de ignorantia.
17. Ostenditur, ignorantiam pariter esse pœnam peccati.
18. & 19. Respondetur ad oppositionem.
à num. 20. Usque ad 22. Annotantur aliqua de concupiscentia.
23. Asseritur, concupiscentiam esse pœnam peccati.
24. & 25. Respondetur ad contraria.
26. Agitur de pudore nuditatis.
27. & 28. Enervatur Phereponi argumentatio.
29. 30. & 31. Propugnatur una cum solutione contrariæ rationis, verè Deum Adamo, & Evæ tunicas pelliceas fecisse.

1. De pœnis inobedientiæ Adami.

ADAMI transgressionem innumeræ propemodum calamitates subsequuntur. Primo desertor factus æternæ vitæ, etiam æterna, nisi gratia liberasset, morte damnatus esset. Tum, cum posset antea quidquid vellet, nunc, sicut in ejus stirpe cognoscimus, cupiditatibus noxiis abripitur. Harum vero motus obscœnos, atque ad turpes voluptates incitamenta non solum comitantur pudor & verecundia, quæ in probis honestisque juvat moderandæ libidini, sed etiam interitus libertatis, non quidem à necessitate, ut contendunt hæretici, sed à concupiscentia & lege peccati, quæ ad malum inclinat. Posteaquam enim facta est præcepti transgressio, confestim gratia Divina deserente de corporis nuditate confusus est, sensitque motum inobedientis carnis suæ tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ suæ. Cœpit deinde lucem formidare Divinam, refugit in tenebras atque in devia, umbras appetens. Corpus quoque miseriis, quas modo experimur, affectum est, fame, siti, exilio, agrorum sterilitate, alienatione & simultate ferarum, & necessitate moriendi. Videndus Augustinus de Civit. Dei lib. XII. cap. 15. de Peccatorum meritis & remiss. lib. I. cap. 3. & sequentibus, de Gen. contra Manich. II. cap. 19. & de Gen. ad literam lib. VI. cap. 25. & lib. XI. cap. 39. De quatuor præsertim pœnis hoc loco disputare proposui, de morte corporis, de ignorantia, de concupiscentia, & de pudore nuditatis.

De Morte.

2. Quid Pelagiani & Sociniani de morte.

Et de morte quidem disquirendum est non tantum propter hæresim Pelagianorum negantium hanc pœnam esse peccati, verum etiam propter Socinianos, quorum columen acutus & callidus Faustus cum Francisco Puccio Florentino anno 1577. congressum habuit contentiosum. In quo tergiversator ille ita hominem natura mortalem fuisse contendit, ut suapte natura morti fuerit subjectus, nec in ipsa creatione donatus tali gratia, qua potuisset à morte perpetuo immunis servari. Hujus autem assertionis prima pars vera esse potest, & poterat eam Puccius salvo catholico dogmate declinare; non enim immortalitas primi hominis erat conditio naturæ, sed gratiæ Dei beneficium: & quod Faustus tanta ingenii alacritate, & ambiguitate verborum frequentissime inculcat, primi hominis corpus fuisse animale, dissolubile, & mortalitate affectum inspecta natura sua, poterat ultro concedi. Sed ita fuisse mortale, ut etiam fuerit morti subjectus, antequam Adam laberetur, atque, ut Socinus ait pag. 258. & 276. tom. 2. Bibliot. Fratrum Poloniæ, in sua creatione Divina gratia fuisse destitutum, nec conservationi ejus vitæ fuisse prospectum, sapit aperte antiquiorem hæresim Pelagianam.

Aliud est non posse mori, aliud posse non mori.

Ut audaciam, qua Sociniani Divina testimonia solent contortis interpretationibus eludere, refellere quisque valeat, observandum est, quod cap. 9. prænonui cum Augustino lib. VI. de Gen. ad literam cap. 20. aliud esse non posse mori, aliud posse non mori; aliam immortalitatem, quæ est conditio naturæ solis incorporalibus substantiis conveniens, aliam immortalitatem quæ est beneficium Conditoris, & potest etiam rei corporeæ concedi, si quotidianæ corruptionis reparetur supernaturali virtute defectus. Animadvertendum quoque discrimen esse inter *mortale*, *mortuum*, & *moriturum*. Mortale est enim quod potest mori; moriturum quod mori debet:

bet: mortuum quod jam vita caret. Potest autem corpus esse mortale, quamvis non moriturum, *sicut hoc nostrum potest, ut ita dicam, esse ægrotabile, quamvis non ægrotaturum*, inquit Augustinus in 1. de Peccatorum meritis cap. 5. Male ergo distinguit Socinus inter immortale & mortale, quod istud sit morti subjectum, illud nequaquam; quod enim morti subjectum est, non est *mortale* tantum, sed *moriturum;* quemadmodum quod est vulnerabile, potest quidem vulneribus perfodi, sed necesse non est, ut vulneretur reapse. Recte tamen quod morti subjicitur, appellatur mortale, ut infra.

3. Propositio.

PROPOSITIO: Mors est pœna peccati; id est, poterat homo sibi mortem conscisere, ut fecit, sed non erat moriturus nisi peccasset.

Probatur mortem esse pœnam peccati.

Definita est hæc veritas à Synodo Palestina, ut S. Pater refert de Gestis Pelagii cap. 3. à Carthaginensi V. & Tridentina sess. v. can. 1. At Adversarii, cum quibus congredimur, nullam Sanctorum Conciliorum, ac Patrum rationem habent. Eos itaque ex sacris literis refellere instituimus. Genes. enim 11. 17. ita Dominus Adamum allocutus est: *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: In quacunque die comederis ex eo, morte morieris.* Legunt Hebræi תָּמוֹת מוֹת *moriendo morieris*, id est, erit tibi mors inevitabilis, & eris obnoxius morti certo superventuræ: quam significationem inesse istiusmodi reduplicationi constat ex Gen. XXXVII. 33. Exodi 19. 12. 3. Regum 11. 37. Vertit hunc locum Targum, *Eris reus mortis:* Symmachus, & Hieronymus, *Mortalis eris:* Vatablus, *Morti eris obnoxius:* Robertus Stephanus, Pagninus, Arias Montanus, Antiquior Itala, *moriendo morieris:* Fagius, *tunc incipies esse mortalis:* Græci, θνητὸς ἔσῃ, *eris mortalis:* Omnium ergo consensione Hebræorum, Latinorum, Græcorum, Syrorum cum primum Adam peccavit, sese ostrinxit moriendi necessitate, & antea poterat non mori. Mors ista, cui homo prævaricator se subjecit, non solum certitudinem, sed etiam vehementiam quamdam habere ex memorata hebraici sermonis phrasi certo certius colligitur, & pro utraque morte animæ, & corporis verba Geneseos apposite explicantur ab Augustino lib. XIII. de Civit. Dei cap. 12. Esse quoque accipienda de morte corporis, imo de ista principaliter, ex ipsa scriptura, & ex ratione manifestissime evincitur. Enimvero Deus hominem puniens dixit, *Terra es, & in terram ibis*, quod *nisi de morte corporis, quomodo intelligi possit, ignoro*, inquit idem Augustinus in primo de Peccatorum meritis cap. 3. Ratio autem satis aperta hæc est, quoniam in citato Geneseos textu Deus pœnam comminatur, & mors animæ est ipsa culpa, per quam convertens se ad commutabile bonum libere à Deo recedit. Non ergo de morte animæ sola accipiendus est locus Geneseos, alias sola culpa, non pœna esset à Deo prænunciata: & verborum illorum, *Quocunque die comederis, morte morieris*, sensus foret non satis aptus, *Cum peccabis, peccabis.* Atque hæc etiam communi sensu probantur, Hebræorum quoque, ut constat ex Sixto Senensi lib. v. Bibl. Sanctæ anot. 43. & 52. nec non Buxtorfio in Append. ad dissert. 2. Hujus argumentationis summa est: Ex versu 17. secundi capitis Geneseos liquet Adam mortalem factum esse, id est morti subjectum, atque interitu lata lege superventuro rediturum in pulverem, quoniam mandatum de non comedendo ligni vetiti fructu transgressus est. Non esset ergo morti obnoxius, nec moriturus, si præcepto Domini obtemperasset.

4. Exceptio Socini.

Excipit hæc Socinus respondens Deum, postquam homo lapsus fuit, perspicue declarasse quid per mortem Gen. 11. v. 17. intellexisset. Ait enim: *Quia audisti vocem uxoris tuæ & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vescêris panem tuum, donec revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Gen. 111. 17. 18. 19. Vides mortis, non tanquam pœnæ mentionem fieri, sed tanquam termini, ad quem ipsa pœna duratura sit, nec infligi mortem à Deo, nec tanquam aliquid pristinæ hominis naturæ contrarium, vel dissimile commemorari; sed solum declarari hominem subjectum morti, tanquam rei, quæ ipsius hominis naturæ, & materiæ ex qua constabat, propria esset, eique valde consentanea. Addit Socinus: Cum moriturum aliquem pronunciamus, cum ut mortem caveat monemus, cum mortis reum esse affirmamus, & cum mortem alicui minitamur, & similia innumera quotidie dicimus, nunquam de morte ipsa naturali loquimur, sed vel de violenta, aut quæ nobis

bis immatura videtur, vel de infelici vita verba facimus; atque hoc sensu verba Geneseos esse explicanda.

5. Refutatio. Sed hæc nullius sunt momenti; excurrit enim Socinus de secundo ad tertium caput Geneseos. In cap. 11. versu 17. Deum mortem minitari, aperte probatum est. Socinus ipse pag. 260. fatetur ex hebraici sermonis proprietate illa verba, *morte morieris*, significare, *certissime morieris*, sive incurres in necessitatem moriendi, ut annotatum in Bibliis Roberti Stephani; & hominem ante lapsum, quamvis natura mortalis esset, non tamen obnoxium morti penitus & necessario. Ergo necessitas moriendi pœna est. Etiam sterilitatem terræ & reliqua cap. 3. commemorata pœnam esse, imo mortis præludia, aut etiam mortem defluentem, & sensim dissolventem corpora, donec in pulverem revertatur, puto neminem diffiteri. Abit etiam homo in cineres, & materiæ, ex qua constat, consentanea est dissolutio; non enim erat homo immortalis naturâ, sed gratiâ; ideoque nullus negat redire hominem in pulverem, quia de pulvere sumptus est. Sed contra naturæ defectum plantavit Dominus in medio Paradisi lignum vitæ tribuens *stabilitatem contra vetustatem*, ut Augustinus ait, & ostendimus cap. IX. Quod ergo tam salubri ac mirabili cibo homo privatus sit, debetur merito transgressionis; & ideo naturalis conditio appellari non potest. Nam ut ipsius Socini exemplo utar, violentam mortem, & illatam sublato alimento, nemo unus dixerit naturalem. Illud vero quod ait hanc solam mortem, quam immaturam & violentam appellamus, infligi propter peccatum, non mortem absolute, quæcunque ea demum sit, ipsis Scripturæ verbis apertissime refutatur. Non enim Adamo dictum est, quacunque die comederis, morieris aut veneno, aut laqueo, aut ferro, sed *morte morieris*, id est, certissime morieris; nec illius genere mortis, violentæ scilicet, legimus Adamum fuisse interemptum. Violentum quippe dicere consuevimus, quod ab exteriori causa vim patitur. Si autem violentum appellas quidquid est contra inclinationem naturæ; do utramque manum, & mortem violentam esse profiteor. Verum quis, nisi omnino desipiat, affirmabit esse naturale quod naturæ inclinationi adversatur? Nunc sane cum mortem prænunciamus & lamentamur, loquimur sæpenumero de morte violenta, vel immatura; sed posteaquam incurrit homo in necessitatem moriendi: quâ positâ sit pœna actualis peccati mortis acceleratio vel turpitudo, quemadmodum facta est pœna originalis culpæ ipsa necessitas moriendi.

6. Probatur 2. Secundum pro Catholico Dogmate argumentum sit: Sap. 1. 13. legitur: *Deus mortem non fecit;* & cap. 11. 23. *Quoniam creavit Deus hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Invidia autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum.* At si homo conditione naturæ morti esset obnoxius, non regnaret mors propter dæmonis invidentiam, nec Deus hominem creasset *inexterminabilem*. Igitur homo non est morti naturaliter subjectus.

7. Objectiones. Reponit Adversarius primo, Sapientiæ librum ad confirmanda nostræ Religionis decreta nullam vim & auctoritatem habere. Deinde ait, mortis nomine, non illam significari quæ est naturalis, & omnibus communis conditio, sed immaturam, miseram, & violentam. In primo enim cap. v. 12. Auctor hominem hortatur ad evitandam mortem; & mors quæ omnibus dominatur vitari non potest. Manifeste, inquit, idem ostendunt verba postremi versus: *Impii autem manibus & verbis accersierunt illam.* Sequenti autem capite ait duntaxat, impiorum Diabolum imitantium proprium esse alicui perditionem & mortem machinari, quemadmodum ille homicida fuit ab initio. Ac de impiis mortem alteri inferri conantibus scriptorem loqui manifestum est ex verbis sequentibus: *Imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.*

8. Solutiones. Verum & hæc levissima sunt. Sacrorum librorum Canonem non privatorum hominum judicium, sed universalis Ecclesia debet definire. Sapientiæ liber in Divinorum voluminum serie tertii Carthaginensis Concilii, Romanorum Pontificum Innocentii & Gelasii, Tridentinæ Synodi notissimis decretis, & Patrum testimonio censetur; eumque laudarunt *etiam temporibus proximi Apostolorum egregii Tractatores*, ait S. Augustinus de Prædest. SS. cap. 14. Videant nunc Sociniani, qui nollent calliditatis insimulari, quanta vafritie Faustus apertissima Divinorum librorum verba contorqueat. Concedo Auctorem loqui de morte violenta, & adversus impios, qui illam proximo machinantur. Peto autem, quo sensu creavit Deus hominem *inexterminabilem?* Quoniam creavit illum integrum & incorruptum, ac propterea sui similem, inquit pag. 161. *in animi incorruptione*, quam significat vocabulum græcum

cum ἀφθαρσία. ait pag. 328. Veruntamen si Auctor scribit adversus eos, qui morte turpissima corporis inimicos afficiunt, & Diabolum imitantur, per quem mors violenta introivit in mundum, occiditque hominem creatum à Deo integrum & incorruptum; quis non videt hominem etiam in corpore à Deo *inexterminabilem* conditum esse? Græcum autem vocabulum non solius animi integritatem, sed immortalitatem quoque absolute significat. Ἀφθαρσία *non minus pro integritate, quam pro immortalitate usurpatur*, ait, ægre licet, ipse Socinus. Immortalite ergo, non minus, ac integritate animi Deus hominem exornaverat. Cap. I. v. 12. ubi legitur, *Nolite zelare mortem,* monemur, ne illam quasi summo studio arcessamus, puta vino, veneri, & vitiis reliquis indulgentes. Sunt enim ζηλωταὶ *vehementer studiosi.* Et recte; quæ enim invidiâ Diaboli, ac inobedientiâ primi hominis introivit in mundum, peccati stimulo celerat & accersitur. Versu sequentis cap. ultimo habent Græci pro, *immittantur illum*, περιάζεσι αὐτὸν *irritant illam*, id est, mortem, quæ invidiâ Diaboli seducto Adam communis est, impii advocant & attrahunt. Itaque Socinus *sequitur semper ancipitem sensum, statum quæstionis turbare nititur, & frustra laborat in invenienda alia morte, cujus auctor fuerit Deus, ante eam, quæ intravit per peccatum, cujus perhibetur auctor Diabolus:* inquit non male in defensione argumentorum suorum Franc. Puccius.

9. Confirmatio. Præterea ad Rom. VIII. 10. scribit Apostolus: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum.* Recte de his Augustinus lib. I. de Peccatorum meritis cap. 4. *Puto quod non expositorem, sed tantum lectorem opus habet tam clara, & aperta sententia. Corpus, inquit, mortuum est, non propter fragilitatem terrenam, quia de terræ pulvere factum est, sed propter peccatum: quid amplius quærimus?* Nec est cur aliquis objiciat Augustinum ibidem asserere corpus Adæ fuisse ante peccatum *mortale*; ut enim superius diximus, mortale appellat quatenus mori poterat, non mortale, quasi obnoxium morti; & *mortale* distinguit à *morituro: Sed & illud corpus* (inquit) *jam erat mortale, quam mortalitatem fuerat absumptura mutatio in æternam incorruptionem, si in homine justitia, id est, obedientia permaneret: sed ipsum mortale non est factum mortuum, nisi propter peccatum.* Sive mortale erat quia poterat mori, immortale, quia poterat non mori; ut non uno in loco explicavimus.

10. Roboratio. Idem Apostolus ad Rom. v. 12. *Per unum hominem* (inquit) *peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors.* Hæc verba, quatenus originale peccatum differte probant ab interpretamentis Pelagianorum, & à cavillis Erasmi, & Joannis Phereponi libro proximo vindicabimus. Sufficit nunc animadvertere, quod sola lectione satis patet, mortem peccati stipendium esse. In Epistola pariter ad Corinth. I. cap. XV. 21. scribit Paulus: *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Non potest explicari Apostolus de sola morte animæ, cum & peccatum à morte distinguat tanquam effectum à causa, & sermonem instituat de corporis resurrectione. *Hanc illi mortem non corporis, sed animæ intelligi volunt, quasi aliud dictum sit ad Corinthios, Per hominem mors, ubi omnino animæ mortem accipere non sinuntur, quia de resurrectione corporis agebatur, quæ morti corporis est contraria*, ait Augustinus lib. I. de Peccator. meritis cap. VIII. Itaque mors corporis per Adæ culpam in mundum ingressa est.

11. Instantia Socini. Occurrit Socinus Apostolum non esse de morte naturali ullatenus accipiendum. Primo quia Apostolus eodem loco appellat corpus Adami *animale*, dicens: *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Atque ut demonstret corpus *animale* esse, versu 45. affert verba Geneseos II. 7. *Factus est primus homo in animam viventem:* quæ proculdubio de corpore Adæ innocentis dicta sunt. *Animale* autem corpus quale sit, jam Paulus explicaverat, nempe vile, corruptibile, infirmum. Ergo antequam peccaret, corpus vile corruptibile, infirmum habuit primus homo. Deinde subjicit Apostolus corpus hoc nostrum destruendum esse, quod terreni simus, ut immortalitate donemur, quemadmodum semen non vivificatur, nisi prius moriatur. Atqui erat *primus homo de terra terrenus*, teste ipsomet Apostolo ibidem v. 47. Destruendum itaque erat illius corpus, etiamsi non peccasset. Ulterius Apostolus opponit corpori *animali*, quod generatur ex Adam, corpus *spiritale*, quod vivificatur per Christum. Istud erit immortale & incorruptibile. Erat ergo illud natura sua morti, & corruptioni subjectum.

12. Solutio. Hæc ejusdem cum præcedentibus farinæ sunt. *Animale est hoc corpus sicut pri-*

primi hominis fuit, sed hoc jam in ipso animalis genere est multo deterius; habet enim necessitatem moriendi, quam illud non habuit: inquit Augustinus lib. VI. de Gen. ad lit. cap. 26. Itaque corpus Adami erat *animale*, quia poterat mori, & etiam ante lapsum utebatur escis ad reparationem calidi, & humidi, unde animalis vita pendet. *Sed ligno vitæ à mortis necessitate prohibebatur, atque in juventutis flore detinebatur: & ideo non spiritale, sed animale fuisse non dubium est; nequaquam tamen moriturum, nisi in Dei prædicentis, minantisque sententiam delinquendo corruisset*: ait idem Augustinus lib. XIII. de Civit. Dei cap. 23. Destruendum est hoc corpus corruptibile, ut resurgat in gloria. propterea quod induimus imaginem terreni hominis propagatione, & prævaricatione mortis, quam nobis intulit generatio: & corpus, ut idem Apostolus ait, *mortuum est propter peccatum;* ideoque instar seminis emori debet, ut reviviscat. Quoniam vero resurget, *ut mori omnino deinceps non possit*; erit *spiritale* etiam per oppositionem ad Corpus Adami, quod mori poterat. Hæc adversus Socinum, qui ut aliorum hæreticorum, etiam Pelagii malitiam callide arguteque superavit.

13. Argumenta Pelagii. Restat, ut veteratoris hujus, id est Pelagii, argumenta refutentur, quæ ex Scripturis æque, & ex ratione petuntur. Ex illis objici potest, quod eadem die, qua Adam comedit de ligno scientiæ, quantum ad corpus attinet, non est mortuus, sed annos vixit triginta & nongentos. Itaque ea verba, *Quacunque die comederis, morieris*, animæ, non corporis interitum minitabantur. Apostolus quoque dum ait, *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*, haud recte de morte corporis exponitur; quandoquidem non omnes per Christum vivificantur, ideoque nec omnes in Adam moriuntur. At morti corporis unusquisque subjicitur. Ergo de hac morte Paulus non loquitur. Hanc mortem naturalem esse etiam ratio commonstrat, primo quoniam pugnantibus elementis humanum corpus constructum fuit: & quod talibus constat, tendit naturaliter in corruptionem: posthac poterat obrui Adam molis alicujus subversione, percuti fulmine, mergi aquis, aut alio inopinato eventu interire. Sunt hæc pervulgatæ Pelagianorum captiunculæ.

14. Solutio 1. Ad primum respondeo Gen. II. 17. in comminatione & prohibitione Domini proprie utramque mortem intelligi, eam nempe, quæ naturalis vitæ privatio est ob animæ divulsionem à corpore, & hanc maxime & principaliter, & eam quæ est spiritualis vitæ privatio ob animæ à Deo per peccatum separationem; & hanc utique Adæ ipso transgressionis die contigisse. Legendus Gregorius Papa Epistola prima ac tricesima libri sexti. Attamen etiam mors corporis cœpit eodem momento in hominem debacchani: primo ob necessitatem moriendi; deinde ob frigus, æstum, lassitudinem, & quotidianæ corruptionis defectum, *qui nihil est aliud, quam quædam prolixitas mortis*, ut idem Gregorius scribit Hom. 37. in Evangelia, necnon Augustinus de peccatorum meritis cap. 16. Priori sensu etiam in humanis judiciis, postquam in reum pronunciata sententia est, & is in carcerem adducitur, *jam in mortuis extinctisque degit*, inquit hom. 17. in Gen. Jo. Chrysostomus, & Apostolus ad Rom. 5. 12. *in omnes homines mors pertransiit.* Posteriori autem sensu metonymice idem est mors, ac id, quod trahit ad mortem: quo sensu Exodi X. 17. ait Pharao, *auferat à me mortem istam.* Sunt denique, qui ea verba *In quacunque die* referenda putant ad *comederis*, non ad *morieris*: & qui diem pro mille annis interpretantur, quorum annorum summam primus homo non attigit.

15. Solutio 2. Secundum argumentum nullius est roboris. Verborum enim Apostoli, ut Augustinus ait lib. XIII. de Civ. Dei cap. 23. sensus est, quod *sicut nemo corpore animali, nisi in Adam moritur, ita nemo corpore spiritali, nisi in Christo vivificatur.* Præterea quemadmodum S. Pater observat tum hoc loco, tum in I. de Peccatorum meritis cap. 8. non agebatur ab Apostolo *de justitia quæ contrariatur peccato, sed de corporis resurrectione, quæ contraria est corporis morti:* idque extra controversiam omnem evincunt proxima verba: *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.* Atqui licet plurimi sint destituti vita justitiæ, omnes tamen mortui corporaliter resurget, ut eopem loco Apostolus contestatur. Sunt ergo omnes per Adam, in quo singuli peccaverunt, morti corporis ob illius prævaricationem addicti. Ad priorem ratiocinationem responsum dedimus cap. XI. allato exemplo vestimentorum, calceamentorumque, quæ in deserto plurium annorum spatio non sunt obtrita, atque Henochi, & Heliæ, quorum corpora nondum senectute contabuerunt.

Ita

Ita metuendum non erat, ut Adam habens de ligno vitæ ſtabilitatem *ſenectute gravaretur, & paulatim veteraſcendo perveniret ad mortem.* Pari jure de impendentibus periculis eſt diſcurrendum. Ut enim per interiorem gratiam, *nullis agitabatur perturbationibus animi*, ita per gratiam externæ protectionis *nullis corporum lædebatur incommodis.* Legendus Auguſtinus lib. XIV. de Civ. Dei cap. 10. Sed de corporis morte ſatis.

De Ignorantia.

16. De pœna ignorantiæ. Plenitudinem ſcientiæ, & clariſſimam ſummi veri revelationem, quæ futura erat merces perſeverantiæ, utique homo in prima conditione non habuit. Illuminatus tamen fuit, ut bene ac ſapienter vivere poſſet, & Deo per liberum arbitrium adhærere, ea prorſus ratione, qua de Angelorum mente dictum eſt lib. x. cap. 19. Quare non poterat homo decipi, & errare invitus, nec *Diabolus eum cepiſſet, niſi jam ille ſibi placere cæpiſſet*, inquit Auguſtinus XIV. de Civ. Dei cap. 13. Nunc plura à nobis ignorari etiam eorum, quæ ad nos ſpectant, experientia compertum eſt. Hanc ignorationem naturalem eſſe, non pœnam peccati, audebant aſſerere Pelagiani, apud S. Patrem lib. de Dono Perſev. cap. XI. & in I. de Peccatorum meritis cap. 36.

17. Propoſitio. Propositio. Ignorantia & difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis ſuæ, & qua approbat falſa pro veris, ut erret invitus, non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati.

Probatur ignorantiam eſſe pœnam damnati. Ita Auguſtinus citato loco, & in III. de lib. arbitrio cap. 18. in I. Retractat. cap. 9. in VI. adverſus Julianum cap. 16. & in Enchiridio cap. 24. Cujus argumenta ſunt: quia ignorare eſt malum, per quod à neſcientibus innumera perpetrantur mala, & cujus cauſa animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei. At malum nequit eſſe naturalis conditio, ſed eſt pœna peccati. Itaque ignorantia, & difficultas, ſine quibus nullus hominum naſcitur, ſupplicia ſunt, non primordia naturæ. Rurſus quia ſanat Gratia Chriſti vulnera propter peccatum inflicta, & ignorantia minuitur veritate magis magisque lucente, concupiſcentia vero animi charitate magis magisque fervente: & ideo Pelagiani gratiæ Chriſti neceſſitatem negabant, propterea quod fateri nolebant utramque, ignorantiam, & concupiſcentiam, pœnam eſſe peccati: At gratiæ Chriſti deputanda eſt tam ſuperna mentis illuminatio, quam inſpiratio ſanctæ dilectionis: Igitur ignoratio, quæ per hanc illuminationem diſpellitur, vulnus nunc eſt, priorisque damnationis effectus. *Ignorantia* (inquit S. Pater lib. II. de Dono Perſev. cap. 17.) *Ignorantia igitur & infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum. Ut autem innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates.* Vide Chriſtianum Lupum cap. 1. de Opin. Probab. & Card. Noriſium in Reſponſ. ad Append. ſcrup. Anonymi. Accedit depromptum à ratione argumentum: quippe Adam conditus eſt cum tali poteſtate, qua beſtiis terræ, & cæteris animantibus dominaretur; atque his nomen dedit, eoque, ut ex Hebræorum lingua colligitur, deprehenditur natura ſingulorum. Illam itaque perfecte noverat. At nunc qualem hominem adinvenies, qui, niſi longo ſtudio ſeſe maceraverit, poſſit vel domeſticorum animalium proprietates dignoſcere, easque ſimplici vocabulo deſignare? *Sunt ergo revera animæ duo iſta pœnalia, ignorantia, & difficultas*, Lib. III. de lib. arb. cap. 18.

Oppones: Adam & Eva à ſerpente ſeducti ſunt: Ergo priusquam laberentur, ignorarunt dolos in ſeductoris interrogatione latentes. 18. Objectio.

Reſpondetur, Evam à ſupplantatore fuiſſe in fraudem deductam, poſteaquam divinitatem ſingulari animi inſolentia affectavit: eam enim aucupaturus hoſtis verſutus, & artificio eruditus, illicere ad ſapientiæ faſtigium curavit; atque ita jam arrogantem & inflatam eluſit, *Quando his verbis crederet mulier à bona atque utili re divinitus ſe fuiſſe prohibitos, niſi jam ineſſet menti amor propriæ poteſtatis, & quædam de ſe ſuperba præſumptio, quæ per illam tentationem fuerat convincenda & humilianda?* Hæc Auguſtinus libro XI. de Gen. ad literam cap. 30. num. 39. Et XIV. de Civ. Dei cap. 13. *Illud itaque malum, quo cum ſibi homo placet, tanquam & ipſe ſit lumen, avertitur ab eo lumine, quod ei ſi placet, & ipſe ſit lumen; illud, inquam, malum præceſſerat in abdito, ut ſequeretur hoc malum, quod perpetratum eſt in aperto. Verum eſt enim quod ſcriptum eſt, Ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur.* Prov. XVI. 18. Solutio.

Poteſt idem affirmari de Adam, niſi mavis aſſererere, hunc non fuiſſe deceptum, ſed 19. Notandum.

sed peccasse sociali quadam necessitudine, ut Augustinus explicat memorato libro cap. XI. exemplo Aaron, & Salomonis. Quorum alter populo, ut Idolum aureum conflaret, *non consensit inductus, sed cessit obstrictus:* alter vero, quamquam non crederet Deorum simulacra esse colenda, fuit tamen *blanditiis fœmineis ad sacrilegia compulsus.* Atque in hanc rem profert S. Pater testimonium Apostoli scribentis in I. ad Tim. cap. II. v. 14. *Et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.* Hoc tamen Apostolicum testimonium ita quidam interpretantur, quod Adam non fuerit deceptus à serpente. Hortatur enim Paulus mulieres, *ut in silentio discant cum omni subjectione*, ac jubet, ne docere permittantur: cujus monitionis ac præcepti duplicem causam affert, dignitatis viri, qui primus formatus est; & imbecillitatis mulieris, quam serpens, ut infirmiorem, circumvenit. Quamquam vero Augustinus Adamum à serpente negat supplantatum; nihilominus laqueo erroris implicatum asserit, & *eum fefellit quomodo fuerat judicandum*, forte quod veniale crederet ab uxore commissum, inquit S. Doctor in eodem illo loco. Hujus erroris fontem in exitu præcedentis capitis demonstravimus.

De Concupiscentia.

20. De pœna concupiscentiæ.

Concupiscere, si vim attendas grammaticalem, idem est, ac *velle*, *appetere*, *cupere;* & definiri potest concupiscentia bonarum æque & malarum rerum appetitus. Hinc in utramque partem, non solum Latini scriptores vocem hanc usurparunt, inter quos Cicero usitata phrasi ait cum pernicioſum aliquid, tum res magnas & maxime expetendas *concupisci;* verum etiam Auctores sacri; inter quos Psalmista bono utique sensu ait: *Concupiscit anima mea in atria Domini;* Jacobus contra, *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.* Atque tam de rerum spiritualium, quam sensibilium desideratione vocabulum istud *concupiscentia* adinvenitur prolatum. Sed nunc de ea *agimus concupiscentia, qua caro concupiscit adversus spiritum*, inquit Augustinus lib. VI. contra Julianum cap. 18. & quæ est generale vocabulum omnis cupiditatis: *Est enim libido ulciscendi, quæ ira dicitur, est libido habendi pecuniam, quæ avaritia, est libido quomodocunque vincendi, quæ pervicacia, est libido gloriandi, quæ jactantia nuncupatur*, auctore eodem Augustino XIV. de Civit. Dei cap. 15. Proximo tamen capite docet concupiscentiam peculiari ratione appellari, non quamcunque libidinem, sed illam, *qua obscœnæ partes corporis excitantur.*

21. Notandum I. de concupiscentia.

Nequit ulla concupiscentia reperiri sine anima; *nam concupiscere viventis, & sentientis animæ est.* Non est tamen concupiscentia ipse animæ sensus, sed illud, quod nos habere sentimus; *sicut in passionibus corporis non sensus est morbus, sed ille sensus est, quo nos morbum habere sentimus:* Verba Augustini sunt lib. VI. contra Julianum cap. 14. & 18. In unoquoque autem animi sensu distinguenda est sentiendi vivacitas, utilitas, necessitas, & libido. *Vivacitas sentiendi est, qua magis alius, alius minus in ipsis corporalibus rebus pro earum modo, atque natura quod verum est percipit, atque id à falso magis, minusve discernit. Utilitas sentiendi est, per quam corpori vitæque, quam gerimus, ad aliquid approbandum, vel improbandum, sumendum, vel rejiciendum, appetendum, vitandumque consulimus. Necessitas sentiendi est, quando sensibus nostris etiam quæ nolumus ingeruntur. Libido autem sentiendi est, quæ nos ad sentiendum sive consentientes mente, sive repugnantes, appetitu carnalis voluptatis impellit.* Hæc est concupiscentia, de qua agimus. Julianus ista quatuor invicem confundebat, sed distinguenda esse demonstrat S. Pater lib. IV. cap. 14. allatis sensuum omnium experimentis. Inter quæ ingeniose observat etiam Virgilium nulla imbutum fide, divinaque scientia inter famem unde oritur edendi necessitas, & libidinem sive intemperantem appetitum epularum posuisse discrimen; dum enarrans frugalem Aenææ ac sociorum refectionem post naufragii pericula, in VIII. Aen. libro ait:

Postquam exempta fames epulis, mensæque remotæ.

De regio autem, splendidoque convivio, quo ab Evandro postmodum fuerunt excepti, inquit Poeta:

Postquam exempta fames, & amor compressus edendi.

Ex quibus constat concupiscentiam non esse appetitum sensitivum aut rationalem duntaxat, sed appetitum ipsum inordinatum & reluctantem, sive impetum animi, aut sensus ad turpia & immoderata trahentem. *Motibus igitur suis anima, quos habet secundum spiritum, adversatur aliis motibus suis, quos habet secundum carnem: & rursus motibus suis, quos habet secundum carnem, adver-*

adversatur aliis motibus suis, quos habet secundam spiritum; & ideo dicitur: Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem: ait Augustinus lib. VI. adversus Julianum cap. 14. num. 41.

22. Notandum. Ipse tamen motus non est concupiscentia, sed actus ejus; quemadmodum exponit S. P. eodem lib. cap. 19. Quare concupiscentia est prava illa affectio, unde istiusmodi inordinatus motus exoritur. Hinc è Schola nonnulli, quibus consentiunt ex nostris Thomas de Argentina, & Gregorius Ariminensis in distinctionem libri II. tricesimam appellarunt concupiscentiam sensu non malo *morbidam qualitatem.* Est autem morbidum, quod tabe confectum est, & vim habet morbi inferendi, ut morbida pecus, morbidus aer: quod nomen *morbidæ qualitatis* eatenus approbamus, quatenus significatur *qualitatis* nomine, animi aut corporis habitudo; quæ talis esse potest, etiam carentiâ prioris temperamenti, uti malam qualitatem dicimus languorem infirmitatis. Nam S. P. Augustinus lib. I. de Nuptiis cap. 25. de concupiscentia scribit, *Affectio est quædam malæ qualitatis, sicut languor.* Atque manifestius XI. de Gen. ad lit. cap. 32. appellat concupiscentiam eodem vocabulo, *morbidam, & mortiferam qualitatem.* Certum est autem, hanc non esse malam substantiam à principio malo productam in homine, ut S. Pater adversus Manichæos non uno in loco demonstrat; quoniam malum nihil est aliud, quam sola à bono deficientia. Importat vero concupiscentia aliquid positivum, videlicet, esse impetum, motumque animi, aut sensus; & aliquid privativum, nempe esse motum non rectum & moderatum. Atque ita facile percipitur quomodo, etsi non est substantia, aut qualitas positiva, inficit, titillat, & inclinat ad malum: quia ut moveat & afficiat habet à vivacitate & natura sensus vel animi, ut afficiat moveatque inhoneste, id nanciscitur à vitio, & privatione ordinis inter carnem & spiritum; quemadmodum ut claudus currat, officium est animalis; sed ne recte incedat, fit læsione atque imbecillitate membrorum. Quamobrem nisi homo infirmus esset, sed inferior pars obtemperaret rationi; nullus impetus animi, aut sensuum foret idem ille, quem libidinem & concupiscentiam promiscue appellamus: habuisset enim homo obedientiam inferiorum membrorum, *quam sua inobedientia perdidit.* Legendus Augustinus lib. XIV. de Civ. Dei cap. 24.

23. Propositio. Propositio: Concupiscentia vitium est inseminatum persuasione Diaboli, naturæ vulnus, & pœna peccati.

Probatio. Ita definit Tridentinum Concilium sess. V. can. 5. & probatur 1. Joannes cap. 2. v. 16. ad Parthos hæc scribit: *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, & concupiscentia ejus.* Apostolus autem ad Romanos cap. VII. v. 23. *Video,* inquit, *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Et ad Gallatas v. 17. *Caro enim concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcunque vultis, illa faciatis.* Jacobus etiam cap. 1. v. 14. scribit: *Unusquisque vero tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit parit peccatum.* Ex quibus S. Pater hæc argumenta adversus Pelagianos vibrat. Primo concupiscentia, quam Joannes affirmat à Patre non esse, & cui nos admonet, ut resistamus; non est natura instituti hominis, sed pœna damnati; munera quippe Dei debemus custodire ac diligere, nec naturam, quæ bona est, execrari possumus & odisse: *Quomodo autem Joanni Apostolo obtemperamus, si concupiscentiam carnis diligimus? Respondebis, Non est ipsa, quam laudo. Et quæ illa est, quam Joannes dixit à Patre non esse? Luxuria, inquies. Sed luxuriosi non erimus, nisi istam, quam laudas, concupiscentiam diligamus. Ac per hoc nolite diligere carnis concupiscentiam, cum dicebat, luxuriosos nos esse nolebat. Ab hac igitur abs te laudata concupiscentia diligenda prohibemur, quando à luxuria prohibemur: hæc autem, quam diligere prohibemur, non est à Patre. Hæc igitur concupiscentia, quam laudas, non est à Patre.* Aug. lib. XVII. contra Julianum cap. 13. num. 64. Deinde liquet ex Apostolo concupiscentiam cum castitate pugnare: & unum bonum cum altero minime pugnat. At castitatem bonam esse demonstrant sacræ literæ, quæ nos ad eam conservandam hortantur. Oportet ergo, ut carnis concupiscentia sit mala, & homini adhærens ob vitium, non ob naturalem conditionem. *Duo enim bona, quæ à Patre sunt inter se pugnare non possunt; pugnant autem inter se continentia, & concupiscentia: quid horum à Patre magis esse velis, responde:*

sequitur è vestigio Augustinus. Præterea ex præmissis Scripturarum Divinarum testimoniis constat concupiscentiam ad peccatum nos inclinare, eâque, nisi Christi gratia succurrat, arbitrium hominis lege peccati quasi mancipium Diaboli captivari. Sed quod ad peccatum allicit & prolectat, est naturâ suâ malum & pœna; malum itaque, & peccati pœna est concupiscentia, seu pugnax & lacertosa libibo. *Quis autem ita sit imprudens atque impudens, ita procax, pertinax, pervicax, ita postremo insanus & demens, qui cum peccata mala esse fateatur, neget esse malum concupiscentiam peccatorum, etiamsi adversus eam concupiscente spiritu peccata concipere ac parere non sinatur?* Lib. VI. ejusdem adversus Julianum argumenta S. Pater jaculat, quæ operose constringunt eruditi Ordinis Theologi, Norisius in Vindiciis cap. 3. §. 2. Fulgentius Bellelli lib. 3. cap. 14. 15. & 16. Aurelius Piette de peccato Originali Quæst. 6. aliique complures.

24. Objectiones Pelagianorum.

Etsi permulta à Pelagianis objectabantur, possunt tamen omnia ad hæc revocari. Principio, concupiscentiam ad prolis generationem inditam esse ex eo colligitur, quod illa etiam pecudes illiciuntur, in quibus nulla culpa esse potest. Deinde stante etiam integritate naturæ fuisset filiorum propagatio: igitur & concupiscentia. Tum: Si hæc mala sit, damnandæ erunt nuptiæ, quarum officium nonnisi indulgendo libidini exercetur. Præterea nihil est aliud concupiscentia, quam naturalis appetitus, in quo, ut in cibo vel potu usuvenit, solus est culpandus excessus. Insuper etiam peccati pœna aliquod bonum est, non enim est malum peccatorem punire: bona erit ergo concupiscentia, quam contendimus pœnam esse peccati. Postremo concupivit Eva ligni vetiti fructum, de quo comedens prævaricatrix evasit: fuit itaque ante mulieris prævaricationem ipsa libido.

25. Resolutiones

Respondet Augustinus ad primum lib. IV. contra Jul. cap. 5. n. 39. ideo hanc libidinem in belluis malam non esse, *Quoniam non repugnat rationi, qua carent.* Addit de Orig. Peccato cap. 40. tantam excellentiam esse homini comparatione pecoris, *ut natura istius in homine vitium sit.* Subdit lib. IV. Operis imperfecti num. 56. habere animam *asininam*, qui, cum libido sit natura pecoris, *negat in homine pœnam esse.* Ait bruta non inhiare in prægnantes, atque in actus obscœniores; ideoque in homine libidinem longe esse turpiorem, quam sit in belluis. Narrat lib. VI. contra Julianum cap. 14. num. 41. exemplo Calligoni, etiam Eunuchos meretriciis amplexibus Inquinari, quam turpitudinem in exsectis bestiis non offendimus. Quod sequitur de propagatione prolis in statu innocentiæ solvitur lib. VI. adversus Julianum cap. XI. lib. II. de Nuptiis & concupisc. cap. 13. & lib. XIV. de Civit. Dei cap. 23. & 24. dicendo tunc libidinem aut nullam futuram, aut ita subditam voluntati, ut nunquam posset sollicitare nolentem, ita, ut absque noxia cupiditate homo uteretur genitalibus membris, ut modo movet pro lubitu manus, aut pedes. Tertium argumentum in ipsum Julianum retorquetur lib. III. cap. 15. nam cum nuptiæ sint concupiscentiæ remedium, ut fatebatur Julianus, consequitur illam esse *languorem quemdam & morbum*; nemine providente remedium sanitati. In I. autem de nuptiis cap. 14. demonstrat culpabilem non esse generandi intentione concubitum, qui proprie nuptiis est imputandus; has vero illud, quod non pertinet ad se, carnalem videlicet voluptatem, veniâ dignum reddere propter se. Addit lib. VI. contra Julianum cap. 18. hoc libidinis malo bene uti pudica conjugia, cum eo utuntur generandi causa, atque illud certa lege refrænant, ne ad alienas mulieres laxatis extra pudorem habenis discurrat. Ad quartum nego concupiscentiam esse naturalem appetitum; nam velle etiam salvum esse, & velle suscipere filios, eosque nutrire & educare naturalis est appetitus, idemque rationis, non libidinis, ut S. Doctor ait lib. II. de Nuptiis cap. 5. quare concupiscentia ad appetitum addit inordinationem, quâ rationem antevertit, eique repugnat, ideoque, nisi cum Pelagianis sensuum vivacitatem, libidinemque permixte accipiamus, semper in hac aliquis excessus deprehenditur. Proxima argumentatio exploditur exemplo mortis, & cæcitatis, quæ licet bonæ sint comparate ad Deum juste eas infligentem, quod præstat beneficia indebita subtrahens; nihilosecius peccatori, cui decernuntur, pœna sunt. Ultima etiam eliditur, respondendo præcessisse in Eva malam voluntatem, qua serpenti subdolo crederet, & consecutam malam concupiscentiam, *qua cibo inhiaret illicito;* ut scribit Sanctus Doctor lib. IV. Operis imperf. cap. 56. & nos supra diximus Prop. 3. cap. 12. De Concupiscentia, quam in statu naturæ puræ propugnant quamplures Theologi, paulo

paulo infra : nunc enim de ea, quam modo experimur, tantummodo verba fecimus.

De pudore nuditatis.

26. De pudore nuditatis.

Hujus concupiscentiæ etiam pudor nuditatis est invictissimum argumentum: quod cum negare ausus sit post veteres Pelagianos immoderatus Augustinianorum librorum Censor Joannes Phereponus, breviter demonstratur. Etenim Geneſis 11. 25. de Adam & Eva antequam laberentur, scriptum est: *Erat autem uterque nudus, & non erubescebant*: post transgressionem vero, ut habetur cap. 111. 7. *Aperti sunt oculi amborum; cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Atqui non sunt aperti primorum hominum oculi, quasi ante lapsum cæci fuerint, ut supra adversus Ophitas demonstratum est: nec ut viderent interiorem peccati maculam solummodo; quippe ad hanc contegendam nihil conferre poterant perizomata ficus. Itaque aperti sunt, ut erubescerent, turpisque nuditatis afficerentur pudore. *Merito hujus libidinis maxime pudet, merito & ipsa membra, quæ suo quodam, ut ita dixerim, jure, non omnimodo ad arbitrium nostrum movent, aut non moventur, pudenda dicuntur, quod ante peccatum hominis non fecerunt. Nam sicut scriptum est, Nudi erant, & non confundebantur; non quod eis sua nuditas esset incognita, sed turpis nuditas nondum erat, quia nondum libido membra illa præter arbitrium commovebat, nondum ad hominis inobedientiam redarguendam sua inobedientia caro quodammodo testimonium perhibebat, &c.* Legito Augustinum lib. XIV. de Civit. Dei cap. XVII. Hinc est quod merito Sanctus Pater ex pudore nuditatis, atque ex eo, quod concubitus fæminei, cæterique actus voluptuosi nunquam palam perficiantur, & ingenuus quilibet homo ne turpia verba profundat continetur à veracundia, evincit libidinem malum esse tam hoc ipso loco, quam in altero libro de Nuptiis cap. 5. & contra Julianum lib. IV. cap. 16. & lib. V. cap. 2. Quo in loco etiam hæreticum redarguit, quod ut argumentum ex allatis verbis Geneseos petitum callide eluderet, perizomata idem significare affirmabat ac vestimenta. Verum putide prorsus, ac pertinaciter. Enimvero Græcum vocabulum περιζώματα, & Hebraicum חֲגֹרֹת *Hagorod*, Chaldæumque זְרִזִין *Zerazin* idem esse ac subcinctoria, subligacula, & lumbaria, ipsum etymon demonstrat, atque consensio Interpretum universorum.

Objicit Phereponus Animadv. in cap. 13. lib. XIII. de Civit. Dei, & in cap. 17. libri XIV. motum aut nullum fuisse in Eva, aut certe minime conspicuum, & qui in eam ruborem posset inferre. De nuditate primorum parentum videndos cum alios Interpretes, tum præsertim Joannem Clericum in Genesim: gentes in Africa & America plane nudas incedere, nec olim magis vestitas fuisse, quidquid scribat in suo Appollonio Philostratus: nuditatis pudorem hinc potissimum natum, quod cum Adam & Eva liberos habuerint, tecti esse debuerunt, ne hi genitalia membra contrectarent, suisque citius æquo abuterentur: mulieres à pubertate tectas esse oportere, ne singulis mensibus oculos fœdum quidpiam offendat: conjugatos quoque nuditati consulere, ne per oculos concitata libidine, optimæ conjugiorum leges violentur. Belle his verbis censorium calamum retrahit: *Sed de his pluribus non agemus, ne in pudorem & ipsi peccamus.* 27. Objectiones Phereponi.

Respondeat idem Augustinus, ut quisque videat tam exulcerato animo Phereponum Sancti Doctoris libros legisse, ut tela Juliani jamdiu ab illo protrita nonnisi in sui perniciem tractare præsumat. Itaque S. Pater lib. IV. contra Julianum cap. 13. num. 62. hæc habet: *Quid autem de motu fœminæ, cujus & ipsam puduit, inaniter argumentandum putasti? Non utique fœmina motum visibilem texit: sed cum in eisdem membris tale aliquid sentiret occultius, quale vir senserat, ambo texerunt, quod alterutrum videndo in alterutrum commoti ambo senserunt, & vel unusquisque sibi, vel alter alteri erubuerunt.* Næ peracura est prior illa Phereponi argutatio, nova, ac peremptoria! Deinde nos Phereponus hortatur, ut adeamur Interpretes, præsertim vero Joannem Clericum, id est seipsum, pro recta intelligentia versus 7. capitis III. Geneseos, quem de nuditate animi, id est, privatione gratiæ, ac peccato intelligendum esse contendit. Sed audiatur Augustinus lib. V. adversus Julianum cap. 2. num. 7. hæc edisserens: *Ubi manifesta res est, scripturæ Divinæ sensui nostrum sensum addere non debemus: non enim hoc fit humana ignorantia, sed præsumptione perversa. Adam, & mulier ejus, qui nudi erant ante peccatum, & non con-* 28. Responsio.

confundebantur, mox ut peccaverunt quas partes corporis amicierunt, perizomatum nomine satis evidenter expressum est. Videmus quid texerint: niniæ insipientiæ est adhuc quærere, niniæ impudentiæ adhuc negare, quid senserint. De nuditate itaque corporis, non solius animi, sunt verba Geneseos accipienda, & de velamine pudendorum membrorum, quorum motu sentitur turbida ac perversa libido. Atque hæc est omnium fere Interpretum expositio; cui nec repugnat interpretatio eorum, qui docent Adam & Evam aperuisse oculos mentis ad discernendum inter bonum & malum; nam & his assentitur S. Pater XI. de Genes. ad lit. cap. 32. & XIV. de Civit. Dei cap. 17. scribens, se primos parentes cognovisse nudatos illa gratia, qua prius vestiebantur. Quod sane noverunt, quia hac gratia remota, *extitit in motu corporis quædam impudens novitas, unde esset indecens nuditas, & fecit attentos reddiditque confusos.* Joannem autem Clericum, inquit eruditus Auctor librorum de Ingeniorum moderatione lib. III. cap. 3. virum & eruditione & ingenio critico revera celebrem, sed licentia quoque opinandi famosum, adeoque in Sanctos Patres animatum, cum audis; alterum, imo ipsum Phereponum audire te putes. Unde apparet hominis arrogantia, qui non solum Phereponum, id est, *laboris patientem* se ipsum nominat, verum etiam præ cæteris sese Divinarum scripturarum Interpretem nobis lectitandum proponit. Quod rursus opponitur de causa pudoris, eadem facilitate ab Augustino retunditur in II. de Nuptiis cap. 5. num. 14. his verbis: *Quare illud opus conjugatorum subtrahitur & absconditur etiam oculis filiorum, nisi quia non possunt esse in laudanda commixtione sine pudenda libidine?* Idem dicendum est de adolescentibus, & puellis egressis ex ephebis, cæterisque nuda membra tegentibus: quare, nisi forte ob turpitudinem libidinis, nuditatem suam erubescunt? Sed accedit ad refellendum Phereponum, quod primi parentes consuerunt subcinctoria, ac tegumenta verendorum, cum nec filii essent, qui contrectarent pudenda, nec alienæ mulieres, quibus Adam commisceretur, neque causæ aliæ, quas imprudens Criticus prætexit. Nec minus est portentosum in gentibus Americanis, quod nude prorsus incedant, quam quod sint anthropophagæ, & natos, parentesque immaniter cædant: quæ facinora si laudanda sunt, etiam laudanda erit libido; sin minus, neque hæc erit cum moribus summe vituperandis perpaucorum hominum celebranda. Denique & quod vereatur Criticus ne peccet in pudorem, ita ab Augustino carpitur lib. IV. contra Julianum cap. 13. num. 62. *Sed loquens vana petis, ut ignoscant verecundæ aures, & congemiscant potius, quam indignentur necessitati tuæ Quare petis, ut ignoscatur tibi? Nonne abs te veniæ postulatio etiam ipsa est libidinis accusatio?* Et lib. II. de Nuptiis cap. 9. num. 22. *Quid enim potuit Deus facere, quod ejus prædicatorem pudeat dicere?* Ita Augustinus fregit in Pelagianis Phereponi audaciſſimam temeritatem. Hæc de pudore nuditatis primorum hominum, quorum oculi, *ad discernendum inter bonum quod amiserant, & malum in quod ceciderant*, aperti sunt;

Quosque aluit misero fallax insania pomo,
Vestivit folio: sæva quos arbore nudos
Reddidit, hos gravius tenui de cortice texit.

Alcimus Avitus lib. 3.

De Tunicis Pelliceis.

29. De Tunicis pelliceis.

Ad tegendam fœmorum nuditatem perizomata ficus sibi primos homines consuisse, Deumque eis addidisse tunicas pelliceas Divina narrat Historia. Has tunicas Origenes esse putat ipsum mortale corpus ob prævaricationem præteritam interitu conficiendum. Hunc allegoricum sensum etiam Augustinus comprobat in II. de Genesi contra Manichæos cap. 21. dicens: *Ipsi enim fecerunt præcinctoria de foliis fici, & Deus illis fecit tunicas pelliceas; id est ipsi appetiverunt mentiendi libidinem relicta facie veritatis, & Deus corpora eorum in istam mortalitatem carnis mutavit, ubi latent corda mendacia.* Pro qua Origeniana sententia stare videtur evidens ratio; non enim decebat Deum lanium fieri, mactare animalia, & pellium esse sutorem. Cum etiam bina cujusque *speciei* animantia produxerit, & nihil novi condiderit die sexta transacta; inverisimile est aliqua deglubisse, uno bestiarum genere perdito.

30. Deum fecisse tunicas pelliceas affirmatur.

Verumtamen affirmandum est, vere Adamo & Evæ *Tunicas* è pellibus consutas Deum feciſſe: non enim alium sensum patiuntur hebraica nomina עור כתנות *Catnod-Hor*, quæ significant vestimenta ex pelle bestiis detracta: nec sine causa in historiis à literali sensu est ulla-

ullatenus recedendum. Cui sane non adversatur Augustinus, qui XI. de Gen. ad lit. cap. 39. n. 52. scribit: *Hoc significationis gratia factum est, sed tamen factum.*

3. Variæ sententiæ retunduntur.

Ad rationem prædictam, quæ videtur confirmare Origenianum errorem, responderunt veteres Rabbini fuisse pelles, quas stato tempore serpentes abjiciunt; sive animalia adhuc viventia sponte, Dei jussu, se pellibus expoliasse: aut forte *pellium* nomine significari pilos, vel lanam. At hæc partim fictitia sunt, partim aspera & contorta; partim quoque temporis angustiæ, & necessitati convenire non possunt. Procopius Gazæus Comment. in Genesim putat hujusmodi vel productas ex nihilo, vel per conversionem præexistentis materiæ, ipsa die sexta post Adæ lapsum, & die ad vesperam inclinante. Torniellus tom. I. Annal. p. 100. scribit tunicas ab ipso Adamo, Deo inspirante, fabrefactas, nec Deum, sed hominem animalia occidisse. Factum id ministerio Angelorum, scribunt Abulensis, à Lapide, Salianus, alii. Ego non video, cur teneamur asserere, Deum ex animalibus singulis bina tantum creasse, cum hæc inter non sit, quomodo in hominibus, dominium ac regimen, cui dependentia ab uno necessaria est: aut si bina fuerunt producta, non potuerint, antequam mactarentur, ad *speciei* conservationem fœminas gravidare. Ut ut sit, falsum est, quod de primis hominibus scribit in quinto Lucretius:

Necdum res igni scibant tractare, nec uti
Pellibus, & spoliis corpus vestire ferarum.

CAPUT XIV.

De Adami resipiscentia, ac salute.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
à num. 2. usque ad 5. Probatur, Adamum pœnitentiam egisse, & salutem æternam consecutum fuisse.
6, & 7. Respondetur ad contrariam argumentationem.

1. De Adami resipiscentia ac salute.

TATIANUS Syrus auctor Orationis ad Græcos editæ circa annum vulgaris Aeræ 172. Marci Aurelii Imp. XII. primus omnium Adami saluti contradixit, ut Irenæus scribit lib. I. cap. 38. olim 30. & verbis Irenæi Eusebius H. E. lib. IV. cap. 29. Et doctissimus quidem Valesius Irenæi verba reddidit, *Nova præterea argumenta ad subvertendam Adami salutem excogitans*, quibus videtur Tatianum non fuisse hujus erroris auctorem, sed in Græcis habetur, τῇ δὲ τοῦ Ἀδὰμ σωτηρίᾳ παρ' ἑαυτὸν τὴν ἀντιλογίαν ποιησάμενος, id est, *Adami autem saluti ex se ipso, ingenioque suo contradictionem faciens.* Post Tatianum damnationem Adæ asseruerunt Encratiæ, sic nuncupati ἀπὸ τῆς ἐγκρατείας, *à continentia*, quod nuptiis adversarentur; unde diversi non fuerunt à Marcionitis, ut recte eo loco Eusebius. Hi & Severiani dicti sunt à Severo quodam Tatiani discipulo, de quo Nicephorus lib. IV. H. E. cap. 4. & lib. I. Hæretic. fabul. cap. 21. Theodoretus.

An Adam salvatus.

Revocavit in dubium salutem Adæ, non tamen inter damnatos illum connumeravit Rupertus Abbas Tuitiensis, qui floruit sub initium sæculi XII. Istum alii qui benigne excusant, quasi aliorum sententiam, non propriam exposuerit. Verum etsi Rupertus temeritatis notam inurit iis, qui temere quæstionem hanc, subscribentes Encraticis, finirent; nihilo tamen minus posteaquam dubitationis suæ causa attulit, nulla pro Adamo producta, pergit rotundis quadratisque verbis: *Salvatio ejus, & à multis libere negatur, & à nullo satis firmiter defenditur.* Excusandus potius Rupertus, quod non satis ei constaret de auctoritate libri Sapientiæ, de qua olim dubitarunt nonnulli: nullo enim alio Divinæ Scripturæ testimonio salus Adæ apertissime comprobatur. Id tamen Tatiano, assecliscque minime suffragatur; quoniam hi non in ancipiti dubitatione prudenter versati sunt, sed temere in protoparentem damnationis sententiam pronunciaverunt. Nunc autem ob memorati libri certam divinamque auctoritatem, atque ventilatam traditionem Majorum, neque fas est judicium suspendere.

2. Propositio.

PROPOSITIO: Adam patrati criminis pœnituit, & salutem æternam est consecutus.

Probatur Adamum pœnituisse, & salvum factum.

Demonstratur primo ex cap. x. Sapient. v. 1. & 2. *Hæc illum, qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus custodivit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia.* Deinde probatur Traditione PP. Irenæus in III. adversus Hæres. cap. 34. plura contra Tatianum argumenta producit, de quibus infra. Fuit autem Irenæus huic hæretico synchronus, atque strenuissimus Adversarius. Sæculo 3. damnarunt hunc errorem Tertullianus lib. II. contra Marcionem cap. 25. & Origenes hom. 35. in Matthæum. Proximo sæculo Eusebius loco citato, Athanasius libro de Passione & Cruce Domini, Hilarius in Matthæum Canone VIII. Gregorius Nazianzenus Oratione XVIII. de laudibus Cypriani. Postremo Patres ac Theologi universi, quorum ductor, & columen Augustinus Epistola ad Evodium 99. nunc 164. cap. 3. ait: *Et de illo quidem primo homine patre generis humani, quod eum ibidem solverit, Ecclesia fere tota consentit: quod eam non inaniter credidisse credendum est, undecunque hoc traditum sit; etiamsi Canonicarum scripturarum hinc expressa non proferatur auctoritas. Quamquam illud quod in libro Sapientiæ scriptum est, Hæc illum, qui primus factus est, patrem orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit ei virtutem continendi omnia, magis pro hac sententia, quam pro ullo alio intellectu facere videatur.* Collegerunt testimonia Patrum Bellarminus lib. III. de Amiss. gratiæ cap. 12. Torniellus ad an. m. 930. num. 9. Pererius lib. 7. comment. in Genes. Nat. Alex. dissert. XVII. sæc. 2. Sam. Andreas, & alii; ita ut nllus plane tam ex Catholicis, quam ex Protestantibus neget, de salute Adæ universos, Tatianis exceptis, convenire. Unum addo quod alii prætermiserunt, in Litaniis, quibus utitur Clerus S. Mariæ Majoris Romæ, legi: *Sancte Adam, ora pro nobis.*

3. Argumenta Irenæi pro Adamo.

His ego pro definiendo dogmate contentus ero: nam ubi constat de auctoritate literarum Sanctarum, & de consensu antiquorum, necesse non est ad humanam rationem confugere. Irenæus tamen hoc etiam telo petiit Tatianum, & salutem Adami demonstrat primo, quia sententia Tatiani nova est, ab eo conficta, & in parentes impia & injuriosa. Insuper, quia Deus non maledixit Adam & Evæ sicut serpenti; imo illos ad resipiscentiam invitavit, & eis veniæ salutisque spem dedit, facta promissione Christi Redemptoris: per quem mulier Ecclesiæ, ac Deiparæ typus debebat serpentis caput conterere. Deinde quia in signum pœnitentiæ se asperis perizomatis induerunt. Ulterius, quoniam Pastor non invenisset ovem perditam centesimam. Postremo, quia Diabolus gloriari posset, se à Christo non fuisse devictum, si primi parentes non fuissent ab ejus captivitate liberati. Parens adversus Bellarminum, qui memorato loco hæc argumenta ex Irenæo produxit, tertium de perizomatis, & alterum de ove centesima parum firmum judicat, cum responderi posset, perizomata illa propter nuditatem fuisse consuta, hanc vero ovem significare quemvis peccatorem resipiscentem: cætera esse probabilia fatetur. Verum Irenæo assentitur etiam Ambrosius lib. de Parad. cap. 13. nec opus est, ut sint omnia prorsus invicta & palmaria. His accedunt conjecturæ aliæ, quod Adam & Eva Christi & Ecclesiæ typum gesserint, quod ab illis Abel sacrificiorum rationem, Deique cultum fuerit edoctus, & quod una cum Christo à mortuis surrexerint, ut Patres nonnulli tradiderunt.

4. Argumentationes pro salvatione Adæ.

Valde probabilem de salute Adæ fidem facit traditio de sepultura ejusdem Adæ eo ipso loco, in quo crucifixus est Dominus. Cujus traditionis, ut mittam quæ citari solent ex libro II. Carminum contra Marcionem, & ex Augustini sermone 71. de Temp. nunc 6. Apend. quæ, etsi spuria habentur à Criticis, comprobant tamen antiquorum temporum opinionem; locupletissimos testes laudare possumus Cyprianum Tract. de Resurrect. Christi, Origenem hom. in Matthæum 35. Epiphanium lib. 1. adversus hæreses, Jo. Chrysostomum hom. 84. in Joannem, & alios plures laudatos à Bellarmino, & à Hyacintho Serry Exercit. 56. num. 5. & in Prologo Galeato operum Melchioris Cani cap. 5. & à Toleto Annot. 12. in cap. 19. Joannis, &c. Qui omnes tradunt Christum mortuum super Adæ sepulchrum, ut is salvaretur Divini sanguinis aspersione.

5. Oppugnatio & solutio.

Erit, qui reponat, S. Hieronymum Comment. in cap. 27. Matthæi hanc traditionem rejicere, quod in Jesu filii Nave volumine legatur Adam sepultum juxta Hebron; & Arbee, & Calvariæ locum dictum sit à capite decollatorum, uti asserunt & Beda, & Paschasius, & Doctor Angelicus 3. p. q. 47. art. 10.

Magnus

Magnus enim Hieronymus de hac traditione scribit: *Favorabilis interpretatio, & mulcens aurem populi, nec tamen vera.* Et ad 5. cap. Ep. ad Ephesios: *Hæc utrum vera sint, nec ne, lectoris arbitrio derelinquamus.* Remanet tamen satis firma, aut saltem non refutata, illa de busto Adæ sententia; propterea quod Hebræorum opinio de Adamo sepulto in Hebron, nequit ex libro Josue confirmari, ut aperte demonstrasse confido in prima secundi capitis propositione. Imo vera esse potest utraque simul sententia, nuncupatum Golgotha à cranio Adæ, & à cervicibus decollatorum. Cum debita ergo Hieronymo reverentia, ad partes aliorum accedimus; maxime quod ipsemet in Epistola, quam ad Marcellam dedit nomine Paulæ & Eustochii, quæ est inter familiares lib. 2. ordine septima, est pervetustæ traditionis adstipulator. In ea siquidem Epistola hæc de Hierosolyma habet: *In hac urbe, imo in hoc tunc loco, & habitasse dicitur, & mortuus esse Adam: unde & locus, in quo crucifixus est Dominus noster Calvaria appellatur, scilicet quod ibi sit antiqui hominis Calvaria condita: ut secundi Adam, id est, Christi sanguis de cruce stillans, primi Adam, & jacentis protoplasti peccata dilueret, & tunc sermo ille Apostoli compleretur: Excitare qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Itaque Scripturæ Divinæ testimonio, consensione Patrum, & conjecturis plurimis, quarum, aliæ probabiles sunt aliæ prope certæ, tollitur omnis hæsitatio circa resipiscentiam Adami, circa quam pauci fuerunt ancipiti cogitatione distracti.

Contraria objectio diluitur.

6. Objectiones. Sed ita argumentaberis. Salutem Adæ nec scriptura, nec traditio, nec aliqua ratio potest comprobare. Non scriptura: nam, ut Rupertus ait, liber Sapientiæ de Canone non est, & majori libertate parvipenditur, quam suscipitur, quia quando, vel ubi Adam peccatum suum agnoverit, non ostendit. Amplius autem quod dictum est, *Et dedit illi virtutem continendi omnia,* nullum certum sensum præsentat, quia præter unicum Dominum Jesum Christum nullus est homo tali virtute præditus. Adde legi in pluribus codicibus: *Et eduxit illum de limo terræ,* non *à delicto suo.* Præterea Apostolus in 1. ad Corinth. xv. 22. novum Adam opponit veteri; ut ergo in illo omnis salus, ita in vetere Adamo est omnis punitio, & damnatio. Rursus idem Apostolus ad Hebræos xi. 4. Ecclesiam fidelium non ab Adam, sed à filio ejus Abel exortam ostendit. Ex Scripturis igitur salus Adæ nequit evinci. Sed nec ex traditione. Etenim Rupertus, ut dictum est, circa eam pendet animo: Bernardus in libro de modo beate vivendi scribit: *Adam in infernum cecidit, quia inobediens fuit:* Et Gelasius Papa librum, qui inscribitur, *Pœnitentia Adæ,* inter apocryphos amandavit. Ratio autem æquitatis postulat, ut ex quo Deus non pepercit angelis peccantibus, nec veniam daret homini, quem conditione inferiorem paribus beneficiis ornaverat. Scripturis itaque, auctoritate, & ratione salvatio Adæ oppugnatur.

Resp. falli Rupertum, qui à Canone divinarum scripturarum expungit librum Sapientiæ: in quo retinendam esse Vulgatæ lectionem, constat ex Græcis, Romanisque Codicibus, & ex Patribus, qui legerunt, *à delicto suo,* ut supra vidimus in Augustiniana ad Evodium Epistola. Ea autem verba, *Et dedit ei virtutem continendi omnia,* non plenissimam potentiam, sed dominium ac regimen demonstrant rerum terrenarum; cum sit in græco κρατῆσαι πάντων, *omnibus dominari.* Cœpisse Adæ pœnitentiam ex quo dominicæ sententiæ cervicem inflexit, & rudibus brutorum pellibus contextus vitam miserrimam egit, pie & probabiliter credimus. Apostolum in Epist. ad Corinth. agere de morte & resurrectione corporum, diximus capite præcedenti; quamquam & in hoc novus Adam opponitur veteri, quod unus gratiæ, alter peccati sit auctor: sed tamen ad Rom. v. 14. appellatur primus Adam τύπος τοῦ μέλλοντος *forma futuri.* In Epistola autem ad Hebræos fideles præcipue laudantur, qui fidei causa aut mortem perpessi sunt, aut futurorum promissionem singulari mysterio acceperunt; quorum utique primus est Abel. De Ruperto non opus est plura edisserere. Liber de modo bene vivendi non est genuinum opus Bernardi, ut demonstrat Bellarminus de script. Eccles. an. 1130. è stylo, & inscriptione ad Sororem virginem, & præterea possunt verba, quæ inde objiciuntur, ad solum reatum, & meritum

7. Solutiones.

tum damnationis referri. Gelasius certum librum; non pœnitentiam Adami reprobat; ut dum declarat apocryphos qui inscribuntur, *De Infantia, & de Nativitate Salvatoris*, derogat librorum auctoritati, non autem substantiæ rerum gestarum. Adamo denique, non Angelis Deus pepercit; sive quod ille fuerit imbecillioris naturæ, ut Gregorius docet lib. IV. Moralium cap. 9. & Damascenus lib. II. cap. 3. sive quia Dominus beneficiorum suorum Angelos justo judicio, hominem misericordiæ decreverat reservare. Pro quo maximo benefacto, aliisque innumeris, quibus nunquam non afficimur, inter quæ & illud connumerandum est, quod finem attigerim hujusce libri,

Deo patri misericordiarum
gratias refero.



PRAE-

PRÆCEDENTIS LIBRI XII.
ADDITAMENTUM.

In quo de ſtatu naturæ, quam puram vocant, diſquiritur.

De ſtatu naturæ puræ.

NON ſine cauſa, ubi diſſertando de variis Theologicæ doctrinæ capitibus incidit diſputatio mea in dubia quædam, quæ circa ſtatum hominis in nulla ſupernaturali gratia, atque in nullo peccato conſtituti verſantur, abſtinui à ſententia dicenda, ne magnam hinc Doctorum multitudinem irritarem, inde vero ſodalitii noſtri ſcriptores mihi facerem adverſarios. Noveram enim tanquam Baji, & Janſenii gregales illos paſſim traduci, qui ſtatum naturæ, quam *puram* vocitant, repugnare arbitrantur; & ex adverſo haberi à plurimis Auguſtini diſertores, qui poſſibilem adſtruunt. Proferre autem ſententiam, quaſi temere aleam jacere nolui, ratus me lectori operam haud inutilem locaturum, ſi dubia ipſa juxta utramque opinionem diſſolverem. Jam vero ne ſurda aure utriusque argumentationes præteream, in hac quæſtione me continebo aliquantulum, illamque rationem ſuſpendendi judicium, cur hactenus ſervaverim, demonſtrabo, ita tamen, ut à noſtratibus diſpellam errorum damnatorum nubeculas, & modeſte aperiam quid poſſit à nobis majori probabilitate defendi. Illud tantum præmittendum eſt eam appellari à Theologis *naturam puram*, in qua præter naturales proprietates nihil ei ſuperadditum eſſet, nullum videlicet ſupernaturalis gratiæ beneficium, nullumque vitium; haberet tamen illa naturales defectus, qui ex animæ aut corporis conſtitutione proficiſcuntur, & eſſet obnoxia fami, ſiti, morti, & languoribus ex pugna elementorum exorituris.

CAPUT I.

Doctorum, qui ſtatum puræ naturæ cenſent eſſe poſſibilem argumentationes præcipuæ.

SUMMARIUM.

à Primo usque ad 15. ceu ultimum propugnatur, ſtatum puræ naturæ eſſe poſſibilem.

1. Probatur à Doctoribus ſtatus naturæ puræ.

ITAQUE ſtatus *puræ naturæ* poſſibilitatem Theologi hiſce argumentis ſtabilire nituntur. Romani Pontifices Pius V. an. 1567. & Gregorius XIII. anno 1579. damnarunt conſtitutionibus ſuis ſequentis Michaelis Baji Decani Academiæ Lovanienſis propoſitiones: *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio: Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur: Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio: Falſa eſt Doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe à Deo creari, & inſtitui ſine juſtitia originali*: quæ ſunt inter alias ab Apoſtolica Sede proſcriptas ordine viceſima ſexta, quinquageſima quinta, ſeptuageſima octava, & nona. In quibus apertiſſime eorum ſententia reprobatur, qui naturæ puræ impoſſibilitatem defendunt.

Nequit ergo salva fide ac religione opinio hæc sustineri.

2. Dicunt aliqui Baji propositiones non esse absolutè hæreticas.

Huic argumento respondent contrariæ sententiæ patroni, Baji propositiones non esse omnes absolute hæreticas, sed alias propter acre in aliorum opiniones judicium & nimiam in vellicandis Doctorum sententiis arrogantiam, alias vero respective, & in sensu ab assertoribus intento fuisse damnatas. Quod Gabriel Vasquez in 1. 2. disp. 109. cap. 18. probat ex verbis, quæ recensitis propositionibus Baji in Bulla Romani Pontificis subjunguntur: *Quas sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo modo sustineri possent, in rigore tamen, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respective, & quæcunque super iis verbo, scriptoque emissa præsentium auctoritate damnamus.* Ex qua damnatione, addit Vasquesius, non satis apparet, qualis unicuique propositioni censura sigillatim conveniat; nec prædictis propositionibus omnibus illas notas & censuras simul, sed singulatim convenire, hoc est singulas singulis tribuendas esse, ex prædictis verbis aperte constat. Nec poterat Vasquesius rem ignorare, qui de articulis Bajanis sermonem frequenter habuerat cum Francisco Cardinali Toleto, qui in hac causa Lovanium fuerat delegatus. Hæc non solum Theologi nostri confirmant, Cardinalis Norisius in Vindiciis cap. 3. §. 2. Fulgentius Bellelli lib. 3. cap. 27. Lafosse tom. 3. q. 1. §. 11. & alii, verum etiam Vincentius Contensonus Thomista doctissimus tom. 1. lib. VIII. dissert. 1. cap. 1. §. 1. celeberrimus Estius in 2. dist. 25. §. 6. qui laudat etiam declarationem Facultatis Theologicæ Lovanienſis, Natalis Alex. in Historia Eccl. tom. VIII. cap. 2. art. 14. aliique propemodum innumeri.

3. Propositio vicesima sexta merito fuit damnata.

Quibus præmissis respondent propositionem illam vicesimam sextam merito esse damnatam, quoniam integritas primi hominis complectitur gratiam, quæ hominem rectum & justum constituit; quam certissimum est non esse naturalem conditionem, sed Dei beneficium. Id vero manifestum est, inquit Estius, ex articulo vicesimo primo præcedenti, atque ex doctrina Auctoris in eo capite unde propositio transcripta est. Et Gonet alteram propositionem ita recitat: *Deus non potuisset creare hominem, qualis nunc nascitur, id est destitutum justitia originali, & gratia sanctificante.* Itaque comparate ad hunc capitalem errorem Baji, memorati articuli damnati sunt. Falsi sunt etiam, propterea quod Bajus naturæ rationalis integritatem, justitiam, & partis inferioris subjectionem, naturæ proprietatem, non gratiæ beneficium commentus est, & *naturam puram* non impossibilem esse, sed actu à Deo conditam autumavit. Nostri autem Theologi ea omnia gratiæ deputanda esse fatentur; quamquam spectatâ decentiâ oportuerit rationalem creaturam hujusmodi gratia fulciri. Sunt etiam articuli illi scandalosi, & hæretici relate ad propositionem 74. in qua Bajus in errorem Lutheranorum condemnatum à Tridentina Synodo miserrime prolapsus est, asserens concupiscentiam esse peccatum. Quare Norisius: *Longo intervallo*, inquit, *à damnato sensu distamus, non enim dicimus, Deum non potuisse condere hominem cum concupiscentia rebelli, quod illa sit formaliter peccatum, sed quia licet ipsa peccatum non sit, est tamen ad peccatum inclinans, & quidem vehementius, quam quilibet alius habitus vitiosus ab homine contractus.* Addit Scriptor clarissimus juxta amplam propositionum illarum expressionem, consequi posse Deum hominem condere cum originali peccato, cum quo modo nascimur, quod sane absque impietate affirmare non possumus.

4. Propositio Baji 55. damnata defenditur à Norisio.

Cardinalis Aguirre Tom. 3. Theologiæ S. Anselmi Tract. v. disp. 106. sect. 4. ait responsionem Norisii asserentis propositionem Baji LV. damnatam respectu prop. LIV nullum fundamentum habere: subdit quam facillime explodi, cum certum sit Bajum, sicut & olim Pelagium nunquam putasse Deum non potuisse creare hominem cum concupiscentia rebelli, quæ sit *formaliter* peccatum, sicut exploratum ipsi erat non potuisse condere hominem in statu peccati. Solum ergo (inquit) negavit Bajus hominem potuisse condi à Deo cum concupiscentia rebelli, in qua modo nascimur, & quæ ad peccatum alliciat. Idem Aguirre scripserat supra sect. 2. cap. 16. quod Norisius ait articulum illum damnatum ob censuram, quam Bajus jaculatur adversus Theologos sentientes oppositum: &, quod caput est, Norisium tueri propositionem Bajanam, ut jacet, scribit Bruno Neusser in Prodromo Velitari p. 1. cap. 5.

Ve-

5. Norisii sententia ulterius discutitur.

Verum hæc retunderet Norisius noster, eaque repeteret, quæ scripserat olim ad Germanitatem v. sub nomine Annibalis Ricci. Ubi adversus Parallelistam demonstrat se in Vindiciis diserte affirmavisse Propositionem Baji quinquagesimam quintam merito damnatam esse, non quod offendiculo pateret, quemadmodum lib. III. cap. 23. inquit Jansenius, neque ob illatam Pelagianæ hæreseos cæteris Theologis notam, tametsi hæc nonnullis articulis Baji convenire bene sapienterque Norisius animadvertit; sed damnatam jure meritoque relate ad vecesimam septimam, in qua gratia sanctificans, humanæ naturæ exaltatio, & integritas prima appellatur à Bajo naturalis conditio, non beneficium Divinâ superadditum largitate. Unde vides & quo fundamento Norisius nitatur, & Adversariorum, saltem Brunonis Neusser, malam fidem. Quod vero addit Aguirre damnatum Bajum propterea quod negaret possibilem statum, in quo inesset homini concupiscentia rebellis; non soli Norisio Bajani erroris calumniam impingit, sed iis omnibus, qui licet statum puræ naturæ arbitrentur possibilem, concupiscentiam tamen rebellem ab illo statu removendam apertissime docent, propterea quod sit intrinsece mala: ut defendunt Petrus Aureolus, Gregorius de Arimino, Martinus de Esparza laudati in Vindiciis Norisianis, atque cordati Theologi plures, inter quos Nicolaus L'Herminier Tom. 4. pag. 56. præmittens ad hujus quæstionis solutionem, nullam fore in statu naturæ puræ rebellionem carnis adversus spiritum, sed excitandos duntaxat motus partis sensitivæ, non quales nos post Adæ lapsum titillant, sed qui præcise ad naturam hominis pertinerent. At de Concupiscentia hac rebelli posthac iterum.

6. De possibilitate naturæ puræ ex S. Augusti.

Ad evincendam præterea possibilitatem *naturæ puræ* producunt Theologi celebre Augustinianum testimonium ex lib. 1. Retractat. cap. 9. *Quamvis ignorantia & difficultas, etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus esset Deus, sicut in eodem tertio libro* (id est de libero arbitrio cap. 20. & 21.) *disputavimus.* Quæ verba repetit S. Pater de Dono Perseverantiæ cap. XI. Itaque Augustinus possibilem illum statum aperte declarat, in quo difficultas & concupiscentia, atque ignorantia essent naturæ primordia, non vitia, suppliciumque peccati.

Occurrunt adversæ partis Theologi, Augustinum revincere Manichæos ex illorum hypothesi; nam adversus Manichæos illam disputationem tertii de libero arbitrio libri se habuisse testatur eodem loco Retractationum, nec non de dono Perseverantiæ. Erat autem supinus Manichæorum error, dari causam supremam cujusque mali effectricem: quod suadere conabantur ex rebelli concupiscentia, & ignorantia inditis rationali naturæ. Utramque malam esse, & vitium ad turpia propellens, Augustinus, & Manichæi simul fatebantur, cum hoc tamen discrimine, quod hi asserebant malam esse substantiam, & Augustinus fœdam discordiam ex prævaricatione primi hominis derivatam. Hæc ex lib. v. Operis Imperf. contra Julianum cap. 30. satis manifesta sunt. Cum ergo Augustinus ubique concupiscentiam malam esse profiteatur: quomodo disputandum illi erat adversus cum Pelagianos, qui ei objiciebant Manichæorum errores, quasi cum iis assereret carnis concupiscentiam esse substantiam diabolicam, tum contra Manichæos ipsos, quibuscum circa hujus vitii turpitudinem quodammodo sentiebat? Et Pelagianos quidem retundit, demonstrans locupletissimis Scripturarum testimoniis pertransiisse in omnes homines maculam originalem, cujus pœnæ sunt cæcitas mentis, carnisque lacertosa libido, quas non esse Dei opera, sed vitia peccato contracta argumentis supra productis evincit. Adversus autem Manichæos, qui & veteris Testamenti auctoritatem rejiciunt, novumque pro suo quodam privilegio, imo sacrilegio depravant, ac mutilant, quid consilii erat illorum debellatori Augustino ineundum? Eos undequaque vellicat, & exagitat. Necesse est, inquit, unam ex his hypothesibus admittamus, vel animam venire ex parentum propagine, vel singulis nascentibus novam dari, vel Divinitus in corpora mitti alicubi jam existentem, aut in ea suapte sponte dilabi. Porro in nulla harum hypotheseon Deus foret auctor peccati. Et in prima quidem, tertia, atque ultima satis liquet: tunc enim ignorantia excæcans turpisque libido, aut vitiatæ propagini, aut corpori, quod de pœna peccati, hoc est, de mortalitate primi hominis nascitur, aut liberæ voluntati, qua animus sese in hanc miseriam devolveret, esset attribuenda. Quod si infundatur corpori, cui naturalis esset utraque pœna, ignorantia & libido, & hæc talis esset proprietas naturæ, ut sine ea creari non posset homo constans animo, & corpore, quomodo

7. Theologorum quorundam opiniones.

visum

visum est Manichæis; esset tamen laudandus Creator, & non culpandus, quoniam hæc naturalia primordia, sine quibus in hypothesi Manichæorum non potest homo produci, non ei pro crimine objicerentur, neque homini deesset gratiæ facultas, per quam posset hanc ignorantiam & difficultatem studiose reprimere, atque inde ad veritatem proficere. Hæc Augustinus in III. de libero arbitrio cap. 20. 21. & 22. Ex quibus facile infertur, hypothesim, quam disputandi causâ contra Manichæos S. Pater admittit, non esse hypothesim *puræ naturæ*, sed alteram, in qua cum ignorantia, & concupiscentia inhærente homini naturaliter, adesset & adjutorium eas reprimendi. Atque hæc est responsio nostrorum: nam quod regerunt Jansseniani, in hac hypothesi Augustinum supponere originale peccatum, vel animam venire ex propagine, aut quæ scripserat de libero arbitrio postmodum retractasse, sunt inanes elusiones, & manifesta præmissarum hypotheseon confusio.

8. Opinio Francisci Macedo.

Insistit Franciscus Macedo Collatione III. partem IV. sect. 3. & Tournelius de Grat. Christi pag. 38. Augustinum hypothesim status naturæ puræ evidenter probare. Scribit enim in III. de lib. arbitrio cap. 20. num. 56. *Si ergo anima altera esse cœpit non solum ante peccatum, sed etiam ante omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem facta est, non parvum bonum habet, unde creatori suo gratias agat: quia ipse ortus ejus, & inchoatio quovis perfecto corpore est melior. Non enim mediocria bona sunt, non solum quod anima est, qua natura jam omne corpus præcedit, sed etiam, quod facultatem habet, ut adjuvante creatore se ipsam excolat, & pio studio possit omnes acquirere, & capere virtutes, per quas & à difficultate cruciante, & ab ignorantia cæcante liberetur.* Datur ergo (inquit Macedo) concupiscentia, quæ non sit pœnalis, nec ad peccatum inclinet. Cui similia ait Tournely citato loco.

9. Refelluntur opiniones.

At falsa est hujusmodi consecutio. Hoc enim testimonio, quod invictissimum putant, constat Augustinum loqui de libidine cruciante, de ignorantia excæcante; de illa eadem ignorantia & libidine, quâ altera anima afficeretur post vitam culpabilem. Has vero si quis autumat non esse suapte natura vitiosas, legat paulo supra cap. 18. n. 52. ea verba Augustini: *Nam sunt revera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia & difficultas. Ex ignorantia dehonestat error, ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falsa pro veris, ut erret invitus, & resistente, atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse à libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* In hypothesi autem, quod pœna non essent, sed naturalia primordia, adhuc laudandus esset Deus, quoniam homo facultatem haberet, ut *adjuvante Creatore* omnes virtutes acquireret, & ex ipsa naturali ignorantia, & difficultate auxilio gratiæ proficeret.

10. Instantia cum solutione.

Reponunt Adversarii, Augustinum per ea verba *adjuvante Creatore* nullam gratiam ordinis supernaturalis intellexisse, cum statim addat: *Non enim parum est accepisse naturale judicium, quo sapientiam præponat errori, & quietem difficultati, ut ad hæc non nascendo, sed studendo perveniat.* Cæterum quis dixerit S. Patrem, qui passim adversus Pelagianos disputans repetit ex hac ignorantia *cæcante*, & difficultate *cruciante* necessitatem gratiæ effectricis, existimasse, posse absque ulla gratia supernaturali, solo naturali lumine has separari? Gratiæ itaque supernaturalis non meminit, quod non de Gratia contra Pelagianos, sed de natura mali contra Manichæos disceptaret. Quare hoc idem Augustino Pelagianis objicientibus, quod in libris de libero arbitrio concupiscentiam & ignorantiam naturæ inditas propugnasset, respondet de dono Persev. cap. XI. & XII. se illam disputationem habuisse contra Manichæos, *qui non accipiunt Scripturas sanctas veteris Testamenti, in quibus peccatum originale narratur;* cæterum revera ignorantiam, & difficultatem pertinere ad miseriam justæ damnationis, *nec ab isto malo quemquam liberari, nisi Dei gratia.* In eo ergo statu, in quo hæc eadem difficultas, hæc eadem ignorantia esset non supplicium peccati, sed conditio naturæ; quo pacto per solum rationis lumen posset homo proficere, & hoc lumen *ad hanc ignorantiam & difficultatem evincendam, & ad coronam gloriæ valeret*, quomodo Augustinus ab his Theologis explicatur; dum certa est, constans, & manifesta S. Patris doctrina, nec primum hominem nulla adversus se carnis pugna tentatum potuisse sine gratia in accepta justitia perseverare? *Frustra itaque mihi de illius libri mei vetustate præscribitur, ne agam causam, sicut debeo agere, parvulorum, & inde gratiam Dei non secundum merita hominum dari perspicuæ veritatis luce con-*

vin-

vincam; *&c.* inquit S. Pater de Dono Perſev. cap. XII. num. 30.

11. Confirmatio. Et quidem non poſſe absque Dei gratia inferiorem partem rationi rebellem contineri, videtur eſſe manifeſta doctrina etiam D. Thomæ: qui in Compendio Theologiæ cap. 186. hæc habet: *Non erat ex natura animæ, quod vires etiam ſenſibiles absque repugnantia rationi ſubjicerentur: cum vires ſenſibiles naturaliter moveantur in ea, quæ ſunt delectabilia ſecundum ſenſum, quæ multoties rectæ rationi repugnant. Erat igitur hoc ex ratione ſuperiori, ſcilicet Deo, qui ſicut animam rationalem corpori conjunxit, omnem proportionem corporis, & corporearum virtutum, cujusmodi ſunt vires ſenſibiles, tranſcendentem, ita dedit animæ rationali virtutem, ut ſupra conditionem corporis ipſum continere poſſet & vires ſenſibiles, ſecundum quod rationali animæ competebat. Ut igitur ratio inferiora ſub ſe firmiter contineret; oportebat, quod ipſa firmiter ſub Deo contineretur, à quo virtutem prædictam habebat ſupra conditionem naturæ. Fuit ergo homo ſic inſtitutus, ut niſi ratio ejus ſubduceretur à Deo, neque corpus ejus ſubduci poterat à natura animæ, neque vires ſenſibiles à rectitudine rationis.* Quæ à Divo Thoma ſunt utique de inſtitutione Adami pronuntiata, ſed tenent adhuc pro ſtatu *naturæ puræ*, in quo appetitus ſenſitivus naturaliter moveretur in delectabilia ſecundum ſenſum. Quapropter niſi regeretur homo ſupernaturali auxilio, continere inferiorem partem non poſſet, & in peccata indeclinabiliter prolaberetur. Atque hoc etiam argumento negant viri docti potuiſſe Deum condere hominem absque perfecta ſubjectione partium inferiorum, ut Eſtius, & alii.

12. Probationes aliæ ex S. Aug. Plura alia ex Auguſtino depromi ſolent pro ſtatu *naturæ puræ*, & inprimis quod habet in III. de libero arbitrio cap. 23. num. 66. *Non enim metuendum eſt, ne vita eſſe potuerit media inter rectè factum, atque peccatum, & ſententia Judicis media eſſe non poſſit inter præmium atque ſupplicium.* Item quæ leguntur in Pſalm. 70. num. 1. *Quis enim diceret, quid feciſti, ſi damnaret Juſtum.* Similiter loca permulta, ubi docet immortalitatem, & cætera dona Adamo collata magnam fuiſſe gratiam, ideoque ſine iis potuiſſe hominem condi; ut docet XII. de Civit. Dei cap. IX. lib. XIII. Confeſſ. cap. 3. de Corrept. & grat. cap. 11. de Geneſi ad literam lib. VI. cap. 20. contra Julianum lib. IV. cap. 16. & alibi quamfrequenter.

13. Reſponſio Authorum contrariorum. His vero qui contra ſentiunt nullatenus percelluntur. Enimvero teſtimonium primum pro ſtatu puræ naturæ nullam vim habet; in quo creatura rationalis vel Deum auctorem naturæ diligeret, vel odio haberet, ac ſe dignam redderet ſupplicio, vel præmio, ut Doctores illi contendunt; ideoque non eſſet in eo ſtatu, quem opinantur poſſibilem, media illa vita: de qua Auguſtinum hypothetice diſſeruiſſe, dicemus & nos libro proximo de parvulorum pœnis quæſtionem inſtituturi. Alterum vero petitum ex I. Enarrat. in Pſalmum 70. liquet ex Mſs. optimæ notæ eſſe corruptum, ut Patres Benedictini adnotarunt, & ibidem non *juſtum*, ſed *injuſtum* eſſe legendum: quod iis confirmatur, quæ nos agentes de reprobatione ex Auguſtino protulimus. Ac præterea lectione priori recepta, poſſet quis reſpondere etiam juſtum aliquo ſenſu damnari, in quantum propter originale peccatum ei præparatum non eſt magnum donum finalis perſeverantiæ, ut de Reprobatione, quam Scholæ appellitant *negativam*, late diſſerui. Sed reſponſio prior corroboratur conſimili ſententia num. 15. ubi pro *injuſtum* invenitur ſcriptum *iniquos*. Ubicunque autem S. Pater Adæ integritatem fuiſſe donum gratiæ definit, non adverſatur illis Theologis, qui gratiam rationali creaturæ debitam propugnant, non ſpectata ejusdem creaturæ ſubſtantia, aut abſoluta Dei poteſtate, ſed inſpecta duntaxat decentia quadam, ſive, ut nonnullis placet, rectiſſima erga hominem factum ad imaginem Dei providentia.

14. Probatur Theologice ſtatus puræ naturæ. Denique pugnant pro ſtatu puræ naturæ ratiocinationibus Theologicis. Quarum prima eſt, quod omne donum ordinis ſupernaturalis nequit debitum eſſe naturæ, alioquin gratuito, & pro liberalitate ac beneplacito Conditoris minime foret collatum. At naturæ rationalis integritas, ſublimatio in conſortium divinitatis, inferiorum partium ſubjectio, & elevatio ad finem ſublimiorem, cujusmodi eſt viſio Dei, ſupernaturalia dona ſunt, nemine Catholicorum contradicente; conferuntur ergo creaturæ rationali, non exigente juſtitia, ſed beneficentiſſima Dei liberalitate donante. Sequitur altera huic affinis: nam creatura origine ſuâ ſerva Dei eſt, nec poteſt ad hæreditatem Domini ſui jus habere, niſi adoptetur in filiam, quod præſtat ipſius Domini munificentia; & conſequenter tam Adam, quam Angeli potuerunt, cum primum facti ſunt, non adoptari in filios, & jure ad hæreditatem privari. Denique ſi naturalis finis creaturæ ſit viſio Dei per eſſentiam, poſſet ad hanc naturalibus mediis pervenire; nam inter finem &

& media necesse est, ut quædam inveniatur proportio. Quod possit creatura rationalis naturali conatu, propriisque viribus usque ad Dei visionem pertingere, nemo prorsus affirmat. Ergo non est visio Dei rationalis creaturæ finis, ad quem naturaliter ipsa protendat: atque si ita est, absque tendentia in hunc finem creari potuit.

15. Oppositiones.

Habent & quæ his reponant alterius partis Doctores. Docent gratiam Adamo, & lapsis hominibus collatam in hoc convenire, quod utraque est donum supernaturale, & non proprietas naturæ, neque comparata est meritis præcedentibus: differre tamen, quod si illa homini, vel Angelo defuisset, non utique sua culpa cecidissent, quoniam non est talis creaturæ constitutio, ut possit sine gratiæ adjutorio vitare peccatum: nunc vero quibus hæc gratia deest, pœna est originalis peccati, unde cui denegatur justo judicio denegatur, cui autem confertur, misericordia est Dei liberantis. Atque his lubenter assentior, agnosco enim Augustini Doctrinam in libro de Corrept. & Gratia cap. XI. & in Epistola ad Sixtum nunc 194. apertissimis verbis expressam. Ex his videntur sibi posse tuto asserere, gratiam utique Redemptoris nullo prorsus titulo debitam esse, imo indignis Divinâ misericordiâ donari; sed gratiam illam priorem, quam Conditoris appellant, etsi naturæ perfectiones supergredientem nec meritis comparatam, aliquo tamen titulo debitam esse, ne creatura fatali necessitate averteretur à Deo, & inferiore parte rebellante, quam frænare pro sua virili non posset, in scelera ac damnationem sempiternam abriperetur. Quod ex hypothesi Adversariorum confirmant: qui urgente præcepto singulis sufficientem gratiam adesse mordicus tenent, sine qua putant non imputandam fore transgressionem in crimen. Id tamen non esse inquiunt plane certum, cum ex peccato Adæ omne jus ad gratiam homo perdiderit, & merito Redemptoris auxilium illud sufficiens, & aliud etiam validius sit restitutum; quo etiamsi Adam fuisset spoliatus, ad legem tamen servandam fuisset obstrictus, quia sponte sua fecisset Divinæ gratiæ jacturam. Atque his argumentationem illam priorem arbitrantur elidi. Jure eodem alteram expungunt, asserentes in Adæ posteris, qui adoptantur in Dei filiationem restituimeritis Redemptoris jus proximum ad hæreditatem cœlestem per gratiam sanctificantem, qua in consortium Divinæ naturæ justus assumitur, & jus remotum, quo pollet rationalis creatura eo ipso quod sit Dei imago, & nullo coinquinata peccato. Utrumque enim jus propter prævaricationem Adæ perdidimus. Ergo, inquiunt, gratiæ effectus est jus proximum ad hæreditatem Dei, ad quam pertinent soli filii promissionis: sed jus remotum fundatur in ipsa substantia animæ, quæ cum sit imago Dei, nequit in creato aliquo bono quiescere. Nec responsionem hanc labefactare possunt exempla humanitatis Christi, aut servorum, qui à Dominis temporalibus adoptantur, cum & illa potuisset suæ felicitatis potiri etiam à Verbo non assumpta, nec naturali instinctu appeteret hypostaticam unionem: & servi tam uni, quam alteri Domino possint ex æquo servitutem præstare; creatura autem sit uni Deo subjecta, atque sine illius hæreditate miserrima. Negant denique fieri non posse, ut naturalis instinctus feratur in bonum, quod comparari non valeat nisi supernaturali auxilio; cum infirmus expetat quandoque sanitatem, quæ nequit haberi etiam adhibitis medicamentis, imo illam per se, hæc autem ægre tantum, & causa sanitatis exquirat: & anima affectet uniri corpori, cui non potest nisi Divinitus iterum alligari. Non ergo semper est inter media & finem proportio: imo est hominis singularis perfectio, ut naturaliter tendat ad finem, quem assequi non potest nisi supernaturali adjutorio. Hæc vero omnia perspicua fient, postquam Theologorum istorum fundamenta explicavero.

CAPUT II.

Eorum, qui statum puræ naturæ impossibilem esse contendunt, proponuntur momenta.

SUMMARIUM.

Num. 1. & per totum probatur, statum puræ naturæ implicare.

1. Momenta impossibilitatis puræ naturæ.

AUDIENDI sunt modo Theologi, qui statum *puræ naturæ* putant esse impossibilem. Hi ita ratiocinantur. Creatura rationalis condita est ad Imaginem Dei, non solum ob gratiarum munera, quibus in sui conditione fuit exornata, sed suapte natura, cum sit rationis capax, ut possit illum percipere, à quo facta est. Quare naturaliter Deum intueri desiderat, quem esse

esse unicum & incommutabile bonum facile ex ipsis creaturis potest conjicere. Esse in creatura rationali hujusmodi desiderium naturaliter inditum, fatentur Scoti discipuli. Eadem est, quidquid nonnulli in contrarium sentiant, S. Thomæ doctrina. Qui in III. contra Gentes cap. 50. pluribus argumentis demonstrat, naturale desiderium animæ tendere ad cognitionem Dei, prout est in se; quod & affirmat in 1. 2. q. 3. art. 8. & 1. p. q. 12. art. 1. in corpore. Neque loquitur D. Thomas supposita elevatione ad finem supernaturalem, sed urget ubique tritam ac pervulgatam rationem, quia *inest in homine naturale desiderium cognoscendi causam, cum intuetur effectum.* Cum itaque mens creata naturali acumine percipiat supremæ causæ existentiam, inflammatur naturali desiderio videndi essentiam ipsius causæ, in qua visione sita est perfecta beatitudo. Unde Augustinus in 1. lib. Confess. cap. 7. *Inquietum est* (inquit) *cor nostrum, donec requiescat in te.* Cum ergo, si creatura defraudetur desiderio suo, magnâ pœnâ conficiatur, nec sub justo Deo pœna sine culpa possit infligi; atque in illo statu, de quo disputamus, non posset anima pertingere ad Dei visionem, nec Auctoris, cujus imago est, essentiam videre, angeretur maximo, gravissimoque dolore. Huc spectant omnia argumenta, quibus Pelagianis asserentibus parvulos nasci in eo statu, in quo Adam fuit ante lapsum, & sine ulla gratia, sine ullo vitio, & tamen sine baptismo à regno cœlorum excludi, objectat Augustinus sæpenumero, quod Deum facerent impium atque injustum, qui innocentem imaginem suam à regno cœlorum expelleret. *Quæro qua causa innocens imago Dei vitæ privatione punietur, si nullum peccatum ex humana propagatione contrahitur?* Ait S. Pater lib. 1. contra Julianum cap. 5. num. 19. At si status *naturæ puræ* daretur, homo creatus ad imaginem Dei nulla labe originali contracta excluderetur à regno; atque tot Augustini contra Pelagianos argumenta nihil prorsus efficerent. Neque enim satisfacere videtur eorum responsio, qui ajunt S. Patrem hac ratione Pelagianos impetere supposita elevatione hominis ad finem supernaturalem, ejusque constitutione in gratia. Primo enim argumentatione illa utitur magnus Doctor, non memorato loco duntaxat, sed etiam præcedenti cap. 4. num. 13. atque lib. v. cap. 11. num. 56. Operis Imperf. lib. 11. n. 30. & lib. 111. num. 9. necnon in 1. de Peccatorum meritis cap. XXX. n. 58. aliisque in locis compluribus, nec ullibi hujus suppositionis minimum extat vestigium. Deinde si Pelagiani parvulos & sine gratia, & sine culpa nasci affirmabant; quomodo Doctor eximius, maxime disputans cum Juliano peracuto, ac versutissimo Dialectico, poterat supponere quod erat cardo & caput institutæ disputationis? Et denique si Augustiniana argumentatio petitur ex ipsa natura imaginis, quæ proculdubio inesset creaturæ rationali quacunque hypothesi facta, consequens est illam nunquam sine culpa posse à regno cœlorum excludi. Istud ergo est præcipuum hujus sententiæ fundamentum: Impossibilis est ille status, in quo innocens imago Dei nullo prohibente impedimento peccati non posset ad regnum Dei pervenire, *quod sine magno malo fieri qui dicit, nec amorem habet, nec timorem Dei*, ait lib. v. contra Julianum cap. 15. S. Pater. In statu *puræ naturæ* Imago Dei, tametsi innocens, regno Dei privaretur. Ergo status *puræ naturæ* impossibilis est.

2. Quid sentiat Scotus.

Diximus sub finem præcedentis capitis, & libro 111. cap. 1. quomodo in horum sententia possit naturaliter clara visio Dei appeti, etsi ad illam sine gratiæ adjumentis nullus perveniat: unde facile sese hi Theologi purgabunt, si à contentioso aliquo, Baji, aut Quenellii damnatorum errorum insimulentur. In promptu eis erit exemplum animæ, quæ cum sit suapte natura *forma* corporis, ab hoc divulsa appetit resurrectionem, naturaliter non possibilem. Atque hanc certum est esse sententiam Scoti Quæst. 1. Prolegom. num. 20. Quam Mastrius disput. 6. de Vis. Dei q. 2. explicat verbis Augustini scribentis de Prædest. SS. cap. v. *Posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratiæ est fidelium.* Ita ergo, inquiunt Scotistæ, naturalis inclinatio est posse habere beatitudinem, habere autem donum est gratiæ. Hoc autem exemplum nescio an sit ad rem; nam aliud est posse habere beatitudinem, aliud appetere; sicut aliud est posse habere, aliud appetere fidem: nec ex Augustinianis verbis puto aliquem illaturum; quod possit aliquis fidem appetere naturaliter; atque ita nec infertur quod possit naturaliter appeti visio Dei. At Claudius Frassen in Scoto Academico Tract. 1. disp. 3. art. 7. hanc naturalem inclinationem docet *passivam* esse, non autem *activam*, in qua sententia Augustini verba possunt in Scoti opinionem quadrare:

sed appetitum istiusmodi, qui nihil sit aliud, quam inclinatio *passiva*, & capacitas beatitudinis comparandæ per gratiam, nisi animus me fallit, nullus negat; & inquiritur tantum de appetitu, qui est quidam impetus & motus animi, & certe in sola potentia passiva nequit consistere. Hæc obiter de Sententia Scoti, quæ à suis absque ulla erroris nota defenditur.

3. Quid Thomistæ sentiant.

Videamus modo quid præmissæ argumentationi soleat reponi. Vulgaris est Thomistarum opinio, appetitum innatum esse propensionem in bonum connaturale: unde inferunt hominem fide & gratia destitutum, qualis esset in *pura natura*, non appetere intuitivam visionem Dei, sed beatitudinem in communi; cum visio Dei non sit bonum homini connaturaliter debitum. Hunc appetitum præcedere ajunt cognitionem, nam qui ex cognitione procedit, elicitus appellatur. Est autem appetitus elicitus, aut efficax, aut inefficax: efficax, cum haberi possunt media, quibus finis acquiritur, & hæc media applicantur; inefficax, cum hujusmodi media vel in nostra potestate non sunt, vel iis uti nolumus. Atque hujusmodi appetitus inefficax tendit aliquando etiam in rem impossibilem, ut dum appetimus semper vivere, aut maximam acquirere copiam thesaurorum. Legite Gonetum disp. 1. de Visione Dei art. 5. & Salmanticenses Tract. 2. disput. 1. dub. 5. Respondebunt itaque in statu *naturæ puræ* creaturæ rationali, etsi foret imago Dei, & Dei existentiam naturaliter apprehenderet, non tamen magnam pœnam futuram, si Divinam essentiam non conspiceret, quia eam non appeteret appetitu innato & connaturali, neque appetitu elicito efficaci, sed inefficaci tantummodo, qui fertur etiam in bonum quandoque indebitum, & impossibile. Sed hæret, ut dici solet, paulisper aqua. Enimvero qui statum *puræ naturæ* negant esse impossibilem, ad exordium redeunt argumenti. Instant, hominem esse Dei imaginem naturâ suâ, ideoque propensionem in Deum esse illi connaturalem: addunt appetitum elicitum inefficacem boni impossibilis, creati tamen & imperfecti, ut sunt semper vitam agere corporalem, amplissimâque opulentiâ locupletari, non admodum torquere animum, quoniam non sunt ista hominis finis ultimus, sed media, quæ possunt ex æquo diligi, & odio haberi, nec explere possunt immortalis substantiæ cupiditatem: negant quoque nonnulli, inclinationem illam innatam, quæ omnem cognitionem præcedat, affirmantque omne pondus animi esse amorem, hunc vero partum esse intellectus; nam de beatitudine, cujus desiderium singulis hominibus insitum est, scribit Augustinus lib. XIII. de Trinit. cap. 4. *Quomodo ergo amant eam, si nemo potest amare quod nescit?* Et lib. VIII. c. 4. *Quis diligit quod ignorat?*

4. Colluſtratur ſententia Thomiſtica.

Ego tamen prædictam Thomistarum doctrinam non refellam, imo & animadversionibus meis colluſtrabo. Docet S. P. Augustinus citato libro de Trinitate cap. 3. omnes homines naturali instinctu apppetere beatitudinem: *Si dixisset*, inquit, *Ennius Poeta, omnes beati esse vultis, dixisset aliquid quod nullus in sua non agnosceret voluntate.* Inquirit sequenti cap. 4. unde existat de ipsa beatitudine tanta diversitas voluntatum, *cum capessendæ atque retinendæ beatitudinis voluntas una sit omnium*, id est, cur aliquos maxime delectet voluptas ut Epicurum, alios virtus ut Zenonem, alios aliquid aliud, quod vel turpi vel honesta delectatione vellet adipisci. Respondet proximo cap. 6. id esse ob pravitatem generis humani, *quâ interdum eligitur unde magis à beata vita receditur.* Infert ex his cap. 7. necessariam esse fidem, quæ nobis veram beatitudinem proponat, *non enim*, inquit, *quæcunque bona, maximeque illa quibus quisque fit bonus, & ille quibus fiet beatus, unde nisi à Deo in hominem veniant inveniri potest.* Vide & librum IV. contra Julianum cap. 3. num. 19. Itaque præcisa fide, quæ nobis visionem Dei pollicetur, non potest in hanc ferri hominis appetitus, qui naturali instinctu trahitur ad beatitudinem in communi, peculiariter vero inclinatur in hoc, vel illud bonum, quod voluntati à pravo, aut recto judicio proponitur. Cum ergo Pelagiani faterentur nobis vitam æternam promitti, recte Augustinus ab exclusione Imaginis Dei à vita æterna probat in parvulis originale peccatum, suppositâ lege, & promissione beatitudinis, quam Pelagiani minime denegabant. Fertur ergo amor creaturæ rationalis in Dei visionem, hujus revelatione suppositâ: & Augustinus cap. 1. Confessionum fidem aperte commemorat, & manifestius lib. XIII. cap. IX. ubi ait, quod desiderio accendimur, & sursum ferimur, inardescimus & imus, *quoniam jucundati sumus in his, quæ dicta sunt nobis, In domum Domini ibimus.* Hæc ad perdifficile argumentum. In quo nondum contrariæ opinionis Theologi penitus à causa cadunt, quippe S. Pater citato cap. VII. de Trinitate,

tate, loquitur de ſtatu naturæ lapſæ, & de vita mortali *erroribus, ærumnisque pleniſſima*, & in *natura pura* non eſſet vitioſa cupiditas, quæ ſine gratia hominem ad amorem boni commutabilis traheret, & contentione acerrima à Deo averteret, ſed eſſet Dei naturalis cognitio, & in Deum naturalis propenſio.

5. Oppugnatio cum ſolutione. Ex iisdem principiis eruitur aliud fundamentum ad hypotheſim *naturæ puræ* oppugnandam. Nam creatura in hac ipſa hypotheſi ad diligendum Deum teneretur; cum primum, maximumque præceptum legis naturæ ſit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*, Matth. XXII. 37. At ſi Deum diligeret, vitam æternam promereretur, quia & Deus diligit diligentes ſe, & diligentibus ſe mercedem hanc repromiſit, & ipſe qui amatur propter ſe præmium eſt ei, qui gratis & pro viribus amat. Debetur ergo creaturæ, Deum diligenti æterna vita, ad quam comparandam vires naturales non ſuppetunt. Cui argumento ſolvendo incumbit animus Theologorum: qui reſpondent in hypotheſi *naturæ puræ* poſſe quidem diligi Deum ut auctorem conditoremque naturæ, non ut largitorem ſupernaturalium bonorum, atque hujus dilectionis tantum fructum eſſe beatitudinis retributionem.

6. Inſtantia. Facile hæc dicuntur, ſed nolunt Adverſarii pedem referre. Contendunt non ſolam creaturam rebelli concupiſcentiâ turbatam, ſed nec integram poſſe ſine gratia amare Deum ut auctorem naturæ. Nam Arauſicanum Concilium Canone 25. hoc definit: *Prorſus Donum Dei eſt diligere Deum.* Et Tridentinum ſeſſ. 6. can. 3. *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, & diligere, ut oportet, anathema ſit.* Auguſtinus vero prope finem c. 3. libri quarti contra Julianum, *Amor*, inquit, *Dei, quo pervenitur ad Deum, non eſt niſi à Deo Patre per JEſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Quibus in locis agi de gratia ſupernaturali perſpicuum eſt. Si dixeris exponenda hæc eſſe de Deo auctore ſupernaturali; ubinam, inquiunt, apud Auguſtinum, & memoratas Synodos, diſtinctio iſtiusmodi? Ubinam legimus poſſe hominem naturali facultate, & gratia non opitulante Deum diligere, tanquam ſummum bonum, ſummum verum, & univerſarum rerum ſupremum Dominum ac rectorem? Potius invenies apud Auguſtinum de Grat. & lib. arbitrio cap. 18. *præcepta dilectionis nullo modo bene, niſi ex Deo adimpleri; legem ſine gratia non poſſe conducere ad Dei amorem: gratiam nos facere dilectores:* ubi, cum adverſus Pelagianos diſputet, non poſſumus gratiam ordinis naturalis fingere, ut quidam venditant ex ludo & officina recentiorum Scholaſticorum. Quod ſi opponas condemnationem triceſimæ quartæ, ac ſextæ propoſitionis Michaelis Baji; poterunt reſpondere fuiſſe damnatam utramque ob cenſuræ acrimoniam, & quod Bajus amorem Dei naturalem negaverit etiam reſpectu objecti; nam ut Auctorem naturæ Deum diligi non poſſe niſi per gratiam, docent & Vasqueſius, & Bellarminus, & alii Theologi probatiſſimi. Nec te moveat particula illa, *ut oportet;* quippe in hypotheſi *puræ naturæ* diligeretur Deus recte, atque *ut oportet*, dummodo creatura illum amaret propter ſe, & tanquam ultimum finem, & omnia in ſuum Auctorem referret: quod in Auguſtiniana Schola eſt amare, *ut oportet;* ſicut non recte amatur, quod amatur aliqua intentione carnali, & cupiditate perverſa.

7. Solutio. Huic argumento reſpondet Eſtius diſt. XXVI. §. 38. homini in *puris naturalibus* non fore præſcribendum operandi modum, qui naturæ facultatem excederet; nunc vero ad diligendum Deum ut Auctorem naturæ neceſſariam eſſe gratiam, quia per peccatum primi hominis adeo liberum arbitrium attenuatum eſt, ut nequeat ſine gratiæ auxilio illum amare *ut oportet*, quemadmodum definitur canone ultimo Arauſicano: & conſequenter prædicta argumenta de homine *in puris naturalibus* conſtituto nihil concludere. Sis lector æquus æſtimator.

8. Ultima argumentatio. Poſtrema argumentatio promitur ex rebelli concupiſcentia, quam eſſe per ſe malam præcedenti cap 13. demonſtratum eſt ex pugna, qua motibus carnis, tanquam quibusdam pugiunculis rationem aggreditur, ex immoderato exceſſu libidinis, atque ex ipſo pudore, quo ejus cauſa ſuffundimur. Hujus concupiſcentiæ Deus auctor non eſt: qui ſi condito homini tantum indidiſſet languorem, nec valde bona opera moliretur, nec vincerentur aperte Manichæi invehentes ejusdem concupiſcentiæ præſidio ſempiternum mali principium. Nec potior eſt ratio, cur Deus producere nequeat hominem cum pravo vitiorum habitu, ut cordati omnes fatentur; poſſit autem cum libidine omnium turpiſſimorum ſcelerum ſemi-

nario. In natura pura afforet, inquiunt, hæc perduellis concupiscentia, quod fatentur plures, & ratio ipsa suadet, quia inferior pars nequit ab animo contineri, nisi ipse superiori virtute regatur. Quis ergo, nisi forte velit Manichæis arma suppeditare, asserat Deum posse hominem *in puris naturalibus* constituere?

9. Responsio triplex.

Tria huic argumento reponunt: primum, quod concupiscentia malum est *per accidens*, non autem natura sua, ut enim à Deo est, importat solam propensionem in bonum sensibile; & inclinat ad peccatum tantummodo ex hominis infirmitate, ob quam potest à bonis spiritualibus averti, quemadmodum potest deficere à gratia, nec tamen id vitium est, sed naturalis conditio. Alterum, quod concupiscentia malum est physicum, non morale, nisi enim ratio motibus ejus obsecundet, non ei deputatur in culpam. Tertium, quod hæc concupiscentia remanet in baptizatis, ut Synodus Tridentina definit, in quibus tamen nihil remanet damnationis; ideoque etiam in *puris naturalibus* posset adinveniri.

10. Responsio 1. oppugnatur.

Responsio prima oppugnatur, quod non distinguat inter appetitum sensitivum, & hujus appetitus languorem, in quo sita est ratio concupiscentiæ: atque hæc erat oscitantia Juliani, ut liquet ex lib. IV. cap. 14. num. 65. & lib. IV. Supplem. num. 29. utrumque callide permiscentis. Appetitus quidem sensitivus non est per se malus, sed naturalis proprietas. Verum hujusmodi appetitus aut subjiceretur rationi, aut anteverteret. Si anteverteret, en inferioris partis rebellio, en pugna, en vitium: *Malum est enim, ut inferiora superioribus reluctentur, id enim contra æquitatem, & rectam rationem est*, inquit Bellarm. lib. VI. de Amiss. Grat. cap. 14. Si vero subjiceretur rationi, non esset id, quod appellatur *concupiscentia*. Præterea ut inferior pars subjiciatur rationi requiritur gratia; quia ut non regitur inferior pars nisi ab anima quæ est supra virtutem corporis, ita ratio non continet corporeos motus nisi virtute aliqua, quæ sit supra naturam animæ. Vide quæ diximus cap. præcedenti ad Argumentationem secundam.

11. Responsio 2. evertitur.

Altera responsio facilius evertitur, quandoquidem cum Julianus similia reponeret, S. Pater lib. VI. contra ipsum Julianum cap. 19. num. 62. ait: *Neque enim nulla est iniquitas, cum in uno homine vel superiora inferioribus turpiter serviunt, vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiamsi vincere non sinantur.* Ergo concupiscentia malum vitium est, & quidem morale cum ad voluptatem alliciat, luctamque iniquam audeat ciere, etiamsi ejus desideria non perficiat voluntas auxilio Dei confortata. Quapropter Apostolus in septimo ad Romanos v. 15. sentiens motum concupiscentiæ cui non consentiebat, imo sentire nolebat, *non enim* (inquit) *quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio.* Imo videtur Augustinus malam appellare non solum concupiscentiam inclinantem ad malum, verum etiam indifferentem illam ad omnem sive licitam, sive illicitam voluptatem, quam passim recentiores deprædicant. Scribit enim citato lib. VI. cap. 16. n. 50. *Hac ergo concupiscentia carnis nunquam concupiscitur hominis ullum bonum, si voluptas carnis non est hominis bonum. Si autem ut aliquo loco significasti, placet tibi secta Dinomachi honestatem voluptatemque conjungens, quod Philosophi quoque hujus mundi, qui honestiores videbantur, Scyllæum bonum esse dixerunt, ex humana scilicet natura belluinaque compactum; si hoc ergo monstrum tua opinione sectaris, satis est nobis quod confitearis aliam esse illicitam, aliam licitam voluptatem. Ac per hoc mala est concupiscentia, quæ indifferenter utrumque appetit, nisi ab illicita voluptate licita voluptate frænetur.*

12. Responsio 3. confutatur.

Tertia responsio cito, nulloque labore confutatur. Quod enim Augustinus scribit eodem libro cap. 19. num. 60. solvi in renatis concupiscentiæ reatum, malum tamen remanere, & pœnam peccati, hoc ipsum declarat Synodus Tridentina sess. V. in decreto de peccato Originali. Et ideo in baptizatis nihil remanet damnationis, quoniam propter concupiscentiam nemo damnatur, nisi præbeat motibus ejus assensum; imo & meretur, si condelectetur secundum interiorem hominem legi Dei, & malum, quod singulis adjacet, auxilio gratiæ refrænet. Tantummodo Tridentini Patres damnaverunt hæreticos, qui asserunt concupiscentiam naturâ suâ esse vere & proprie peccatum, non languorem peccato contractum; ut constat ex Ruardo Tappero, qui Concilio interfuit, in disert. de baptizatorum concupiscentia Tom. I. pag. 107. Bellarmino de Amiss. grat. lib. 5. cap. 13. & Card. Pallavicino lib. septimo Hist. Concilii Trident. cap. 9. ubi refert Cardinalis Seripandi olim Generalis Ordinis nostri, & Præfecti ejusdem Concilii eruditam, gravissimamque disputationem. Itaque concupiscentia etiam

etiam in Renatis in se, & absolute mala est, non tamen proprie peccatum. Quod postremum cum affirmasset Bajus Propos. 71. illus quoque doctrina merito damnata est. Atque his Theologi, qui negant potuisse Deum condere hominem cum carnis concupiscentia, à se injustas omnes vexationes propulsant, ut fecit Norisius in Vindiciis cap. 3. & in Resp. ad 111. Germanitatem.

13. Responsio melior.

Melior est ergo responsio Guilelmi Estii, qui fatetur in puris naturalibus nullam fururam esse concupiscentiam, nisi forte ad nutum rationis, & quæ voluntatem mentis nec præcederet, nec excederet, ut de Adam scribit Augustinus lib. IV. contra Julianum cap. 11. num. 57. non autem vehementem & infrunitam, qualem nunc experimur, & quæ originalis peccati pœna est, firmissimumque argumentum. Ita nimirum opinantur haud vulgares Theologi Bancel tract. de nat. pura q. 1. art. 4. & L'Herminier in hac eadem quæstione ad objectionem ultimam. Poterunt hæc ab unoquoque suo marte aut defendi, aut oppugnari: quod cave facias Constitutionibus Pontificum, & Augustiniana doctrina munitus.

CAPUT III.

Quale tenendum sit in hac dissertatione temperamentum.

SUMMARIUM.

1. Asseritur temperamentum.
à num 2. usque ad 5. Asseritur, originalem justitiam nequaquam fuisse primo homini debitam, licèt oportuerit, ut creatus ad ultimum finem, à quo divulsus in summam miseriam incidit, supernaturali D. auxiliorum fulcimento ornaretur.

1. Quale temperamentum servandum.

IN tam perplexa quæstione servandum arbitror perutile, Divinumque monitum Deuteron. v. 32. *Non declinabis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Itaque ab eorum placito, qui *puræ naturæ* statum putant esse impossibilem non erit penitus recedendum. Pugnant enim pro hac sententia Theologi in Augustinum studiosissimi Norisius, Gavardi, Bellelli, Lafosse, Clenaerts, Pauwens, Rolliers, & Lovanienses Augustiniani reliqui omnes. Consentiunt nostratibus nonnulli Thomistæ doctissimi, inter quos Vincentius Contensonus tom. v. disp. 1. cap. 1. ubi plura argumenta producit iis, quæ superiori capite explanata sunt, parum dissimilia. Etiam Dominicus Soto, quem in D. Thomæ Schola clarissimum extitisse, neminem fugit, in IV. dist. 49. art. 1. quæst. 2. demonstrat esse Angelici Doctoris sententiam manifestissimam, inesse creaturæ rationali *appetitum innatum* ad visionem Dei sicuti est. Quod probat locis locupletissimis paulo supra citatis; in quorum explicatione ait Cajetanum *mentem D. Thomæ plane detorquere.* Et revera S. Thomas de appetitu naturali, & de perfecta beatitudine, cum 1. p. q. 52. art. 1. tum 1. 2. q. 3. art. 8. quæstionem instituit; nec opus est Commentatore ullo, aut Interprete. Ex appetitu autem innato videtur sequi assertionem nostrorum necessaria quadam illatione; cum nulla creatura expoliari debeat iis mediis, quibus naturalem finem assequatur. Idem sentire Magistrum Zumel 1. 2. q. 109. art. 2. disp. 2. testatur Eminentissimus Aguirre. Ex alia parte cavendum est, ne gratiam aut debitam naturæ humanæ secundum se, aut naturalem conditionem, aut proprietatem esse, cum Michaele Bajo impie ac temere sentiamus: quod sane hæreticum foret, sacrilegum, & nefastissimum.

2. Propositio.

Primum itaque asserimus, quod nullo titulo homini in prima conditione teneretur Deus impertiri charitatem habitualem, sive gratiam sanctificantem, & supernaturalium virtutum habitus: & consequenter integritatem & originalem justitiam hæc omnia complectentem primo homini debitam nequaquam fuisse, atque Deum posse creaturam rationalem condere absque talibus ornamentis. Quod manifestum puto ex damnatione articulorum Baji, de quibus supra capite primo hujus supplementi; & ex communi Doctorum Scholasticorum sensu: inter quos opinantur plures, quod habitualis gratia nec Adæ fuerit à principio collata; omnes vero liberalissimum Dei beneficium illam esse fatentur. De gratia autem actuali dico & hanc non fuisse Adæ debitam, quatenus neque promereri illam potuit operatione aliqua præcedenti, neque exigebat eam primus homo, ut in se absolute, & in genere *speciei suæ* præditus esset naturali qualibet perfectione, quoniam per solam nativam facultatem intelligendi & volendi perfecta redditur rationalis creaturæ substantia. Nihilo tamen minus considerata ut est imago Dei, & comparate ad ultimum finem, à quo divulsa incidit

dit in summam miseriam, oportebat ut supernaturali Divinorum auxiliorum sulcimento ornaretur. Atque primam hujus assertionis partem demonstrant argumenta capitis primi, alteram confirmant ea, quæ secundo capite prosequebar.

3. Probatur ex S. Aug.

Tres in hujus Thesis patrocinium advocabo summos, clarissimosque Doctores. Sit omnium primus S. P. Augustinus, qui lib. IV. contra Julianum cap. 3. num 15. ait. *Bonam dicis hominum naturam, quæ talis gratiæ opitulationem meretur: quod gratanter audirem, si hoc propterea, quia rationalis creatura est, diceres: neque enim gratia Dei per JEsum Christum Dominum nostrum lapidibus, aut lignis, pecoribusque præstatur, sed quia Imago Dei est, meretur hanc gratiam: non tamen, ut ejus bona voluntas possit procedere præter gratiam, ne vel ipsam prior det, ut retribuatur illi, ac sic gratia jam non sit gratia, dum non datur gratuita, sed redditur debita.* Quis non videt creaturam rationalem, quoniam *imago Dei* est, mereri aliquo pacto gratiam, etsi hæc nullis præcedentibus meritis retribui valeat? Scripserat supra lib. III. cap. 11. n. 23. *In natura hominis ante peccatum pacem decebat esse, non bellum.*

4. Probatur ex D. Thoma.

Alter sit Doctor Agelicus, qui præter hactenus dicta, de naturali appetitu beatitudinis, in 2. dist. 3. q. 1. art. 1. *Oportuit*, inquit, *naturam hominis taliter institui, ut non solum haberet illud, quod sibi ex principiis naturalibus debebatur, sed etiam aliquid ultra, per quod facile in finem perveniret: & quia ultimo fini amore inhærere non poterat, nec ad ipsum tenendum pervenire nisi per supernam partem suam, quæ est mens & intellectus, seu ratio, in qua Imago Dei insignita est, ideo ut illa pars in Deum tenderet, subjectæ sunt sibi vires inferiores.* Hæc sane verba Apolline divinatore non indigent. Si legeris Sanctum Doctorem in IV. contra Gentes cap 52. videbis quam aperte, quam solide ex morte & rebellione sensuum demonstret originale peccatum, quoniam etsi videantur naturales defectus consequentes ex necessitate materiæ; *tamen considerando Divinam providentiam, & dignitatem superioris partis humanæ naturæ, satis probabiliter probari potest, hujusmodi defectus esse pœnales, & sic colligi potest, humanum genus peccato aliquo esse infectum.* Supposita ergo Divina providentia, & superiore hominis parte, in qua Divina relucet imago, magna saltem probabilitate concluditur, non potuisse creaturam rationalem sine culpa subjici morti, cæterisque animi, corporisque miseriis. Eodem libro cap. 79. totus est in demonstranda futura corporum resurrectione, ex quo anima spiritualis quidem sit, sed natura sua *forma corporis;* ideoque ab eo separata sit in quodam statu violento, qui perpetuus esse non debet. Atque ex his Divi Thomæ principiis colligitur sensus verborum, quæ pro contraria sententia communiter proferuntur ex q. 4. de malo art. 1. ad 14. ubi ait, *carentiam Divinæ visionis dupliciter competere alicui: uno modo sic, quod non habeat in se, unde possit ad beatam visionem pervenire: & sic carentia Divinæ visionis competeret ei, qui in solis naturalibus esset etiam sine peccato. Sic enim carentia Divinæ visionis non est pœna, sed defectus consequens omnem naturam creatam, quia nulla creatura ex suis naturalibus potest pervenire ad visionem Divinam, &c.* In his enim Doctor Angelicus considerat rationalem creaturam absolute, & secundum se, non comparate ad dignitatem partis superioris, atque ad providentiam, *quæ singulis perfectionibus congrua perfectibilia coaptavit, & superiorem naturam inferiori conjunxit, ut ei dominaretur.* Nam ex accurata hujusmodi consideratione & mortem, & concupiscentiam, & reliqua effecta peccati, probat in magno contra Gentiles Opere rationē habere supplicii.

5. Probatur ex Ægydio Romano.

Erit tertius Ægidius Romanus, qui in 2. dist. xxx. quæst. 1. art. 1. *Cogimur dicere* (inquit) *fuisse quamdam oportunitatem, & quamdam necessitatem, & quoddam debitum, quod natura humana in sui institutione fuerit cum quodam dono supernaturali & gratuito: sed hujusmodi necessitas non potest esse absolute & simpliciter, quia tunc gratia non esset gratia.* Quod hi tres docent, poterit quisque sartum tectumque tenere, vel hac nostra lucubratiuncula ancillante, vel suppetentibus aliorum libris de hoc argumento egregie splendideque conscriptis.

Explicit Liber Duodecimus.

SE-

SECUNDI VOLUMINIS PROPOSITIONES.

I. ADversus Judæos, Hæreticosque ex pluribus veteris Testamenti locis divinarum Personarum Trinitas demonstratur. 4

II. Hanc tamen expressius evincunt textus ex novo Testamento deprompti. 15

III. Inter illos germanus est, non adscititius, neque dolo, vel oscitantia intrusus versus VII. quinti capitis Epistolæ primæ Joannis. 17

IV. Hujus etiam auctoritatem agnoverunt complures Ecclesiæ Patres *ibid.*

V. Nullius ponderis sunt argumenta, quæ Sociniani ex novo Testamento adversus fidem Trinitatis producunt. 21

VI. Traditione quoque Patrum divinarum Personarum numerus comprobatur. 25

VII. Neque inspecta humana ratione Catholicum de Trinitate dogma se ipsum evertit. 27

VIII. Filius Dei fuit in aliqua substantia, priusquam conciperetur ex Virgine. 38

IX. Is à Deo Patre genitus est, ac Filius dicitur non adoptione & gratia, sed generatione & natura. 43

X. Habere ipsum Filium eandem cum Patre substantiam pluribus argumentis evincitur. 52

XI. Vocabulum ὁμοούσιον rite, atque opportune à Sacrosancta Nicæna Synodo fuit receptum, Symbolo additum, & consecratum. 64

XII. Spiritus Sanctus vera est, ac subsistens Persona. 68

XIII. Macedoniana adversus ejusdem Spiritus Sancti divinitatem nefaria hæresis apertissime à Catholicis impugnatur. 75

XIV. Procedit autem idem Spiritus Sanctus à Patre, & à Filio. 81

XV. Immerito Latini de corrupto Symbolo redarguuntur à Græcis propter additam particulam *Filioque*. 88

XVI. Admittitur jure, meritoque à Theologis *Missio* Filii à Patre, & Spiritus Sancti à Patre, & à Filio. 92

XVII. Recte etiam à Scholasticis usurpantur Græca, & Latina vocabula, quorum in disputationibus de Trinitate frequens est usus. 94

XVIII. Ignatii Martyris septem Epistolæ opus illius sunt purum, ac genuinum. 100

XIX. In eisdem vero Ignatianis Epistolis Verbi divinitas apertissime traditur. 102

XX. Etiam Justinus Martyr æterni Verbi affirmavit, & credidit Divinitatem. 103

XXI. Nec Arianis, nec Sabellianis præluxit Athenagoras in sua pro Christianis Apologia. 106

XXII. Propugnat quoque Verbi divinitatem in libris adversus Hæreses Irenæus. 107

XXIII. Injuste S. Clemens Alexandrinus à Joanne Clerico, aliisque impostoribus insimulatur Arianismi. 109

XXIV. At Origenem Adamantium à labe hujus hæresis omnino purgare non possumus. 111

XXV. Perperam advocarunt Ariani Epistolam Dionysii Alexandrini in suæ hæresis patrocinium. 113

XXVI. Iniquum est Wolzogenii judicium de sententia Athanasii: quem esse Auctorem Symboli ipsius nomine inscripti nequit evidenter probari. 115

XXVII. Basilius Magnus nunquam dogma Catholicum violavit 119

XXVIII. Sententia est probabilior, nec Tertullianum Verbi improbasse divinitatem. 121

XXIX. At Eusebii Pamphili fides pendet in ambiguo, & pluribus argumentis accusatur, pluribus etiam defenditur. 123

XXX. Liberius Papa subscripsit uni ex tribus Sirmiensibus formulis, quæ interpretative potest Ariana appellari. 129

XXXI. Non tamen subscripsit tertiæ, ut opinantur Valesius & Pagius; *ibid.*

XXXII. Et multo minus probavit secundam *formaliter* hæreticam, sive absolute, ut putat Blondellus, sive in una tantum parte, quomodo visum Petavio. 130

XXXIII. Hosius cessit tandem Arianis, illorumque impietati consensit. 132

XXXIV. In Arianica tamen perfidia nequaquam obiit. 133

XXXV. Catholicam de Trinitate fidem profitetur Ecclesia in Hymno *Te Deum laudamus*, quem jure Ambrosio, atque Augustino tribuimus. 134

XXXVI. Nemo acie naturalis ingenii potest Trinitatis mysterium percipere, nec fide imbutus illud humanis tantum argumentationibus demonstrare. 138

XXXVII. Datur in Deo verum aliquod, ac proprium generationis principium. 141

XXXVIII. Hoc autem principium non est sola hypostasis, aut relatio. 142

XXXIX. Neque sola natura principium est *processionum* divinarum. *ibid.*

XL. Admittendum non est aliquod principium *quo* à principio *quod* sensu *complexo* distinctum. *ibid.*

XLI. cur solus Filius sit genitus, reddi à nobis evidens ratio non potest 146

XLII. Laudandi tamen sunt Scholastici, qui divinas *processiones* tanta doctrinarum varietate conati sunt illustrare, & singulorum sententia aliquo sensu vera est. 147

XLIII. Si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, essent ambo una, eademque persona. 148

XLIV. Si relationes accipiantur *concrete*, id est, pro relativis quæ dicuntur ad invicem, sunt in Deo realiter, si pro forma aliqua, per quam constituuntur relativa, non sunt res aliqua *complexe* significabilis, sunt tamen res extra animam significabilis *incomplexe*. 151

XLV.

XLV. Si accipiantur relationes *concrete*, & pro relativis sunt in Deo tantum tres; si vero pro respectu & ordine, possunt quatuor admitti. 152
XLVI Quomodocunque accipiantur in Deo relationes, sunt infinita quædam perfectio, *incomplexe* cum divina essentia significabilis. *ibid.*
XLVII Accepto *subsistentiæ* vocabulo pro modo peculiari existendi, quo constituitur persona plenarie individua, tres sunt in Deo subsistentiæ. 153
XLVIII. Accepto autem, prout significat rationem existendi per se, atque in sensu grammaticali, una tantum est in Deo subsistentia. 154
XLIX. Differentibus de Trinitate observandum est, ne has propositiones enuntient, *Essentia generat*, *Pater est aliud à Filio*, *Filius est unus cum Patre*; atque ut vitent tam vocabula, quæ personarum pluralitatem excludunt, quam illa, quæ innuere videntur distinctionem substantiæ. *ibid.*
L. Retinendum est autem ipsum *Trinitatis* vocabulum, necnon servandæ locutiones illæ, *Trina Deitas*, *Trina Unitas*, *Trina Majestas*. 156
LI. Ab uno Trinoque Deo disputationem ad Angelos convertentes, hos existere adversus Sadducæos probamus ex sacris literis, omniumque plane hominum sensu. 159
LII. Hæc tamen Angelorum existentia certis naturalibus argumentis probari nequit. 160
LIII. Iidem Angeli nulla extensione corporea suapte natura præditi sunt. 162
LIV. Appellari possunt Angeli mortales multimodis: 167
LV. Verum, in quantum immortalitas idem est ac permanentia substantiæ, quæ nullam habet intrinsecam potentiam inclinantem se ad non esse, dicendi sunt immortales. *ibid.*
LVI. Non repugnat plures Angelos in eadem *specie* multiplicari. 169
LVII. Imo videtur probabilior, ac Patribus magis consentanea sententia eorum, qui affirmant omnes Angelos esse unius *speciei*. 170
LVIII. Videtur numerum Angelorum non esse multitudine hominum ampliorem; sed incerta res est, neque debet temere definiri. 171
LIX. Est probabilior sententia eorum, qui putant Angelos una cum rebus corporeis fuisse creatos. 173
LX. Ad fidem tamen sententia illa non spectat. *ibid.*
LXI. Neque ad fidem spectat, imo nullatenùs est certa vulgaris opinio Angelos in cœlo Empyreo fuisse productos. 174
LXII Habuerunt Angeli in prima sui conditione actualem gratiam, quam S. Pater appellat adjutorium *sine quo*. 178
LXIII. Fuerunt etiam gratia sanctificante exornati: quamvis id non sit plane certum, & absque ullo fidei detrimento possit negari. *ibid.*
LXIV. Juxta Augustinum Angeli conditi fuerunt absque perfecta, ac plena supernaturali beatitudine. 181
LXV. Sed in beatitudine tamen supernaturali inchoata, quæ gratiam, & amorem castum complectitur. 182
LXVI. Receperunt etiam Angeli in prima conditione naturalem beatitudinem. 183
LXVII. Peragitur ipsorum Angelorum cognitio per ideas ingenitas, & innatas, atque participatione lucis æternæ. 184
LXVIII. Certissimum est Angelis manifesta nequaquam esse secreta cordium. 186
LXIX. Datur quædam inter Angelos allocutio, 190
LXX. Eaque probabilius perficitur certis signis spiritualibus. 191
LXXI. Futura contingentia, & libera ab Angelis certo cognosci, & prænuntiari non possunt. 193
LXXII. Deprehenditur certis notationibus, quam fallacia fuerint Idolorum oracula. 194
LXXIII. Præditi quoque fuerunt Angeli libero voluntatis arbitrio. 196
LXXIV. Non videtur voluntas Angelica in eo, quod semel elegerit, suapte natura immutabilis. 198
LXXV. Vera interdum Angeli assumunt corpora. 199
LXXVI. Sunt certo, ac definito loco præsentes. 201
LXXVII. Et quidem ratione substantiæ suæ; *ibid.*
LXXVIII. Quamquam constituantur in loco *per contactum* operatione, & applicatione virtutis 202
LXXIX. Angeli peccare & mereri potuerunt, antequam intervalla morarum temporalium percurrerent: 204
LXXX. Non tamen potuerunt mereri vel demereri in primo instanti operationis Angelicæ. 205
LXXXI. Verisimile est Satanam fuisse cæteris spiritibus nobiliorem. 208
LXXXII. Superbia Angeli Apostatæ peccaverunt. *ibid.*
LXXXIII. Ignis, quo dæmones & damnati torquentur, erit perpetuus ac sempiternus 211
LXXXIV. Est procul dubio idem ignis materialis, atque corporeus. 218
LXXXV. In Sanctorum Angelorum Hierarchia novem ordines sunt dispositi. 223
LXXXVI. Atque ex unoquoque Ordine Angeli interdum ad nos mittuntur. 225
LXXXVII. Suam instituerunt rempublicam, & exercitus disposuerunt etiam iniqui spiritus. 226
LXXXVIII. Deputatur Angelus custos à Deo omnibus fidelibus, & probabilius cæteris etiam hominibus. *ibid.*
LXXXIX. Etiam malus Angelus deputatur universis à Principe dæmoniorum. 228
XC. Prodigia ac portenta patrata virtute dæmonum, si rerum causæ dignoscerentur, mira non censerentur. 232
XCI. Homines etiam improbi aliquando vera operantur miracula. *ibid.*
XCII. Vera autem à falsis miraculis certis characteribus distinguuntur: 233
XCIII. Et quæ vera sunt, & naturalem superant facultatem, fieri nequeunt in confirmationem erroris. 234
XCIV. Datur aliqua magia, per quam vel arte, vel naturali scientia plura efficiuntur præter consuetum naturæ ordinem; 238
XCV. Atque datur aliud genus magiæ, cujus effectus naturaliter non eveniunt: 239
XCVI. Opera, quæ ad hanc magiam pertinent, ab iniquo & contaminato spiritu efficiuntur. 240
XCVII. Habent idcirco istiusmodi opera in se crimen idololatriæ, dæmonisque cultum nefarium. *ibid.*
XCVIII. Ars magica à posteris Cham cœpit primum disseminari. 241
XCIX. Est itaque scelus summopere detestabile artem ipsam magicam exercere. *ibid.*
C. Post disputationes de spiritibus, de mundo aspectabili differentes debent cæteris Historiis præferre Mosaicam narrationem. 244
CI. Audaciæ vitio notari debent qui carpunt Augustinianam de simultanea creatione sententiam. 248
CII. Est enim hæc non tantum ab omni animadversione immunis, verum etiam probabilis, & prope certa. 249
CIII. Opposita tamen tanquam aperte falsa ab Augustiniano Theologo non debet refelli. 252
CIV. Augustinianæ doctrinæ fulcimentum est contractus de operibus sex dierum Commentarius. 255
CV. Paradisus voluptatis fuit locus quidam verus, atque corporeus. 258
CVI. Situm arbitramur in planitie supra vertices montium *Ararat*. 259
CVII. Extiterunt revera inter arbores Paradisi lignum vitæ, & lignum scientiæ boni & mali 262
CVIII. A Deo omnia producta fuerunt in tempore: 263
CIX. Et forte nulla res creata potuit produci ab æterno. 264

CX.

CX. Verno tempore Deus mundum condidit, non autumnali 267
CXI. Mundi ætas in certas Epochas distributa comprehendit usque ad Christi nativitatem circa annos MMMM. 271
CXII. Nullus mortalium potest cognoscere finem sæculi, & tempus consummationis. 275
CXIII. Hominum universorum Protoparens fuit Adam. 279
CXIV. Ipsius Corpus neque infantili ætate, neque statura Gigantis productum est 285
CXV. Non fuit, ut putavit Eugubinus, Androgynum. 286
CXVI. Quæ de productione Evæ narrantur, sunt literaliter, & historice accipienda. 287
CXVII. Animus hominum est spiritualis, atque incorporeus. 289
CXVIII. Rationalis Anima non est portio aliqua divinæ substantiæ. 290
CXIX. Creata non fuit Anima spiritualis extra corpus, neque in illud ob crimen antea perpetratum detrusa. 291
CXX. Utrum anima creetur ex nihilo quæstio perdifficilis est, nec sine causa Magnus Augustinus in hac re dubitavit. 294
CXXI. Est tamen catholicum, & irrefragabile Dogma, quod anima non propagetur semine corporali 296
CXXII. Non demoritur spiritualis Anima simul cum suo corpore: 302
CXXIII. Neque datur Animarum de uno in aliud corpus transmigratio; 305
CXXIV. Sive circulus Animorum, aut revolutio Platonica. 306
CXXV. Creatus est homo ad imaginem, & similitudinem Dei: & hæc imago sita est in facultate intelligendi & volendi, atque in arbitrii libertate. 307
CXXVI. Verum similitudo Dei etiam gratiarum, ac virtutum dona complectitur. 308
CXXVII. Cum gratia habituali productus fuit primus homo. 309
CXXVIII. Præter hanc gratiam habitualem, Deus illi etiam actualem largitus est. 313
CXXIX. Verumtamen Adam ut perseveraret non opus habebat adjutorio gratiæ prædeterminantis, atque victricis. 314
CXXX. Non fuit Immortalitas primi hominis proprietas naturæ, sed gratiæ Dei beneficium. 320
CXXXI. Habuit primus homo libertatem à necessitate, à peccato, à miseria. 323
CXXXII. Fuisset etiam in statu Innocentiæ Filiorum per conjugalem copulam propagatio. 327
CXXXIII. Æquissima fuit lex principio lata, ne homo certæ arboris fructum tangeret. 329
CXXXIV. Ad hujus legis violationem Diabolus hominem impulit, usus vero ac naturali serpente, tanquam organo, & instrumento. 330
CXXXV. In transgressione illa plura reperiuntur peccata sed fuit primum, & radix cæterorum superbia. 333
CXXXVI. Mors est pœna peccati: ac poterat quidem primus homo sibi mortem conscisсere; sed non erat moriturus nisi peccasset. 335
CXXXVII. Ignorantia pariter, quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis suæ, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati. 339
CXXXVIII. Similiter concupiscentia & vitium peccato inseminatum, & vulnus, atque supplicium. 341
CXXXIX. Hujus concupiscentiæ argumentum esse pudorem nuditatis, perperam nititur adversus Augustinum demonstrare Phereponus. 343
CXL. Vere fecit Deus Adamo, & Evæ tunicas pelliceas ad tegendam corporum nuditatem. 344
CXLI. Adam patrati criminis pœnituit, æternamque salutem fuit consecutus. 345
CXLII Complura sunt argumenta, quibus aliqui demonstrare nituntur, non repugnare statum puræ naturæ. 349
CXLIII. At non desunt valida momenta etiam iis, qui ex adverso eundem statum impossibilem esse contendunt. 354
CXLIV Tenendum est itaque inter utramque sententiam traditum ab Augustino temperamentum. 359

INDEX

RERUM, ET MATERIARUM

IN

SECUNDO HOC LIBRO CONTENTARUM

NB. *Primus numerus sub Litt.* P. *Denotat paginam. Alter sub Litt.* N. *Significat Numerum marginalem.*

A.

Abaelardus: Naturali Virtute putabat demonstrari posse Mysterium Trinitatis p. 137. n. 1 & seq.

Abraham. de ejus nativitate & vocatione p. 272. n. 4. & 5.

Accaron. idolum qualem habuerit figuram? p. 225. n. 7.

Accusator. Octavus ordo dæmonum constituitur ex accusatoribus. p. 226. n. 8.

Adamantius Origenes. v *Origenes.*

Adamas: non consumitur igne. p. 220. n. 28.

Adamus. Isaac Peyrerius Pater fuit Præ-seu Ante adamitarum. p. 278 n. 1 Adamus fuit primus homo, ex quo omnes gentes sunt propagatæ. p. 279 n. 1. tot. cap. I. in fabula Promethei, & Pandoræ designantur Adam & Eva. p. 281 n. 9. de Adami Corporeo plasmate. p. 284. n. 1 Corpus Adami nec infantili ætate, nec statura gigantum productum est. p. 285. n. 2. & seq. an sepultus in Hebron? p. 285 n. 3. & 4. Corpus primorum Parentum non fuit Androgynum p. 286. n. 5. & seq. fuit productus ex limo, Eva verò ex osse. *ibid.* Adamus est factus ad imaginem Dei, & quomodo? p. 307. n. 1. & seq. an hanc imaginem amiserit peccando? p. 308. n. 3. an divina imago etiam reluceat in ipsius corpore? p. 308 n. 3. an Adam viderit Deum facie ad faciem? p 308. n. 4. Adam productus est cum gratia gratum faciente, sed hoc non est articulus fidei. p. 309. n. 6. & seq. an cum justitia originali? *ibid.* an Adam in primo instanti creationis sit positus in Paradyso? p. 310 n. 10. & seq. an habuerit Spiritum S. *ibid.* Adamo est collata gratia actualis, non tamen erat ei necessaria ad perseverandum gratia ab intrinseco efficax, & prædeterminans p. 312 n. 1. tot. cap VIII. gratia actualis Adamo collata consistebat in illuminatione mentis. p 313. n. 4. an gratia actualis Adamo fuerit necessaria? p. 317. n 15. immortalitas Adæ fuit donum supernaturale, non proprietas naturaliter debita. p. 320. n. 1 tot. cap. IX. an Adam perenniter vixisset, si de ligno vitæ comedisset? p. 321. n. 7. de libero arbitrio Adami p. 322. n. 1. & seq. Adamus habuit libertatem à necessitate, & peccato: non itidem nos. p. 323. n. 4. immortalitas & libertas novissima Sanctorum est major immortalitate, & libertate prima Adami. p. 324. n. 5. an Adamo non peccante generatio hominum esset facta per copulam carnalem in Paradyso? p. 326. n. 1. tot. cap. XI. an in Paradyso fuisset usus nuptiarum? *ibid.* quomodo præceptum sit transgressus? p 329. n. 1. tot. cap. XII. vid. *Protoplastus.* Adamus ante lapsum non fuit morti subjectus. p. 334. n. 2. & seq. de pœnis ipsi injunctis. p 334. n. 1. tot. cap. XIII. an etiam Adam fuerit deceptus à serpente? p. 339. n. 18. & 19. de Adami resipiscentia, & salute. p. 345 n. 1. & seq. Quinam dixerint eum esse damnatum? *ibid.* an sepultus in monte Calvariæ. p. 346 n. 4. & seq.

Additio. quotuplex sit? p. 90. n. 8.

Adoptio. Christus est Filius Patris Cœlestis non adoptione, & gratia, sed generatione, & natura. p. 43. à n. 1. per tot. cap. IX. Objectiones Wolzogenii circa hanc materiam solvuntur. p. 48. à n. 1. per tot. cap. X.

Ægyptius: Moyses est antiquior, & præferendus Ægyptiis. p 243. n. 1. & seq. eorum fabulæ circa numerum annorum non curandæ p. 271. n. 1. an primi docuerint transmigrationem animarum? p. 304. n. 1.

Æqualis. vid. *Attributum.*

Aer. dæmonas quidam sunt in aeris regionibus. p. 209. n. 6. & seq. an & hi crucientur igne infernali? p. 221. n. 30. & seq. hi dæmones sunt in sexto ordine dæmonum. p 226. n. 8 an dæmon possit maleficum in aërem sublevare? p. 231. n. 1. & seq. sagæ an & qua virtute leventur in aëra? p. 236. n. 20 & 21.

Æra: Vulgaris quando inceperit? p 273 n. 8.

Æstas. an in æstate mundus sit productus? p. 267. n. 1. & seq.

Ætas de mundi ætate. p. 271. n. 1. & seq.

Æternitas: errores plurium de æternitate Christi. p. 17. n. 8 æternitas in scriptura significatur per verba: *Ego sum* p. 38. à n. 3. & seq. per tot. cap. VIII. est duplex. p. 265. n. 11.

Æternus: Filius Divinus est æquè æternus, ac Pater etiam non obstante generatione. p. 49. n. 7. de æterna generatione Patris. p. 43. à n. 1. per tot. cap. IX. solvuntur objectiones contra eandem. p. 48. à n. 1. per tot. cap. X. ignis infernalis est æternus. p. 211. n. 1. & seq. vid.

vid. *ignis*. an mundus vel alia creatura sit Deo coæterna. p. 263. n. 1. & seq. vel saltem possit esse ab æterno. p. 264. n. 8.
Æthiopia: duplex datur. p. 260. n. 7.
Ætius: ejus error, de consubstantialitate Filii Divini. p. 65. n. 4. & seq.
Ævum: de distributione omnis ævi. p. 271. n. 1. & seq.
Albigenses: negant, Deum esse auctorem omnium. p. 166. n. 14.
S. Alexandrinus Clemens. vid. *Clemens*.
Alexandrinus Dionysius: an Epistola Dionysii Alexandrini faveat Arianis. p. 113. n. 1. & seq.
Altercatio: Sociniani cum Catholico circa summam Trinitatem. p. 27. à n. 1. per tot. cap. VI.
S. Ambrosius composuit Hymnum *te Deum laudamus*. p. 134. n. 1. & seq.
America quando inventa: quomodo homines in eam venerint p. 283. n 16. & 17.
Amo: Beati, & Angeli necessariò amant Deum, non tamen propterea quid merentur. p 196. n. 1 & seq. amârunt ab initio Deum liberè. p. 197. n. 3 an Deum possimus amare sine gratia. p. 357. n. 5. & seq.
Anastasius hæreticus. quid dicendum de ejus symbolo. p. 88. n. 3. & p. 89. n. 6.
Anastasius Imperator. ob admissam quaternitatem Personarum in Divinis fulmine ictus interiit. p. 3. ante n. 1.
Androgynus. an Corpus primorum Parentum fuerit Androgynum. p. 286 n. 5. & seq.
Angelus in textu Scripturæ: *faciamus hominem &c.* Deus non est locutus cum Angelis, sed una Persona cum altera p. 9. n. 16. ad creationem hominis non concurrebant Angeli. *ibid.* an Angeli sint conditi ante mundum p 42. n. 17. an Deus vel Angelus apparuerit, vel Christus, quando in Vetteri Testamento habetur Deum apparuisse Patriarchis. p. 39. à n. 5. &c. Sadducæi negabant dari Angelos. p. 68. n. 1. an & quo cultu possint adorari. p. 104. n. 3. an existentia Angelorum possit manifeste demonstrari. p. 158. n. 1. & seq. per tot. cap. I. Nomen Angeli explicatur p. 158. n. 1. & seq. Quare vocentur Cherubim. *ibid.* cur Angeli vocentur Dii, Nuntii, Seraphim. *ibid.* Origo & error Sadducæorum negantium existentiam Angelorum narratur. p. 159. n. 2. iidem refutantur. p. 159. n. 3. & seq. quo die Sint creati. p. 160. n. 6. an Angeli sint conflati ex spiritu, & corpore. p. 161. n. 1. & seq. per tot. cap. II. Platonici asserebant eos constare corporibus elementaribus p. 161 n. 1. quid scriptura intelligat per textum: *Videntes Angeli Dei filias hominum*. p. 163. n 6. an Angeli mali sint capaces generationis. p. 163. n. 6. an S. Augustinus docuerit Angelos esse corporeos. p. 165 n. 11. & 12. quo sensu Angeli sint mortales, & immortales. p 166. n. 1. per tot. cap. III. quænam detur distinctio inter Angelos. p. 168. n. 1. per tot. cap. IV. de numero Angelorum p 171. n 1. per tot. cap. V. quo tempore & loco Angeli à Deo sint creati. p. 172. n 1. per tot. cap. VI. an Angeli sint creati in gratia actuali, & sanctificante. p. 177. n 1. & seq. per tot. cap. VII. an Angeli præter gratiam habuerint etiam Beatitudinem. p. 180. n 1. per tot. cap. VIII. an Angeli fuerint Viatores. p. 183. n. 8. quomodo Angelorum cognitio peragatur. p 184. n. 1. per tot. cap. IX. an hæc cognitio fiat per species acceptas à rebus. p. 184. n. 1. vel an cognoscant res in Verbo. *ibid.* & in quo medio p. 185. n. 2. quotupliciter se lux Divina Angelis communicet. p. 185. n. 3. quid sit cognitio Vesper- & matutina Angelorum. p. 185. n. 5. & 6. an Angeli cognoscant cogitationes nostras, & secreta cordium? p. 186. n. 1. per tot cap. X & an id fiat virtute sensibili, vel spirituali. p. 189. n. 13. & 14. an possint sentire in corpore assumpto. p. 189. n. 14. quomodo Angeli colloquantur ad invicem. p. 190. n 1. & seq. per tot. cap. XI. An Angeli cognoscant necessariò futura? p. 193. n. 1. & 2. an futura contingentia, & libera. p 193. n. 3. & seq. de flexibili voluntatis arbitrio Angelorum. p. 196. n. 1. per tot. cap. XIII. habent facultatem amandi & volendi. *ibid.* n 1. & seq. summum bonum clarè cognitum amant necessariò, alia bona possunt amare, vel non amare. *ibid.* quid sit libertas lubentiæ Angelorum. *ibid.* circa hanc libertatem erroneè sentiunt Calviniani, & Jansenistæ. 197. n. 2. Angeli amârunt Deum ab initio liberè. p. 197. n. 3. an Angeli statim ab initio habuerint visionem Dei intuitivam. *ibid.* an Angelus possit peccare contra legem naturæ. p. 197. n. 4. an sit discursivus, *ibid.* an cognoscat veritates Universales. *ibid.* an & qualis ignorantia fuerit in Angelis. *ibid.* Angeli boni sunt voluntatis immutabilis, & essentialiter determinati ad amandum Deum. p. 198. n. 5. non habent indifferentiam Judicii. *ibid.* Angeli mali habent voluntatem immutabilem ob obstinationem. p. 198. n. 5. non potest peccare. p. 198. n. 6. 7. & 8. an Angeli mali possint pœnitentiam agere. p. 199. n. 10. quomodo Angeli assumant corpora, & certo in loco constituantur. 199. n. 1. per tot cap XIV. an possint diversa recipere corpora eodem tempore *ibid.* an Angeli moveantur localiter, & quidem in momento. p. 202. n 9 & 10. an unus Angelus possit esse in pluribus locis, vel plures Angeli in eodem loco. p. 203. n. 11. de merito, & lapsu Angelorum. p 203. n. 1 per tot. cap. XV. an meruerint, ac peccaverint statim ab initio in primo instanti. *ibid.* Angeli boni meruerunt ex gratia Dei, mali peccârunt ex libero arbitrio *ibid.* hoc malè negant Pelagiani, & Manichæi. *ibid.* quis fuerit Princeps Angelorum malorum. p 207. n. 1. & seq. Angeli mali peccata quæ commiserint. p. 208. n. 5. Angeli mali non commiserunt stuprum, nec concubitum cum muliere. p. 209. n. 8. Angelus malus vide *dæmon* de Cœlesti Angelorum Hierarchia p. 221. n. 1. tot. cap XVIII. quot sint ordines Angelorum p. 223. n. 1. & seq. quot sint Hierarchiæ. *ibid* Ordo Angelorum custodum explicatur. *ibid.* an Angeli Custodes teneant locum inferiorem Archangelis p. 224 n. 4. an omnes Angeli cujuscunque Ordinis mittantur. p. 225. n 6. quomodo Thalmudistæ numerent exercitus Angelorum p. 225. n. 7. Quomodo Angeli vigilent ad animarum custodiam & dæmones ad perditionem illarum. p. 226. n. 1. per tot. cap. XIX. an quilibet homo habeat Angelum custodem *ibid* Angelos custodes negat Calvinus. p. 227. n. 5 quænam mirabilia excedant potestatem Angelicam. p 231. n. 1, & 2. ac seq. an dies, quibus creatus est mundus, sint distinguendi per diversas cogitationes Angelorum. p 247. n. 1 & seq. an Angeli in scriptura intelligantur nomine lucis p. 160. n. 6. & pag. 256. n. 5. an etiam Angelus sit creatus ad imaginem Dei. p. 308. n 2.
Anima. damnatorum quomodo crucietur ab igne infernali materiali? p. 220 n 28. & seq. Quomodo Angeli vigilent ad animarum custodiam, & dæmones ad perditionem earum? p. 226. n 1 per tot. cap XIX. an anima rationalis sit corpus? p. 228. n. 1, affirmativè respondet Atheus, & Epicurus *ibid.* vid. *Animus*
Animal. caret libero arbitrio. p 325. n. 8.
Animus hominum incorporeus est & spiritualis naturæ. p 289. n. 2. & seq. non est portio divinæ substantiæ. p. 290. n. 6. & seq. non est creatus extra corpus. p 291. n. 1. & seq an anima sive animus, creetur ex nihilo? p. 294. n. 9. non ex semine & traduce cor-

corporali producitur, *ibid. & seq.* Quomodo anima dependeat à corpore? p. 297. n. 18. & 19. an animus sit indifferens ad ingrediendum hoc, vel illud corpus? p. 297. n. 19. an animus separatus à corpore possit sentire? p. 298. n 21. Quomodo contrahat peccatum Originale, si creatur? p. 298. n. 22. an animus sit in qualibet parte corporis totus? p 300. n. 30. & 31. animus sive anima est immortalis. p. 302. n. 1. & seq de transmigratione animarum. p. 304. n. 1. & seq. an migrent quoque in corpora bestiarum? *ibid* de circuitu animorum ad mentem Platonis. p. 306. n 6. & seq. Qualiter homo sit factus ad imaginem Dei secundùm animum? p.307. n. 1 & seq. an Divina imago non tantùm in animo, sed etiam in corpore reluceat? p. 308. n. 3. idem animus humanus est voluntas, & intellectus. p 316. n. 9 & 10. mors corporis, & animæ est pœna peccati Adæ. p. 335 n 3.

Annihilatio. an detur naturaliter? p. 167. n. 2.

Annotatio. Utilis de quibusdam libris Apocryphis tractantibus de summa Trinitate. p. 26. n. 4 usque ad n. 8. item alia circa constitutiones Apostolicas Clementis Romani. p. 26. n. 4. vid. *Regula*

Annus. quo anni tempore mundus sit productus? p. 267. n. 1. & seq. quo diluvium? p. 268. n. 5. qualis mensis primus in anno. p. 268. n. 5. & seq. Fabulæ Ægyptiorum in numero annorum. p 271. n. 1. de annis Lunaribus *ibid.* anni Patriarcharum non sunt breviores nostris. p. 272. n. 2 de anno nativitatis Abrahæ p. 272. n. 4. legis Moysaicæ promulgatæ. *ibid.* n. 5. Excidii Troiani, institutionis Olympiadum, & Romæ conditæ *ibid* n. 6. quo anno Christus sit natus. p. 273. n. 7. quo anno inceperit Æra Vulgaris. p. 273. n. 8. quot annis mundus stabit. p. 275. n. 1. & seq. quid annus maximus. *ibid.*

Anomæus. error Anomæorum de Spiritu S. p. 68. n. 1.

Anteadamita. vid. *Adamus*

Antenicæni Patres asserunt, Christum apparuisse Patriarchis in veteri Testamento, quoties legitur, Deum apparuisse. p. 39. n. 5. 19. 20. 21. & 22. eorum opinio de generatione æterna Patris. p. 43. à n. 1. per tot. cap. IX. Apologia horum Patrum. p. 99 à n 1. & seq. iidem eximuntur à falso dogmate Arianorum. p 99. per tot. lib. VIII.

Antetrinitarii. Refutantur à p. 3 per plura capita integra, item in errore circa æternam Patris Cœlestis Generationem p. 43. à n. 1. per tot. cap. IX.

Antichristus. de ejus miraculis p. 235. n. 16. & 17.

Antiochenus. in quo sensu synodus Antiochena rejecerit verbum ὁμοούσιος. p. 66. n 11.

Apocryphus. Annotatio utilis, an libri Dionysii Areopagitæ agentes de Divinis Nominibus, & Theologia mystica sint Apocryphi. p. 26 n 5 item de aliis quibusdam libris Apocryphis circa Mysterium Trinitatis. p 26 n 4. usque ad n 8. an Epistola Prochori de historia S. Joannis sit Apocrypha. p. 26 n. 6. an Constitutiones Clementis Romani sint apocryphæ. P. 26. n. 4. an similiter conciones S. Zenonis Episcopi Veronensis sint apocryphæ p 27. n. 8.

Apollo. cur vocetur Smintheus. p. 225. n. 7.

Apologia. Patrum Antenicænorum habetur. p. 99. à n. 1. per tot. Lib. VIII. de Apologia Athenagoræ pro Christianis facta. p 105 n 1. & seq.

Apostolicus. vid. *Regula*

Aprilis. an primus sit mensis in anno. p. 268. n. 5. & seq.

Apuleius. an verum sit, quòd in asinum sit mutatus. p. 236. n. 20. & 21.

Aqua est facta prima die p. 255. n. 1. Communis substantia rerum Creatarum est aqua. p. 255. n. 1. & seq.

Ararat. vid. *Armenia.*

Arbe. fuit Pater Gigantum. p. 286. n. 4.

Arbitrium. de flexibili voluntatis arbitrio Angelorum. p. 196. n. 1. per tot. cap. XIII. angeli mali peccârunt ex libero arbitrio. p. 203. n. 1. erronee hoc negant Pelagiani, & Manichæi. *ibid.* homo est factus ad imaginem Dei in facultate volendi, intelligendi, & liberi arbitrii. p. 307. n. 1. & seq. de libero arbitrio Adami. p. 322. n 1 & seq essentia liberi arbitrii non consistit in facultate eligendi bonum, vel malum. p. 323. n. 3. Adam habuit libertatem arbitrii à necessitate, & peccato, non verò nos. p. 322. n. 4. indifferentiam arbitrii habet etiam homo lapsus. *ibid.* in quo consistat liberum arbitrium p 322. n. 1. & seq. liberum arbitrium non distinguitur à voluntate. p. 325. n. 7. quæ sit distinctio inter libertatem voluntatis, & arbitrii? *ibid.* arbitrio libero carent res inanimes, & animalia. p. 325. n. 8. ad essentiam liberi arbitrii requiritur etiam ratio. *ibid.* & n. 9, ac 10.

Arbor. Quid dicendum de arbore scientiæ boni & mali p. 262. n. 15. & 16. qualis fuerit speciei. p. 329. n 3.

Archangelus. Ordo Archangelorum explicatur. p 223. n. 1. & seq. an etiam hi à Deo mittantur. p. 225. n. 6.

Areopagita Dionysius. hujus libri de Divinis nominibus, & Theologia Mystica an sint apocryphi. p. 26. n. 5.

Arianus. refertur eorum error de summa Trinitate. p. 3. ante n 1. ac p. 5. n. 1. refutatur p 20. n. 18 19. & 20. adducitur eorum error de Verbo divino. p. 37. n 1. item de generatione æterna Patris Cœlestis. p. 45. n. 6. & seq. ac p. 48. à n. 1. per tot cap. X. iidem erraverunt circa consubstantialitatem Filii Divini. p. 52. n. 2. & 11. ac p. 57. n. 1. & seq jure contra hos Synodus Nicæna usurpavit verbum ὁμοούσιος. p. 64. n. 3. & seq. probatur, quòd S. Polycarpus non fuerit arianus. p. 103. ante n 1 ab horum errore defenduntur Patres Antenicæni. p. 99. per tot lib. VIII. Adamantius Origenes vix potest excusari ab Arianismo. p 110. n. 1. & seq. Arianis non favet Epistola Dionysii Alexandrini. p. 113. n. 1. & seq. an Eusebius Pamphilus fuerit arianus. p. 122. n. 1. & seq. arianorum Blasphemiæ non subscripsit Liberius Papa. p 128. n. 1. & seq. referuntur tres arianorum formulæ Sirmienses. p. 128 n. 1. an alicui subscripserit Liberius Papa. p. 128. n. 1. & seq. de lapsu in hæresin arianam, & pœnitentia Hosii Episcopi. p. 132. n. 1. & seq. contra hos divinitas Verbi probatur p. 264. n. 8. & seq.

Aristoteles. ait mundum esse ab æterno. p. 263. n. 1.

Armenia. supra præaltos Vertices montium Armeniæ fuit Paradisus. p. 259. n. 5.

Arnobius. Filii divinitatem asseruit. p. 123. n. 7

Arrogantia fuit peccatum dæmonum. p. 208. n. 5.

Articulus fidei non est, quòd Adam sit productus in gratia gratum faciente. p. 309. n. 6. & seq. quid de Angelis. p. 177 n. 1.

Asmodæus est Princeps in quarto ordine dæmonum. p. 226. n 8.

Astaroth. est Princeps octavi ordinis dæmonum. p. 226. n. 8.

Asterius erravit circa consubstantialitatem Filii p 52. n. 2.

S. Athanasius purgatur ab errore circa verbum ὁμοούσιος imputato. p. 66. n. 12. defendit Dionysium Alexandrinum. p. 113. n. 1. & 2. defenditur Athanasius contra arianos p. 115. n. 1. & 2. quid sentiendum de ejus symbolo. p. 115. n. 3 & seq. an scripserit Dialogum de Trinitate. p. 115 n. 1. & 2 an contra eum Sententiam tulerit Liberius Papa. p. 128. n. 1. & seq.

Athenagoras. Scripsit Apologiam pro Christianis. p. 105. n. 1. & seq. non favet arianis, nec sabellianis. p. 106 n. 1. & seq.
Atheus. contra hunc asseritur animam esse incorpoream. p. 289. n. 1. & seq.
Attributum. probatur ex attributis, quòd Christus sit verus Deus, ac summus, Patri æqualis, ac consubstantialis. p. 54. n. 7. & seq. usque ad cap XII. solvuntur objectiones contra hanc materiam. p. 57. à n. 1. per tot. cap. XII. ex Divinis attributis propugnatur, quòd Spiritus S. sit verus Deus. p. 75. n. 3.
Auctor. in quo sensu Pater Cœlestis dicatur auctor. p. 96. n 8
S. Augustinus. composuit hymnum *te Deum laudamus.* p. 134. n. 1. & seq. an docuerit, Angelos esse corporeos p. 165. n. 11. & 12. an docuerit, Angelos ab initio fuisse ornatos Beatitudine. p. 180. n 1. & seq. Quomodo ad ipsius mentem Angelica peragatur cognitio p. 184 n. 1. per tot. cap. IX. an neget, ignem infernalem esse corporeum. p. 220. n. 28. & seq. examinatur ejus sententia, quòd sex dies, quibus creatus est mundus, sint accipiendi pro diversis cogitationibus Angelorum p 247. n 1. & seq. an liber quæst. nov. & vet. test. sit opus ipsius. p 311. n. 13. qualiter explicet concupiscentiam adversus Pelagianos, & Manichæos. p. 351. n. 6 & 7.
Augustus quando natus, & quando inceperit regnare. p 273. n 7.
Aurum. de auro sagarum. p. 237, n 22. & 23.
Autumnus. an in autumno mundus sit productus. p. 267. n. 1. & seq.

B.

Babylonia. an Paradisus sit in Babylonia? p. 259. n. 6.
Baius. docuit, immortalitatem Adæ fuisse donum naturæ. p. 320. n. 1. quid dicendum de ipsius propositionibus circa possibilitatem naturæ puræ. p. 349. n. 1. & seq. item de iisdem circa gratiam. *ibid.*
S. Basilius M. nunquam dogma Catholicum violavit. p. 119. n. 1 & seq.
Beatitudo an Angeli præter gratiam etiam habuerint Beatitudinem ab initio? p. 180. n. 1. per totum cap. VIII quæ dotes Beatitudinis. p. 180. n 1. in quo instanti eam meruerint Angeli boni p 203. n. 1. & seq. meruerunt eam ex gratia Dei. *ibid.*
Beatus. Beati necessariò amant Deum, alia autem objecta voluntarie. p. 196. n. 1. per hunc amorem nihil merentur. *ibid.* an sit eadem libertas amandi Deum in Beatis, ac in viatoribus? Item an dæmones tam necessariò peccent, quàm Beati diligunt. p. 197. n. 2. quænam mirabilia excedant potestatem Beatorum? p. 231. n. 1. & 2. immortalitas & libertas Beatorum erit major immortalitate & libertate Adæ. p. 324. n. 5.
Beel-Zebub est princeps diabolorum, ac idem dicit, ac *Deus muscæ* & cur? p 225. n. 7. à Beel-Zebub cuivis homini deputatur angelus malus. p. 226. n. 1. & seq.
Behemoth. quis sit? p. 176. n. 11.
Belial est princeps dæmonum in tertio ordine. p. 226. n. 8.
Bellarminus. quo cultu docuerit Angelos esse adorandos? p. 104. n. 3.
Bernardinus Ochinus. ejus error de summa Trinitate. p. 4. ante n. 1.
Bestia de creatione bestiarum p. 258. n. 10. an anima hominis transmigret etiam in corpus bestiæ. p. 306. n. 5. qualiter bestias colant Indi? *ibid.* caret libero arbitrio. p. 325. n. 8.
Beza. negat, infernalem ignem esse corporeum. p. 211. n. 1.
Brachmannus. admisit migrationem animarum. p. 304. n. 1.
Brutus. fuit primus consul Romanus. p. 273. n. 7.

C.

Cælum. an Angeli sint creati ante Cœlum? p 173. n. 2 & seq, an in Cœlo empyreo? p. 174. n. 6. & seq. est creatum prima die. p. 255. n. 1. ante Cœlum nil est creatum. *ibid.* est naturæ aqueæ. p 256. n. 4 an sit fluidum, vel solidum? p 257. n. 6. an Paradisus sit in Cœlo? p. 259. n. 6.
Calvaria. quare hoc nomen habeat? p. 346. n 4. an ibi sepultus fuerit Adamus? *ibid.* & seq.
Calvinus. Erroneè docent Calviniani, eandem libertatem esse in Beatis, ac viatoribus amandi Deum. item esse in Beatis eandem necessitatem amandi Deum, ac in damnatis peccandi. p. 197. negat, ignem infernalem esse corporeum p. 211 n. 1. negat Angelos Custodes. p. 227 n. 5. Calvini error de libertate voluntatis. p. 323. n. 3.
Calumniator. princeps octavi ordinis dæmonum vocatur calumniator. p 226. n. 8.
Canonicus. an Prologus in Epistolas canonicas sit opus S. Hieronymi? p. 18. n. 11. usque ad cap. IV.
Character. in quo sensu Filius divinus dicatur Character. p. 96. n. 9 & 10
Carcer. anima hominis non est in terrenum Carcerem inclusa, ob crimen extra corpus comissum. p. 291. n. 1. & seq.
Carnalis. vid *Concubitus.*
Cataphryges. eorum error de Spiritu S p. 68. n 1.
Catholicus altercatio Catholici cum Sociniano circa summam Trinitatem. p 27. n 1 per tot. cap. VI an dogma Catholicum evertat seipsum circa Trinitatem Personarum. p. 29 n. 3 usque ad cap. VII. pro his scripsit Apologiam Athenagoras p. 105 n 1 & seq.
Cato M. Tullius. docens animas hominum creatas esse extra corpus impugnatur p. 291. n. 1 & seq
Causa in quo sensu Pater dicatur causa. p. 96. n. 8.
Cerinthus ejus error de Summa Trinitate p. 17. n. 8. item circa Verbum divinum p. 37. n. 1.
Cete. de creatione eorum. p. 258. n 9 an possint generari in montibus *ibid.*
Chaldæus. populus quando ortus p 281. n. 15.
Cham. à posteris Cham originem habet magica ars. p 241. n 7 an Cham fuerit Zoroaster, aut Saturnus Ægyptius. p 241 n 7
Charisius. quid de ejus symbolo dicendum p. 88. n. 1. 2. & 3.
Charitas est nomen appropriatum Spiritui Sancto. p. 97. n. 12. vid *amor* Charitas habitualis sive gratia sanctificans non est homini debita. p. 349. n. 1 tot. cap I. II. & III.
Cherub. sub hoc nomine non venit Satan p. 108. n. 3. & 4. ordo Cherubim explicatur p. 223. n 1. & seq. cur Angeli vocentur Cherubim. p. 158. n. 1.
Chirton. quid sit in consideratione thalmudistarum. p. 225 n 7
Chorus quot sint Angelorum Chori p 223. n. 1. & seq. an omnes Angeli cujuscunque Chori mittantur. p 225. n. 6 quomodo hos choros constituant Thalmudistæ p 225. n. 7
Christianus Francus. error de summa Trinitate. p. 4. ante n 1. vid. *Catholicus.*
Christipara. cur B. Virgo non vocetur à Symbolo Nicæno. p. 90 n. 7.
Christus. an apparuerit Christus, vel Deus, vel Angelus, quando in veteri testamento legitur, Deum appa-

apparuisse. p. 39. n. 5. usque ad cap. IX. vid. *Filius vel Verbum* Christus est verus Deus, æqualis Patri, hoc probatur diversimodè. p. 52. à n. 1. usque ad cap. XII. Christus est sicut Pater Deus summus, ac Patri consubstantialis. *ibid.* afferuntur circa hoc objectiones, & solvuntur. p. 57. n. 1. per tot. cap. XII. quomodo intelligenda verba Christi: *Pater major me est?* p. 57. n. 1. & seq. item & ea verba? *Doctrina mea non est mea.* ac ea: *ascendo ad Patrem meum.* &c. ubi etiam alii textus explicantur. *ibid.* quomodo Christus ignoraverit extremi Judicii diem. p 108. n. 5. an Christus statim in primo instanti meruerit. p. 205. n. 4 quo die fuerit natus, & mortuus. p. 268 n. 4. & 5. & quo anno mundi sit natus. p. 273. n. 7. de æra vulgari Christi; *ibid.* an etiam Christus sit factus ad imaginem Dei. p. 308. n. 3.

Chronotaxis. hebraica est retinenda. p. 271. n. 2.

Cibus. an cibi in Paradiso fuerint corporei. p. 321. n. 6

Circuitus. animarum ad mentem Platonis oppugnatur. p. 306. n. 6 & seq.

S. Clemens Alexandrinus ab Arianismi nota purgatur. p. 108. n. 1. & seq.

Clemens Romanus. ejus annotatio circa Constitutiones Apostolicas. p. 26. n. 4.

Clericus Joannes. immeritò S. Clementem Alexandrinum judicavit Arianum p. 108 n. 1. & seq.

Cogitatio. an Angeli intueantur cogitationes nostras. p. 186. n. 1. & seq & an id fiat virtute sensibili, vel spirituali p. 189 n. 13. & 14. quomodo Angelus manifestet alteri angelo cogitationes suas. p. 190. n. 1. per tot. cap. XI an sex dies creationis mundi sint accipiendi pro diversis cogitationibus Angelorum. p. 247. n. 1. & seq.

Cognitio. quomodo Angelica cognitio peragatur. p. 184. n. 1. per tot. cap IX. an ea fiat per species acceptas à rebus. p. 184. n. 1. vel per Lucis æternæ participationem. p. 185. n. 2. quotupliciter se hæc Lux creaturæ rationali communicet. p 185. n. 3. quid sit cognitio Vesper- & Matutina Angelorum. p. 185. n. 5. & 6. an Angelorum cognitioni subsint cogitationes nostræ. p. 186. n. 1. & seq. & an id fiat virtute sensibili, vel spiritali. p. 189. n. 13. & 14.

Cognosco. an Angeli cognoscant necessariò futura. p. 193. n. 1. & 2. an futura contingentia, & libera. p. 193. n. 3. & seq. an Angeli cognoscant veritates Universales. p. 197. n. 4.

Collatinus. fuit primus Consul Romanus. p. 273. n. 7.

Colloquor. quomodo Angeli colloquantur ad invicem. p. 190. p. 1. per tot. cap. XI.

Concio. an Zenonis Episcopi Veronensis Conciones sint Apocryphæ p 27. n. 8.

Concubitus cum muliere non fuit peccatum dæmonum p. 209. n. 8. an generatio hominum in Paradiso esset facta per concubitum Carnalem. p. 326. n. 1. tot. cap. XI.

Concupiscentia. quid sit? est pœna peccati Adæ. p. 340. n. 20. & seq. an sit peccatum. p. 350. n. 3. qualiter explicetur à S Augustino, qualiter à Pelagianis, & Manichæis. p. 351. n. 6. & 7 & seq. cap I. II. & III. an possit vinci sine gratia. *ibid.*

Conditio. ad generationem in divinis non requiritur præexistentia Patris, sed sufficit conditio Originis. p. 49. n. 7.

Conflagratio mundi, quando fiet? p. 275 n. 1. & seq.

Consilium an Filius Divinus possit dici genitus ex Consilio Patris. p. 51. n. 14.

Consolator. est nomen appropriatum Spiritui S. p. 97. n. 12.

Constantinopolitanus. quid dicendum sit de hoc Concilio, ac ejus symbolo. p 88. n. 3.

Constitutio, vid. *Clemens.*

Consubstantialis. Christus est Deo Patri consubstantialis. p. 52. à n. 1. per tot. cap XI. ubi etiam ostenditur, Christum esse summum Deum, ac in omnibus Patri æqualem. *ibid* denique adducuntur circa hanc assertionem objectiones. p. 57. n. 1. per tot. cap. XII. quomodo intelligenda verba illa Christi: *Pater major me est?* p. 57. n. 1. & seq. item illa: *doctrina mea non est mea?* ac ea: *ascendo ad Patrem meum.* &c. *ibid.* ubi etiam alii textus explicantur, *ibid.* explicatur etymon nominis ὁμοούσιος p. 64. n. 2. Synodus Nicæna jure hoc vocabulum usurpavit contra hæresin arianam. p 64. n. 3. & seq. Probatur, quòd Spiritus S. sit summus Deus, Patri & Filio consubstantialis. p 74. n 1. per tot. cap. XV. quæ sit differentia inter Verbum *Consubstantialis.* & Verba: *Substantia similis?* p. 94. n. 2.

Consul. quando ad Consules Romanos devenerit Regimen. p 273. n. 7.

Contingens. an Angeli cognoscant futura contingentia. p. 193. n. 3. & seq.

Contumacia. fuit peccatum dæmonum. p. 208. n. 5.

Copula. vid. *Concubitus.*

Cor. an Angeli cognoscant secreta cordium p. 186. n. 1. & seq. quomodo dæmon in cor hominis immittat suggestiones. p. 189. n. 12. & an id fiat virtute sensibili aut spiritali. p 189. n. 13. & 14 an possit creatura cognoscere secreta cordium sine speciali concursu Dei. p. 231. n. 1 & seq.

Cordubensis. de lapsu, & pœnitentia Hosii Episcopi Cordubensis circa opinionem arianam. p. 132. à n. 1. & seq.

Corporeus & materialis est ignis infernalis p. 211. n. 1. & 19. ac seq. vide *Ignis.* de Corporeo Adami plasmate p. 284. n. 1. anima hominis non ex traduce corporeo semine producitur. p. 294. n. 9. & seq. an cibi in Paradiso fuerint corporei. p 321. n 6.

Corpus. an Angeli sint conflati ex Spiritu & Corpore. p. 162. n. 1. & seq. per tot. cap. II an Angeli possint sentire in corpore assumpto. p 189 n. 14. quomodo Angeli assumant corpora, & certo in loco constituantur. p. 199. n. 1. per tot. cap. XIV. an possint simul diversa recipere corpora v. g. bruti, & hominis. *ibid* Corpus Adami in qua forma sit productum. p. 285. n. 2. & seq an corpus primorum Parentum fuerit androgynum. p. 286. n. 5. & seq. quid sit corpus. p. 288. n. 1. an etiam anima rationalis sit corpus. *ibid & seq.* anima hominis non est creata extra corpus. p. 291. n. 1. & seq. quomodo anima dependeat à corpore. p. 297. n. 18. & 19. vid. *animus.*

Creatio. Angeli non concurrebant ad creationem hominis. p. 9 n. 16. historia creationis mundi ex libris Moysis est sumenda p. 243. n. 1. & seq. qualiter accipiendi sint sex dies creationis mundi. p. 247. n. 1. & seq.

Creatura. in Creaturis datur perfectio duplex, una absoluta, altera relativa p. 161. n. 12. an aliqua creatura fuerit Deo coæterna. p. 263. n. 1. & seq vel saltem possit esse. p. 264. n 8.

Crellius, hujus error de summa trinitate p 4. ante n. 1. refutatur p. 21. à n. 1. per tot. cap. IV. pariter oppugnatur in materia de consubstantialitate Filii Divini p. 57. n. 1. & seq. solvuntur ejus objectiones contra Divinitatem Spiritûs S. p. 77. n. 9.

Creo. vid. *anima.* vel *imago.*

Crimen vid. *peccatum.*

Criminator Ordo octavus dæmonum constituitur ex Criminatoribus. p. 226. n. 8.

Custos Angelus. Ordo Angelorum Custodum explicatur. p. 223. n. 1. & seq. an teneant inferiorem locum Archangelis. p. 224. n. 4. quomodo hi vigilent ad animarum custodiam. p. 226. n. 1. tot. cap. XIX. an quilibet

quilibet homo habeat Angelum custodem? *ibid.* Angelos custodes negat Calvinus. p. 227. n. 5.
S. Cyprianus. Filii Divinitatem asseruit. p. 143. n. 7.

D.

Dæmon. an dæmones sint capaces generationis. p. 163. n. 6. quot sint dæmones una legio dæmonum. p. 166. n. 14. quomodo in cor hominis immittat suggestiones. p. 189. n. 12. an possit sentire in corpore assumpto. p. 189. n. 14. an dæmones possint futura prædicere p. 194. n. 10. & seq. de Idolorum oraculis, & dæmonum divinatione p. 194. n. 11. & seq. an dæmones adhuc peccent, & propterea mereantur pœnam. p. 196. n. 1. an peccent necessario. p. 196. n. 1 & 2. Calviniani & Jansenistæ errant docendo eandem esse libertatem amandi Deum in Angelis, Beatis, ac Viatoribus, & eandem necessitatem peccandi in dæmonibus, ac in Angelis amandi. p. 197. n. 2. habent dæmones voluntatem immutabilem ob obstinationem. p. 198. n. 5. qualis in dæmonibus fuerit ignorantia p. 197. n. 4. an dæmones possint pœnitentiam agere. p. 199. n. 10. quomodo dæmones corpora recipiant, & certo in loco constituantur. p. 199. n. 1. per tot. cap. XIV. an possint diversa recipere corpora? *ibid.* de lapsu dæmonum. p. 203. n. 1. per tot cap. XV quando ceciderint *ibid.* peccârunt ex libero arbitrio. *ibid.* hoc malè negant Pelagiani, & Manichæi. *ibid.* quis fuerit Princeps angelorum malorum. p. 207. n. 1. & seq. quid significet hæc vox. *Dæmon*? p. 207. n. 1. sub nomine *Cherub* non venit dæmon p. 208. n. 3. & 4. dæmones peccaverunt superbiâ, arrogantiâ, fastidiô, & contumaciâ. p. 208. n. 5. non omnes dæmones in infernum sunt detrusi. p. 209. n. 6 & seq. peccatum eorum non fuit stuprum, vel concubitus cum muliere. p. 209. n. 8. nec invidia fuit primum peccatum. p. 210. n. 9. neque spiritualis Luxuria. p 210. n. 10. quænam fuerit superbia dæmonum. p. 210. n. 11. horum pœna est ignis infernalis. p. 211. n. 1. per tot. cap. XVII. vid. *ignis.* qualis vermis eos cruciet. p. 219. n. 23. 24. & 25. de dæmonum exercitu. p. 223. n. 1. per tot. cap. XVIII dæmones non habent hierarchiam *ibid.* quot sint ordines dæmonum p. 225. n. 7 & seq. & quæ nomina eorum. *ibid.* Beel-Zebub est princeps dæmonum, & idem dicit, ac *Deus musca*, & cur? p. 225. n. 7. quomodo dæmones vigilent ad animarum perditionem. p. 226 n. 1. tot. cap. XIX. an quilibet homo habeat angelum, & dæmonem assistentem. p 226. n. 1. & seq. & à quo hic deputetur. *ibid.* an dæmones possint virtute naturali patrare mirabilia. p 231. n. 1. per tot. cap. XX. quænam mirabilia excedant potestatem dæmonum. P. 231. n. 1. & 2. regulæ dignoscendi præstigia dæmonum à veris miraculis. p. 231. n. 1. & 2. ac seq. an possit facere, ut ignis cadat de Cœlo. p. 231. n. 1. & seq. vel ut maleficus in aerem sublevetur. *ibid.* Opera magica fiunt ope dæmonis p. 240. n. 4. quodlibet opus magicum continet cultum dæmonum. p. 240. n. 5. usus est serpente vero ac naturali ad decipiendam mulierem. p. 330. n. 5. & seq. an in diabolum, vel serpentem sit facta maledictio. p. 331. n 9. & 10. vid. *Diabolus.*
Dæmonium meridianum est sexti ordinis dæmonum princeps. p. 226. n. 8.
S. Damascenus an docuerit errorem Græcorum schismaticorum. p 85. n. 7 & 9.
Damnatus. an damnati nunc necessariò peccent. p. 197. n. 2. damnatorum pœna est ignis infernalis. p. 211. n. 1. per tot. cap. XVII. vid. *ignis.* qualis vermis eos cruciet. p. 219. n. 23. 24. & 25.
Danæus Lambertus. ejus error de summa trinitate. p. 4. ante n. 1.
David Franciscus. ejus error de summa trinitate p. 4. ante n. 1.
Deipara. cur B. Virgo à symbolo Nicæno non vocetur Deipara. p. 90. n. 7.
Deitas. an bene dicatur trina Deitas. p. 156 n. 14.
Demonstratio. an detur naturaliter in Mysterio Trinitatis. p. 137. n. 1. & seq. saltem præsuppositâ revelatione. *ibid.*
Deucalio. vid. *Diluvium.*
Deus. ex vocabulo *Dii* non potest in scriptura summi occasio adstruendi plures Deos p. 5. n. 3 an non tres sint Dii, quia tres sunt Personæ divinæ. p. 29. n 3. & 4. ac p. 32. n. 18. & seq. an Deus apparuerit, vel Christus, aut Angelus, quando in veteri testamento legitur, Deum apparuisse Patriarchis. p. 39. n. 5 & seq. usque ad cap. IX. Deo Patri est Filius genitus non adoptione & gratiâ, sed generatione & natura. p 43. n 1. per tot cap. IX. contra Divinitatem Filii prolatæ à Wolzogenio objectiones solvuntur. p. 48. à n. 1. per tot cap X. Deus Pater generavit Personam, & non alium Deum, p. 48 n. 1. usque ad n. 5. Deus filius est æquè æternus, ac Pater, non obstante generatione, p 49. n. 7 an Deus Pater adhuc generet Filium p. 50. n 10 & 11. an Pater generet Filium necessitate, vel voluntate p. 50. n. 10. 11. 12. & 13. an Filius Divinus possit dici genitus ex Dei Patris consilio. p. 51. n. 14 explicatio Intellectûs Dei notionalis, & essentialis. p. 51. n 16. an Deus Pater intelligat per intellectum Filii. p. 51. n. 15. & 16. Filius Divinus est Deo Patri consubstantialis; p. 52 à n. 1 per tot cap. XI. Christus est summus Deus, sicut Pater: eidem in omnibus æqualis, quod probatur diversimodè p. 52. à n. 1. usque ad XII. cap. solvuntur objectiones negantium, Christum esse Deum. p. 57. n. 1. per tot. cap. XII. quomodo intelligenda sint Verba Christi? *Pater major me est?* ubi & alii plures similes textus explicantur? p. 57. n. 1. & seq. probatur multis modis quòd Spiritus S. sit verus Deus p. 74. à n. 1 per tot. cap. XV. Objectiones contrariæ solvuntur p 79. à n 1. per tot. cap. XVI. an & quot dentur in Deo Principia, & Processiones. p. 140. n 1. & seq. vid. *Principium.* quòt dentur in Deo relationes, & quæ sit perfectio illarum. p. 151. n. 1. & seq. quot dentur in Deo subsistentiæ, p. 153. n. 1 & seq. ac p. 95 n. 4. regulæ observandæ in discursu de Deo Uno & Trino. p 154. n 1. & seq. an Deus possit dici triplex. p 156 n. 11. an Angeli possint dici Dii p 158. n. 1 est auctor omnium creaturarum p. 166. n. 14 quo tempore & loco à Deo sint producti Angeli. p. 172. n. 1 per tot. cap. VI. Beati & Angeli necessariò amant Deum, non tamen quid exinde mereantur p. 156 n. 1 & seq. Angeli ab initio amârunt Deum liberè p. 197. n. 3. an Angeli statim ab initio habuerint visionem Dei intuitivam? *ibid.* ex gratia Dei Angeli meruerunt beatitudinem. p. 203. n. 1 non Deus, sed Beel-Zebub deputat cuilibet homini angelum malum. p 226. n. 1. & seq. quæ mirabilia non possunt fieri sine speciali operatione Dei. p. 231 n. 1 & seq. an Deus possit miracula facere per homines impios. p. 232 n. 5. & seq. regulæ discernendi miracula Dei à præstigiis dæmonum p. 233. n. 7. an Deus possit facere miraculum in argumentum erroris, aut vitiorum commendationem? p. 234. n. 13 quot Deus diebus mundum creârit p 247. n. 1 & seq. an mundus vel alia creatura sit Deo coæterna p. 263. n. 1. & seq. in Deo non datur potentia, nec mutatio. p. 263. n. 4. & 5. qualiter homo sit factus ad imaginem Dei. p. 10. n. 11. & p. 307. n. 1. & seq. an etiam Angelus sit factus

d imaginem Dei? p. 308. n. 3. an mulier? *ibid.* n Christus? *ibid.* an hæc Dei imago amittatur peccando? & an etiam reluceat in corpore? *ibid.* quid equiratur ad Imaginem Dei p. 308. n. 4. an Adam viderit Deum facie ad faciem. p. 308. n 4. an idem sit creatum esse *ad Imaginem Dei*, & *ad similitudinem Dei*? p. 308. n 5. quomodo Protoplasti præceptum Dei sint transgressi. p. 329 n. 1. tot. cap. XII. hoc præceptum fuit justissimum. p. 329. n. 2. & seq. Deus verè fecit Protoparentibus tunicas pelliceas. p. 344. n. 29. & seq. an Deus possit diligi sine gratia? p. 357. n. 5. & seq.

Diabolus. an fuerit Princeps Angelorum malorum? p 207 n. 1. & seq. vid. *Dæmon.* quid significet hæc vox. *Diabolus.* p. 207. n. 1. & seq. sub nomine *Cherub* non venit diabolus *ibid.* est princeps octavi ordinis dæmonum. p 226. n. 8.

Dialogus. quis scripserit Dialogum de Trinitate. p. 115. n. 1. & 2

Dictio. an sit Principium in divinis. p. 140. n. 1. & seq

Dies, an sex dies, quibus creatus est mundus, fuerint naturales, id est 24. horarum? p. 247. n 1. & seq. quo modo potuerint esse naturales, sine cursu solis, qui primùm quarta die est productus? *ibid.* & p. 256. n. 5.

Difficultas. sciendi est pœna peccati. p. 339. n. 16. & seq.

Dilectio vid. *Diligo.*

Diluvium. quo anni tempore fuerit. p. 268. n. 5. diluvium Noeticum, & Deucalionis non differunt, sed est unum. p. 279. n. 4. & 5. quid de diluvio *Ogygis*? *ibid.* n. 6

Diomedes. de sociis Diomedis historia. p. 236. n. 20.

Dionysius Alexandrinus. in Epistola non favet Arianis. p. 113. n. 1. & seq.

Dionysius Areopagita. an hujus libri de divinis Nominibus, & Mystica Theologia sint apocryphi. p. 26. n. 5.

Discursivus. an Angelus sit discursivus. p. 197. n. 4.

Dissidium magnum est inter latinos, ac Græcos schismaticos circa Processionem spiritûs S. p. 80. n. 1.

Distinctio. quæ sit distinctio divinarum Personarum. p. 30. n. 11. & 12. item quæ inter Essentiam divinam, & Personas. p. 32. n 18. & seq quænam distinctio detur inter Angelos. p. 168. n. 1. per tot. cap. IV. an distinctio numerica sit impossibilis sine materia. p. 169. n. 4.

Divinatio de Idolorum oraculis, & dæmonum divinatione p. 194. n 11. & seq.

Divinitas. probatur divinitas Christi Domini. p. 43. à n. 1 per tot cap. IX. Divinitas Spiritus Sancti, Patri & Filio consubstantialis, contra Macædonianos propugnatur. p. 74. n. 1. per tot. cap. XV. argumenta contraria solvuntur. p. 79. n. 1. per tot. cap. XVI. S. Ignatius Martyr suis in Epistolis Verbi Divinitatem asseruit p. 99. n. 1. tot. cap. I. de quibus Epistolis sit quæstio. p. 99. n 1. & seq has Epistolas esse opus S. Ignatii, probatur. p. 99 n 1. usque ad n. 11. Divinitatem Filii propugnavit S Justinus. p. 103. n 2. & seq. similiter fecit S. Irenæus. p. 107. n. 1. & seq. probabilius Tertullianus Divinitatem Filio adjudicat. p. 120. n. 1. & seq. Filii Divinitatem propugnârunt S. Cyprianus, Lactantius, & Arnobius p. 123. n. 7. quid dicendum de Eusebio Pamphilo p. 123. n. 1. & seq. contra Arium Verbi Divinitas propugnatur. p. 164. n. 8.

Dogma Catholicum. an se ipsum evertat circa Trinitatem Personarum p. 29. n. 3. usque ad cap. VII.

Dominatio. est ordo Angelorum. p. 223. n 1. & seq.

Donatistæ. vocantur mirabiliarii, & cur. p. 234. n. 14. & p. 238. n. 24.

Donum. est nomen appropriatum Spiritui S p. 97. n. 12.

Duratio. an jam præterierint infinita durationis rerum creatarum spatia. p. 263. n. 1. & seq

Dynastia. enarrantur variæ Dynastiæ. p. 271. n. 1.

E.

Ebionita. error eorum de summa Trinitate. p. 17. n. 8. item de Verbo divino. p. 37. n 1.

Ecclesia nondum definivit Adamum esse productum cum gratia gratum faciente p. 309. n 6. & seq.

Ecthesis quid significet hæc vox. p. 129 n. 4 & 5.

Efficax ab intrinseco gratia an Adamo fuerit necessaria. p. 312. n. 1. & seq.

El. Quid sit in consideratione Thalmudistarum. p. 225. n. 7.

Elianus Nathanael. ejus error de de summa Trinitate. p. 4. ante n. 1.

Elias de ejus miraculis. p. 235. n. 16. & 17.

Elochim. ex hebraico hoc verbo probatur Trinitas Personarum etiam conformiter linguæ hebraicæ. p 4. n. 1. & seq.

Empedocles. docuit transmigrationem animarum. p. 304. n. 1.

Encratiæ dixerunt damnationis sententiam in Adamum. p. 345. n. 1. cur dicti fuerint à continentia? *ibid.*

Ephesinus. an synodus Ephesina prohibuerit omnem additionem ad symbolum Nicænum. p. 88. n. 3.

Epicurus contra hanc asseritur animam esse incorpoream. p 288. n 1 & seq.

Episcopius Simon. adversùs hunc defenditur S. Justinus. p. 103. n. 1. & seq.

Epistola. S. Ignatius Martyr suis in Epistolis Divinitatem Verbi asseruit. p. 99. n. 1 tot. cap I. de quibus Epistolis sit quæstio? *ibid.* probatur: has Epistolas esse partum genuinum ipsius. p. 99. n 1. usque ad n. 11. Dionysius Alexandrinus in Epistola sua non favet arianis. p. 113. n. 1. & seq. an Prologus in epistolas Canonicas sit compositus à S. Hieronymo. p. 18. n 11. usque ad cap IV.

Epocha. mundi tempora sunt in certas Epochas distribuenda. p. 271. n. 1 & seq.

Epulo. an dicta de eo, & Lazaro sit Historia, vel parabola p. 220 n. 29.

Erasmus. ejus objectiones contra Mysterium Trinitatis, & textum Scripturæ: *tres sunt, qui testimonium* &c. solvuntur p. 18. n. 11. & 12. item objectiones contra consubstantialitatem Filii. p. 53. n 5. & 6

Erebus. Fabula de Erebo. p. 256. n 5.

Error. an Deus possit facere miraculum in argumentum erroris. p. 234 n. 13.

Essentia an divina Essentia multiplicetur ad multiplicationem Personarum. p. 29. n. 3 & 4 ac p. 32. n 18. & seq. an eadem sit una, & triplex. p. 31. n. 13. & 14. cur in Divinis possit dari una essentia cum tribus Personis, & cur non in creatis. p 31. n. 14. & 15. quæ distinctio inter Essentiam Divinam & Personas. p. 32. n. 18. & seq. an diversus modus existendi multiplicet Essentiam Divinam p 33. n. 19. an Filius Divinus possit dici genitus ex Essentia Patris. p 49. n. 6. Essentia divina sola non est Principium Processionum divinarum p. 142. n. 8. malè dicitur; *essentia generat: essentia gignitur.* &c. p. 154 n. 3.

Essentialis. quid sit intellectus essentialis, quid notionalis p. 51 n 5 & 16

Etruria. hujus populi exorti sunt à Vandimone, sive Jano, aut Noa. p. 280. n. 7. sunt cæteris occidentalibus antiquiores. p. 280. n. 7

Eva. in sandora præsignatur. p. 281. n. 9. an corpus primorum Parentum fuerit Androgynum. p. 268. n.

n. 5. non fuit producta ex limo. *ibid.* dicta de ejus productione sunt literaliter, & historicè accipienda. p. 287. n. 8. an etiam hæc sit facta ad imaginem Dei. p. 308. n. 3. an hanc imaginem peccando amiserit? *ibid.* utrum divina imago in corpore Evæ reluceat? *ibid.* quomodo præceptum Dei sit transgressa. p. 329. n. 1. tot. cap. XII. vid. *Protoplastus.* an ipsa sola sit decepta à serpente. p. 339. n. 18. & 19.

Evangelium. hujus institutores sunt omnes tres Personæ Divinæ. p. 16. n. 4.

Eugubinus. finxit corpus Parentum primorum androgynum. p. 286. n. 5. & seq.

Eunomius. ejus error circa consubstantialitatem Filii Divini. p. 62. n. 30. & seq.

Euphrates. an in confluente Euphratis sit Paradysus. p. 259. n. 6.

Eusebius Pamphilus. an fuerit vere Catholicus. p. 123. n. 1 & seq.

Eutyches. ejus error de Verbo Divino. p. 42. n. 18.

Exercitus. Angelorum & dæmonum explicantur. p. 223. n. 1. tot. cap. XVIII. qualiter numerent hos exercitus thalmudistæ. p. 225. n. 7.

Existentia. Angelorum an possit manifestè demonstrari. p. 158. n. 1. & seq. per tot. cap. I. hanc negant sadducæi. p. 159. n. 2. refutantur. p. 159 n. 3. & seq.

Existo. an diversus modus existendi multiplicet Essentiam Divinam. p. 33. n. 19.

Explorator. dicitur princeps octavi ordinis dæmonum. p. 226. n 8.

F.

Fabula. variæ fabulæ, quòd quidam homines sint in animalia conversi p. 236. n. 20. & 21. fabula Hesiodi de Erebo. p. 256. n. 5. fabulæ ægyptiorum in numero annorum. p. 271. n. 1 fabula Præadamitarum explodiur. p. 278. n. 1. tot. cap. I. in fabula Promothei & Pandoræ figuratur Adam, & Eva. p. 281. n. 9.

Facies. an Adam viderit Deum facie ad faciem. p. 308. n. 4.

Facultas. intellectus creatus facultate naturali nequit habere scientiam Trinitatis. p. 137. n. 1. per tot. cap. I.

Falconilla an sit revocata ab inferis precibus Theclæ. p. 217. n. 17. & 18.

Fastidium. fuit peccatum dæmonum. p. 208. n. 5.

Fastus. quando inchoaverint fasti consulares. p. 273. n. 7.

Ficus. an arbor scientiæ boni & mali fuerit ficus. p. 329. n. 3.

Fidelis. an solùm fideles habeant Angelum Custodem. p. 226. n. 1. & seq.

Fides. recensentur tres fidei formulæ Sirmienses Arianorum, & an subscripserit aliquam Liberius Papa? p. 128. n. 1. & seq non est de fide, Angelos esse creatos. ante cœlum & terram. p. 173. n. 2. & seq. nec, eos esse creatos in cœlo empyreo p. 174. n. 6. & seq. non est de fide, ignem infernalem esse materialem. p. 218. n. 19. & seq. vid. *Religio.* vel *Articulus.*

Filiatio. est proprietas notionalis. p. 97. n. 11. an distinquatur à spiratione p. 148. n. 1.

Filius. quare Filius Divinus non generet. p. 32. n. 16. vid. *Verbum.* vel *Christus.* Deo Patri est Filius ab eo genitus, id est, non adoptione & gratiâ: sed generatione, ac naturâ. p. 43. n. 1. per tot. cap IX. ubi etiam ejus Divinitas probatur. *ibid* Christus est Filius Unigenitus. p. 45. n. 6. & seq. cur dicatur Primogenitus? p 46. n. 9 objectiones Wolzogenii circa generationem Filii solvuntur. p. 48. n. 1. per tot. cap. X. Deus Pater non alium Deum, sed Filium genuit. p. 48. n. 1. usque ad n. 6. an Filius Divinus possit dici genitus ex essentia Patris p. 49. n. 6. est æquè æternus non obstante generatione, ac est Pater. p. 49. n. 7. ad hujus generationem non requiritur præexistentia Patris, sed sufficit conditio Originis. p. 49 n. 7. an Deus Pater adhuc generet filium. p. 50. n. 10 & 11. an Deus Pater generet necessitate, & voluntate. p. 50 n 10. 11. 12. & 13. an Filius possit dici genitus ex Patris consilio. p. 51 n. 14. an Filii intellectus, sit etiam intellectus Patris. p. 51. n. 15. & 16. Filius Divinus est summus Deus, sicut Pater, eidemque in omnibus æqualis, ac consubstantialis. p. 52. à n. 1. per tot. cap. XI solvuntur circa hoc objectiones. p. 57. à n 1. per tot. cap XII. quomodo intelligenda verba Filii divini? *Pater major me est*; ubi etiam plures similes textus explicantur p. 57. n 1. & seq. Nicæna synodus jure utebatur vocabulô ὁμοούσιος. p. 64. n. 3. & seq. Filius divinus non est Pater Spiritûs S. p. 74. n. 20 & 21. Spiritus S. per obumbrationem Virginis non est factus Pater Filii Divini. p. 74 n 22. & 23. Spiritus S. à Patre & Filio procedit. p. 80. n. 1. per tot. cap. XVII. ostenditur, quòd Filius Dei in scriptura significetur per vocabulum: *Verbum* p. 38 n. 2 objectiones negantes Processionem Spiritûs S. à Patre & Filio solvuntur p. 83. n. 1. per tot. cap. XVIII. merito fuit symbolo contra Græcos schismaticos adjecta particula *Filioque.* p. 88. n. 1. & seq. quando hæc vox sit symbolo adjecta. p. 91. n. 10. quo sensu Filius, & Spiritus S. dicantur Missi. p 91. n. 1. per tot. cap. XX. Pater nec à Filio, nec à Spiritu S. mittitur. p. 92 n. 2. quomodo Filius sit missus à Spiritu S. p. 92. n. 4. &c. Spiritus S. est missus à Patre & Filio p. 92 n. 5. & seq. quæ nomina propria Filio. p. 96. n. 9. quæ minùs propria? *ibid.* n. 10 Patri, & filio convenit esse Principium Spiritûs S p. 97. n. 11. S. Ignatius Martyr suis in Epistolis Filii Divinitatem asseruit p 99. n. 1. tot. cap. I. de quibus Epistolis sit quæstio. *ibid.* probatur, has Epistolas esse partum genuinum S. Ignatii. p. 99. n. 1. usque ad n. 11. Divinitatem Filii propugnavit S Justinus. p. 103. n. 2 & seq. similiter fecit S. Iræneus. p. 107. n. 1 & seq. Tertullianus probabiliùs Filio divinitatem adjudicat p. 120. n. 1. & seq. eandem propugnârunt S. Cyprianus, Lactantius, & Arnobius. p. 123. n. 7. quid dicendum de Eusebio Pamphilo. p. 123. n. 1. & seq. an & quomodo Filius habeat potentiam productivam p. 141. n. 4. & 5. quale habeat Principium p. 140. & seq. ac p. 145 n. 1. & seq. an filius & Spiritus S. essent duæ Personæ distinctæ, si Spiritus S à solo Patre procederet. p 148 n. 1. & seq. an filiorum generatio in Paradiso esset facta per complexum carnalem p. 326. n. 1. tot. cap. XI. an eadem generatio in Paradiso esset facta cum iisdem circumstantiis, ùt modo contingit. p. 327. n. 1. & seq.

Firmamentum. notanda aliqua de eo. p. 255. n 1. 2. 3. 4. 5. & 6.

Flexibilis. de Angelorum flexibili voluntatis arbitrio. p. 196. n. 1. per tot. cap. XIII.

Fœmina. an etiam hæc sit facta ad imaginem Dei. p. 308. n. 3.

Fons. in quo sensu Pater Cœlestis dicatur fons. p. 96. n. 8.

Formula fidei. vid. *Fides.*

Franciscus David. ejus error de summa Trinitate. p. 4. ante n. 1.

Fratres Poloni. eorum objectiones circa generationem æternam Patris solvuntur. p. 48. n. 1. per tot. cap. X.

Furiæ. sunt in septimo ordine dæmonum. p. 226. n. 8.

Futurus. plura sunt genera futurorum p. 193. n. 1. an Angeli cognoscant necessariò futura. p. 193 n. 2. futura contingentia, & libera non possunt ab Angelis naturali scientia certò prævideri, aut prænuntiari. p. 193. n. 3. & seq. an Idola, ac dæmones possint futura prædicere. p. 194. n. 11. & seq.

G.

Gehon. an ad confluentem Gehon sit paradisus. p. 259. n. 6.
Gemma. de sagarum gemmis. p. 237. n. 22. & 23.
Generatio. de æterna generatione Patris Cœlestis una cum refutatione Hæreticorum. p. 43. n. 1. per tot. cap. IX. solvuntur objectiones circa hanc generationem factæ. p. 48. à n. 1. per tot. cap. X. Deus Pater generatione protulit Personam, & non alium Deum. p. 48. n. 1. usque ad n. 6. vid. *genitus.* Filius non obstante generatione est æque æternus, ac Pater. p. 49. n. 7. ad generationem in Divinis non requiritur præexistentia Patris, sed sufficit conditio Originis. p 49. n 7. An Generatio Patris adhuc duret. p. 50. n. 10. & 11. An Generatio Patris Cœlestis fiat necessitate, vel voluntate. p. 50. n. 10 11. 12. & 13. an detur distinctio inter hos terminos: *Generatio, potentia, principium*? p. 140. n. 1. & seq. sola generatio Verbi est generatio. p. 145 n. 1. & seq. cur processio Spiritûs S. non sit Generatio? *ibid.* an dæmones sint capaces generationis. p. 163. n. 6. & p. 237. n. 22. & 23. an generatio hominum in Paradiso esset facta per copulam carnalem. p. 326. n. 1. tot. cap. XI. an cum iisdem circumstantiis, ut modo contingit. p. 327. n. 1. & seq.
Genesis liber non continet mendacia. p. 246. n. 6. & 8. varia notanda de eo. p. 255. n. 1 & seq.
Genitus an Filius divinus possit dici genitus ex essentia Patris. p 49. n. 6. an Filius Divinus possit dici genitus ex consilio Patris. p. 51. n. 14.
Gens quænam antiquissima. p. 281. n. 8.
Germanus. aliquando crediderunt transmigrationem animarum. p. 304. n. 1.
Gigas. Adam non fuit Gigas. p. 285. n. 2. & seq. quis pater Gigantum? p. 286. n. 4.
Gistera quid sit in consideratione Thalmudistarum, p. 225. n. 7.
Golgotha. unde hoc nomen. p. 346. an ibi sepultus primus homo? *ibid.* & seq.
Græcus. error eorum de summa Trinitate narratur. p. 3. ante n. 1. magnum est dissidium inter latinos, & Græcos schismaticos circa Processionem Spiritus S. p. 80. n. 1. an horum Græcorum Auctor sit Theodoretus. p. 80. n. 1. & seq. historia de horum relapsu. *ibid.* quod Persona Spiritûs S. à Patre, & Filio procedat, probatur. p. 80. à n. 1. per tot. cap XVIII. solvuntur Græcorum objectiones p. 83. à n. 1. per tot. cap. XVIII. an S. Joannes Damascenus docuerit opinionem Græcorum schismaticorum. p. 85. n. 7. 8. & 9. Latini malè arguuntur à Græcis schismaticis de corrupto Symbolo. p. 87. n. 1. per tot. cap. XIX. meritò fuit Symbolo contra Græcos schismaticos adjecta particula: *Filioque.* p 88. n. 1. & seq. quando hæc vox sit adjecta? p 91 n. 10. explicantur græca & latina vocabula, quæ in tractatu de Trinitate sæpe adhibentur. p. 94 n. 1. per tot. cap. XXI. quid significet Græcum verbum *Usia*? p. 94. n. 1. & seq. quid *consubstantialis*, & *subsistantia similis*? p 94. n. 2. quid importet verbum *Hypostasis* p. 95. n. 4. quomodo distinguatur à verbo *Usia*? *ibid.*
Gratia. Christus est Filius Patris non adoptione, & gratiâ, sed generatione. p. 43. n. 1. per tot. cap. IX. Wolzogenius in hoc contrarius refutatur. p. 48. à n 1. per tot. cap. X. an Angeli sint creati in gratia sanctificante & actuali. p. 177. n. 1. per tot. cap. VII. angeli meruerunt beatitudinem ex gratia Dei. p. 203. n. 1. imago Dei etiam gratiarum munera complectitur. p. 308. n. 4. Adam est productus cum gratia gratum faciente, sed hoc non est articulus fidei. p. 309 n. 6. & seq. gratia actualis Adamo est collata, non tamen erat ei necessaria ad perseverandum gratia ab intrinseco efficax, & prædeterminans. p. 312. n. 1. & seq. gratia actualis Adæ collata consistebat in illuminatione mentis. p. 313. n. 4. an gratia actualis Adamo fuerit necessaria. p. 317. n. 15. immortalitas Adæ fuit gratiæ beneficium. p. 320. n. 1. & seq. libertatem à peccato accipimus per gratiam. p 324. n. 5. sine gratia non potest refrænari pars inferior rebellis. p. 353 n. 11. & seq. ac p. 358. n. 9. & seq. an possit Deus diligi sine gratia. p. 357. n. 5. & seq. vid. *Charitas.*
S. Gregorius: an precibus Gregorii Magni Trajanus sit revocatus ab inferis. p. 217. n. 17 & 18.

H.

Hæreticus. adversùs hos ostenditur Trinitas Personarum ex Veteri Testamento. p. 4. à n. 1. per tot. cap. I. Idem Mysterium contra eosdem probatur ex Novo Testamento. p. 14. à n. 1. per tot. cap. III. & IV.
Hebraicus. vid. *Judæus.* Chronotaxis hebraica est retinenda. p. 271. n. 2.
Hebron. an ibi sepultus sit Primus Homo. p. 285. n. 3. & 4. ac p. 346. n. 4. & seq.
Hermas. an hujus liber sit apocryphus. p. 26. n. 7.
Herodes. quando inceperit regnare. p. 273. n. 7.
Hesiodus. Fabula Hesiodi. p. 256. n. 5.
Hierarchia. datur in Ecclesia triumphante Hierarchia Angelorum; in militante Hierarchia Clericorum. in inferno non datur Hierarchia. p. 223. n. 1. tot. cap. XVIII. quot in Hierarchia Cœlesti sint ordines Angelorum. p. 223. n. 1. & seq. quot sint Hierarchiæ Angelorum *ibid.* n. 2. an omnes Angeli cujuscunque Hierarchiæ mittantur? p 225. n. 6.
S. Hieronymus. an ab eo Prologus in Epistolas canonicas sit compositus. p. 18. n. 11. usque ad cap IV. an neget., ignem infernalem fore perpetuum p. 211. n 1. & seq.
S. Hilarius. defenditur ab errore circa verbum ὁμοούσιος imputato. p. 66. n. 12.
Historia de S. Joanne scripta à Prochoro an sit apocrypha? p. 26. n. 6. historia de repetito Græcorum relapsu. p. 80. n. 1. an dicta de Epulone & Lazaro sit historia? p. 220 n. 29. historia de creatione mundi ex libris Moysis sumenda est p. 243. n. 1.
Historicus primus fuit Moyses p. 244. n 2. & 3.
Homo ad creationem hominis non concurrebat Angelus. p. 9. n. 16. quomodo dæmon in cor hominis immittat suggestiones. p. 189. n. 12. an possit propriis viribus omnia vitare peccata? p. 216. n. 15 an quilibet homo habeat Angelum, & dæmonem assistentes sibi. p. 226. n. 1. tot cap. XIX. hoc negat Calvinus. p. 227. n. 5. & seq. à quo Angelus malus homini deputetur. *ibid* de hominum omnium interitu in fine mundi. p. 275. n 1. & seq. omnes homines sunt ab Adamo propagati. p. 279. n. 2. tot. cap I. quomodo homines in Americam venerint. p. 282. n. 16 & 17. Anima hominis est incorporea. p 289 n. 2. & seq. non tamen est portio divinæ substantiæ. p 290. n 6. & seq. anima hominis non est creata extra corpus. p. 291. n. 1. & seq. an anima hominis sit creata ex nihilo, vel ex semine traduce corporali. p. 294. & seq.

seq. anima hominis est immortalis. p. 302. n. 1. & seq. qualiter homo sit factus ad imaginem Dei? p. 10. n. 11. & p. 307. n. 1. & seq. an homo peccando desinat esse imago Dei? p. 308. n. 3. primus homo, vide *Adamus*. homo lapsus habet libertatem à necessitate. p. 325. n. 4. & indifferentiam veram. *ibid.* libertatem à peccato consecutus est per gratiam. p. 324. n. 5. libertatem à miseria consequitur in patria. *ibid.* eadem mens hominis potest esse voluntas & intellectus. p. 326. n. 9. & 10. an in Paradiso generatio hominum esset facta per copulam carnalem. p. 326. n. 1. tot. cap. XI.

Hosius. de ejus lapsu in hæresim arianam, & de pœnitentia ipsius. p. 132. n. 1. & seq.

Humanus. non est neganda Trinitas Personarum ex eo, quia eam humana ratio capere nequit. p. 27. n. 1. & 2.

Hydromantia est species magiæ illicitæ. p. 239. n. 3.

Hyems. an in hyeme mundus sit productus. p. 267. n. 1. & seq.

Hymnus. Te Deum Laudamus: est compositus à S. S. Ambrosio & Augustino. p. 134. n. 1. & seq.

Hypostasis. explicatio hujus Græci vocabuli. p. 95. n. 4. quæ illius munera p. 95. n. 4. quomodo distinguatur à verbo *Usia*? *ibid.* an sit Principium Processionum. p. 140. n. 1. & seq. quot dentur in Divinis Hypostases. p. 95. n. 4. & p. 153. n. 1. & seq.

I.

Jansenius. errat astruendo eandem libertatem in Angelis, & Beatis, ac Viatoribus. item eandem necessitatem peccandi in dæmonibus, ac amandi in sanctis. p. 197. n. 2. putat esse articulum fidei, Adamum esse creatum cum gratia sanctificante. p. 309. n. 6. & seq. error illius de libertate voluntatis. p. 323. n. 3.

Janus. quinam populi à Jano ortum habeant. p. 280. n. 7.

Idolatria continetur in quolibet opere magico. p. 240. n. 5.

Idolum. de Oraculis Idolorum, & divinatione dæmonum. p. 194. n. 11. & seq. Idolum accaron qualem habuerit figuram. p. 225. n. 7.

S. Ignatius Martyr suis in Epistolis Verbi divinitatem asseruit. p. 99. n. 1. tot. cap. I. de quibus Epistolis sit Quæstio? *ibid.* probatur, has Epistolas esse partum genuinum S. Ignatii. p. 99. n. 1. usque ad n. 11.

Ignis infernalis est pœna malorum angelorum. p. 211. n. 1. per tot. cap. XVII. est corporeus & imaterialis, quod negant Calvinus, Peza, Unitarii. *ibid.* est sub terra. *ibid.* ignis, quo torquentur dæmones, & damnati, est perpetuus. p. 211. n. 1. & seq. hoc negat origines. *ibid.* n. 1. origenes errorem suum hausit ex Platonicis *ibid.* n. 2. D. Hieronymus non favet Origenianis. p. 215. n. 10. & seq. an quis sit revocatus & liberatus ab hoc igne? p. 217. n. 17. & 18. quòd ignis infernalis sit materialis, non est articulus fidei. p. 218. n. 19. & seq. salamandra, adamas, & quidam vermes non consumuntur ab igne. p. 220. n. 28. quomodo dæmones & animæ damnatæ possint torqueri ab igne corporali. p. 220. n. 28. & seq. an etiam dæmones in aëre versantes torqueantur ab igne infernali. p. 221. n. 30. & seq. an dæmon possit facere, ut ignis de cœlo cadat. p. 231. n. 1. & seq.

Ignorantia qualis fuerit in Angelis. p. 197. n. 4. est pœna peccati Adæ. p. 339. n. 16. & seq.

Illuminatio. gratia actualis Adamo collata consistebat in illuminatione mentis. p. 313. n. 4.

Imago: qualiter homo ad imaginem Dei sit creatus. p. 10. n. 11. & p. 307. n. 1. & seq. in quo sensu Filius Divinus vocetur imago. p. 96. n. 9. an etiam angelus sit factus ad imaginem Dei. p. 208. n. 3. an etiam mulier? an Christus? an homo peccando amittat hanc imaginem? an divina imago etiam reluceat in corpore? *ibid.* quid requiratur ad imaginem Dei. p. 308. n. 4. an idem sit creatum esse ad imaginem Dei, & ad similitudinem Dei. p. 308. n. 5.

Immortalis. quo sensu Angeli sint immortales. p. 166. n. 1. per tot. cap. III. anima hominis est immortalis. p. 302. n. 1. & seq.

Immortalitas est duplex p. 265. n. 11. immortalitas Adæ fuit donum supernaturale, non proprietas naturaliter debita. p. 320. n. 1. tot cap. IX. immortalitas sanctorum est major immortalitate Adæ. p. 324. n. 5.

Immutabilis. Angeli boni habent voluntatem immutabilem, & essentialiter determinatam ad amandum Deum. p. 198. n. 5. dæmones habent voluntatem immutabilem ob obstinationem. *ibid.*

Impius vid. *reprobus.*

Incarnatio, de verbi divini præexistentia ante Incarnationem. p. 37. à n. 1. per tot. cap. VIII.

Incorporeus: anima hominis est incorporea. p. 289. n. 2. & seq.

India: an Paradisus sit in India. p. 259. n. 6.

Indifferentia. an Angeli habeant indifferentiam Judicii. p. 198. n. 5. in quo consistat indifferentia libertatis. p. 323. n. 3. hæc datur in homine lapso. p. 323. n. 4.

Indistantia. an Angeli sint in loco per indistantiam, vel solùm per operationem. p. 201. n. 4. & seq.

Indus falsò tenent Indi transmigrationem animarum. p. 304. n. 1. & qualiter colant bestias. p. 306. n. 5.

Infans: Adam non fuit productus in statura infantis. p. 285. n. 2. & seq.

Infernus: non omnes dæmones in infernum sunt detrusi. p. 209. n. 6. & seq. vid. *ignis*, an quis semel sit liberatus ab inferno. p. 217. n. 17. & 18.

Ingenitus: explicatur hoc vocabulum. p. 96. n. 7.

Iniquitas: quinam dæmones vocentur vasa iniquitatis. p. 226. n. 8.

Innascibilitas est proprietas notionalis. p. 97. n. 11.

Inobedientia: de pœnis ob inobedientiam Adæ injunctis. p. 334. n. 1. tot. cap. XIII.

Instans: in quo instanti Angeli boni meruerint, & mali peccarint. p. 203. n. 1. & seq. an Christus statim in primo instanti meruerit. p. 205. n. 4.

Institutor: Omnes tres Personæ Divinæ sunt Evangelii Institutores. p. 16. n. 4.

Integritas. vid. *Justitia.*

Intellectio. vid. *Intellectus.*

Intellectus: an Filii divini intellectus sit etiam intellectus Patris. p. 51. n. 15. & 16. explicatio intellectus Notionalis & Essentialis. p. 51. n. 16. Intellectus creatus virtute naturali nequit habere Trinitatis scientiam. p. 137. n. 1. per tot. cap. I. an sit Principium Filii Divini? p. 140. n. 1. & seq. ac p. 145. n. 1. & seq. homo est factus ad imaginem Dei in facultate intellectûs, voluntatis, & liberi arbitrii. p. 307. n. 1. & seq. ad naturam libertatis requiritur intellectus. p. 322. n. 1. tot. cap. X. eadem mens humana est voluntas & intellectus. p. 326. n. 9. & 10.

Interitus: de omnium hominum interitu in fine mundi. p. 275. n. 1. & seq.

Invidia. an primum peccatum dæmonum fuerit invidia. p. 210. n. 9.
S. Joannes. an hiſtoria S. Joannis à Prochoro ſcripta ſit apocrypha. p. 26. n. 6.
Joannes Clericus vid. *Clericus*.
S. Joannes Damaſcenus an docuerit errorem Græcorum ſchismaticorum. p. 85. n. 7. 8. & 9.
Iphigenia an ſit verſa in cervam. p. 236. n. 20. & 21.
S. Irenæus Divinitatem *Filii* propugnavit. p. 107. n. 1. & ſeq.
Iſaac Peyrerius fuit Auctor Præ-vel Anteadamitarum. p. 278. n. 1.
Italus: Itali habent originem à Jano. p. 280. n. 7.
Judæus: error eorum de ſumma Trinitate adducitur. p. 3. ante n. 1. adverſus hos Trinitas Perſonarum oſtenditur ex veteri Teſtamento etiam conformiter linguæ hebraicæ. p. 4. à n. 1. per tot. cap. I. cur Judæis Myſterium Trinitatis ſit abſconditum. p. 4. n 1. Trinitas Perſonarum contra Judæos probatur ex hebraico Nomine *Elochim*, quod idem dicit, ac *Dei*, plures ſcilicet Perſonas. *ibid.* item probatur per verba: *faciamus hominem*: ubi ſcriptura non utitur phraſi hebraica; nec more Europæorum vult innuere Majeſtatem, aut dignitatem: nec unus Deus locutus eſt cum Angelis: ſed una Perſona Divina ad aliam. *ibid.* cum ſolutione objectionum. usque ad p. 13. n. 1. & 2. quibus argumentis Judæi cogi poſſint ad deponendam obdurationem circa Myſterium Trinitatis. p. 14. n. 3. de antiquitate Judæorum, & origine Verbi *Hebræus*. p. 243. n. 1. per tot. cap. I. gens Judæorum eſt antiquiſſima. p. 281. n. 8. eorum lingua eſt primigenia. *ibid.*
Judaicus: lex Judaica quando promulgata. p. 272. n. 5.
Judicium: quomodo Chriſtus ignoraverit extremi Judicii diem. p. 108. n. 5. an Angeli habeant indifferentiam Judicii. p. 198. n. 5. requiritur ad eſſentiam liberi arbitrii. p. 325. n. 8.
Jumentum: de creatione jumentorum. p. 258. n. 10.
S. Juſtinus: quænam ſint opera ipſius genuina. p. 103. n. 1. Divinitatem Verbi propugnavit. p. 103. n. 2. & ſeq. an docuerit, adorandos eſſe Angelos. p. 104. n. 3.
Juſtitia: an Adam ſit productus cum Juſtitia Originali. p. 309. n. 6. & ſeq. quid hæc importet. *ibid.* hæc Adamo non fuit naturaliter debita. p. 349. n. 1. tot. cap. I. II. & III.

L.

Lactantius: Filii Divinitatem propugnavit. p. 123. n. 7.
Lambertus Danæus: ejus error de ſumma Trinitate. p. 4. ante n. 1.
Lapſus. de lapſu hoſti Epiſcopi in hæreſin arianam, & pœnitentia illius. p. 132. n. 1. & ſeq. de merito & lapſu Angelorum. p. 203. n. 1. per tot. cap. XV. quando contigerit lapſus? *ibid.* ante lapſum homo primus non erat morti ſubjectus. p. 334. n. 2. & ſeq. qualiter poſt lapſum aperti ſint oculi Protoparentum. p. 331. n. 8. & ſeq ac p. 343. n. 26.
Lateranenſe Concilium non definivit Angelos eſſe creatos ante cœlum & terram, vel in cœlo empyreo. p 173. n. 2. & ſeq.
Latinus: magnum eſt diſſidium inter Latinos, ac Græcos ſchismaticos de proceſſione Spiritûs S. p. 80. n. 1. Latini malè arguuntur à Græcis ſchismaticis de corrupto ſymbolo. p. 87. n. 1. per tot. cap. XIX. explicantur Græca, latináque vocabula, queis utimur in tractatu de Trinitate. p. 94. n. 1. per tot. cap. XXI.
Lazarus: an dicta de Epulone, & Lazaro ſint parabola vel hiſtoria. p. 220. n. 29.
Legio qualiter legiones Angelorum dividant Thalmudiſtæ. p. 225. n. 7. quot ſint legiones dæmonum. p. 225. n. 1. & ſeq. quot dæmones conſtituant legionem. p. 166 n. 14.
Leviathan quis ſit. p. 176. n. 12.
Lex: an Angelus poſſit peccare in legem naturæ. p. 197. n. 4. quando lex Moſaica ſit promulgata. p. 272. n. 5. vid. *præceptum*.
Liber: an Liber Dionyſii Areopagitæ ſit Apocryphus. p. 26. n. 5. annotatio utilis de quibusdam libris apocryphis circa Myſterium Trinitatis. p. 26. n. 4. usque ad n. 8. liber Geneſis non continet mendacia. p. 246. n. 6. & 8. varia notanda de eo. p. 255. n. 1. & ſeq. an liber quæſt. nov. ac vet. Teſtament. ſit Opus S. Auguſtini. p. 311. n. 13.
Liberum: an futura libera ab Angelis certo prævideantur. p. 193. n. 3. & ſeq. dæmones peccârunt ex libero arbitrio. p. 203. n. 1. hoc malè negant Pelagiani & Manichæi. *ibid.* homo eſt factus ad imaginem Dei in facultate Intellectûs, voluntatis, & liberi arbitrii. p. 307. n. 1. & ſeq. de libero arbitrio Adami. p. 322. n. 1. & ſeq. vid. *arbitrium*. vel *voluntas*.
Liberius Papa non ſubſcripſit Blasphemiam Arianorum. p. 128. n. 1. & ſeq. an formulam aliquam ſubſcripſerit arianam. p. 128. n. 1. an ſententiam ſcripſerit contra S. Athanaſium? *ibid.*
Libertas: quid in Angelis ſit libertas Lubentiæ. p. 196. n. 1. an Angeli & ſancti habeant eandem libertatem amandi Deum, quam habent dæmones peccandi? p. 197. n. 2. primus actus amoris Angelorum fuit ex vera libertate p. 197. n. 3. in quo conſiſtat eſſentia libertatis. p. 322. n. 1. & ſeq. de indifferentia libertatis. *ibid.* eſſentia libertatis non conſiſtit in facultate eligendi bonum, vel malum. p. 323. n. 3. de libertate à neceſſitate, peccato, & miſeria. *ibid.* Adam habuit libertatem arbitrii à neceſſitate, & peccato, non verò nos. p. 323. n. 4. indifferentiam libertatis habet etiam homo lapſus. *ibid.* libertatem à peccato accipimus per gratiam. p. 324. n. 5. libertas noviſſima ſanctorum erit major libertate prima Adami. p. 324. n. 5. libertatem à miſeria conſequemur in patria. *ibid.* libertas non diſtinguitur à voluntate. p. 325. n. 7. quæ diſtinctio inter libertatem voluntatis & arbitrii? *ibid.* libertate carent animalia, & res inanimes. p. 325. n. 8. ad eſſentiam libertatis requiritur etiam ratio. *ibid.* eadem mens hominis eſt intellectus, & libertas ſeu voluntas. p. 326. n. 9. & 10.
Libido: an generatio in Paradiſo eſſet facta per libidinem. p. 327. n. 1. & ſeq. eſt pœna peccati. p. 340. n. 20. & ſeq.
Lignum: quid dicendum de ligno vitæ. p. 262. n. 15. & 16. an virtus ligni vitæ fuerit naturalis. p. 320. n. 4. & 5. an Adam perenniter vixiſſet, ſi de ligno vitæ comediſſet. p. 321. n. 7. vid. *Arbor*.
Limus. ſolus Adam ex limo productus eſt. p. 286. n. 5. & ſeq.
Lingua hebraica. vid. *Judæus*.
Litera: inventor literarum eſt Moyſes. p. 244. n. 2.
Locus: quo in loco ſint creati Angeli. p. 172. n. 1. per tot. cap. VI. quomodo Angeli aſſumant corpora, & certo in loco conſtituantur. p. 199. n. 1. per tot. cap. XIV. an Angeli moveantur de loco in locum. p. 202. n. 9. & an id contingat in momento. *ibid.* n. 10. quotuplex ſit motus de loco in locum. *ibid.* an unus Angelus poſſit eſſe in pluribus locis, vel

vel plures Angeli in eodem. p. 203. n. 11. Paradisus est locus corporeus p. 259. n. 1. & seq.
Loquor. quomodo Angeli loquantur ad invicem. p. 190. n. 1. per tot. cap. XI.
Lubentia. vid. *Libertas.*
Lullus Raymundus tenuit naturali facultate demonstrari posse Mysterium Trinitatis. p. 137. n. 1. & seq.
Luna: varia notanda de luna. p. 257. n. 8.
Lunaris de annis lunaribus. p. 271. n. 1.
Lutherus affirmavit, concupiscentiam esse peccatum. p. 350. n. 3.
Lux: an Angeli in scriptura intelligantur nomine Lucis. p. 160. n. 6. ac p. 256. n. 5. mediante participatione lucis æternæ cognoscunt Angeli omnia objecta. p. 185. n. 2 quotupliciter se lux ista creaturæ rationali communicet. p. 185. n. 3. qua die sit producta. p. 249. n. 5. & p. 255. n 1. quid intelligatur per lucem prima die creatam. p. 256. n. 5.
Luxuria Spiritualis non fuit primum peccatum dæmonum. p. 210. n. 10.

M.

Macedonianus: eorum error de summa Trinitate. p. 4. ante n. 1. ac p. 5. n. 1. iidem erraverunt circa Spiritum S. p. 68. n. 1. contra eos Divinitas Spiritûs S. Patri & Filio consubstantialis propugnatur. p. 74. n. 1 per tot. cap. XV.
Machomet. ejus error de summa Trinitate. p. 4. ante n. 1.
Magia: de licita, & superstitiosa Magia. p. 238. n. 1. per tot. cap. XXI. magia illicita est idololatria, & cultus dæmonis. p. 240. n. 5. hæc ortum habet à posteris cham. p. 241. n. 7. est maximum scelus. p. 241. n. 9.
Magus: de mirabilibus magorum. p. 235. n. 16. & 17. unde nomen trahant. p. 238. n. 1. eorum opera fiunt ope dæmonis. p. 240. n. 4.
Magus Simon: ejus error de summa Trinitate. p. 3. ante n. 1.
Maleficus. an dæmon maleficum possit in aëra sublevare. p. 231. n. 1. & seq.
Malus: an etiam mali habeant Angelum Custodem. p. 226. n. 1. & seq. an & hi possint vera patrare miracula. p. 232. n. 5. & seq
Mammon præest nono ordini dæmonum. p. 226. n. 8.
Mandatum. vid. *Præceptum.*
Manichæus ait quasdam res à principio malo provenire. p. 166. n. 14. item falsò affirmat, dæmones necessitate peccâsse. p. 203. n. 1. contra eum defenditur, animam hominis non esse portionem Divinæ substantiæ. p. 290. n. 6. & seq. qualiter explicet concupiscentiam. p. 351. n. 6. & 7.
Marcellus: ejus error de summa Trinitate. p. 3. ante n. 1.
Marcion: hujus error de æternitate Christi. p. 17. n. 8. damnat nuptias. p. 345. n. 1. dixit, Adamum esse damnatum. p. 345. n. 1.
Mare: notanda aliqua de creatione maris p. 257. n 7. effundit salem, & semina piscium per meatus in montes. p. 258 n. 9
S. MARIA. cur à symbolo Nicæno non vocetur Deipara, vel Christipara. p. 90. n. 7.
Materia: an distinctio numerica sit impossibilis sine materia. p. 169. n. 4.
Materialis est ignis infernalis. p. 211. n. 1. & 19. ac seq. vid. *ignis.*
Matutinus, vid. *cognitio.*
Mendax. Spiritus mendaciorum sunt in secundo ordine dæmonum. p. 226. n. 8. in libro Genesis non est Moyses mendax. p. 246. n. 6. & 8.
Mens. gratia actualis Adamo collata consistebat in illuminatione mentis. p. 313. n. 4. eadem mens humana est voluntas, & intellectus. p. 326. n. 9. & 10.
Mensis: qualis Mensis sit primus in anno. p. 268. n. 5. & seq.
Mentha aquâ nutritur, & crescit. p. 256. n. 4.
Mercurius Trismegistus an naturaliter manifestârit vestigia circa Mysterium Trinitatis? p. 137. n. 1. & seq.
Mereor: an Angeli & Beati per amorem suum ergà Deum quid mereantur. p. 196. n. 1. & seq. an dæmones adhuc peccent, & propterea pœnam mereantur. p. 196. n. 1. an Christus statim in primo instanti meruerit. p. 205. n. 4.
Meridianus. vid. *Dæmonium.*
Meritum. de merito & lapsu Angelorum. p. 203. n. 1. per tot. cap. XV. quando Angeli meruerint Beatitudinem? p. 203. n. 1. & seq. meruerunt eandem ex Gratia Dei. *ibid.*
Mesopotamia, an in Mesopotamia fuerit Paradisus? p. 259. n. 6.
Metaphrastes cujus sit auctoritatis. p. 217. n. 18.
Mezaloth quid sit in consideratione Thalmudistarum. p. 225. n. 7.
Michaël Servetus: ejus temera opinio de summa Trinitate. p. 4. ante n. 1.
Migratio de transmigratione animarum. p. 304. n. 1. & seq.
Mirabilis: quod sint genera mirabilium. p. 231. n. 1. vid. *miraculum.*
Miraculum: an Dæmon possit virtute naturali patrare miracula? p. 231. n. 1 per tot. cap XX. quæ miracula excedant vires Angelorum, & Sanctorum. p. 231. n. 1. & 2. regulæ secernendi miracula vera à præstigiis dæmonum. p 231. n. 1. & 2. an etiam improbus possit vera patrare miracula. p. 232. n. 5. & seq. miracula sunt notæ veræ Religionis, & non potest ea Deus facere in argumentum erroris, aut vitiorum commendationem. p. 234. n. 13. & seq. de variis miraculis apparentibus. p. 235. n. 16. & seq.
Mirandulanus Picus. ejus observatio de summa Trinitate ex Veteri Testamento. p. 6. n. 6.
Miririm est princeps sexti ordinis dæmonum. p. 226. n. 8.
Miseria: qualiter voluntas sit libera à miseria? p. 323. n. 3. & seq. hanc libertatem consequemur in patria. p. 324. n. 5.
Missio quotuplex sit in divinis, & quid importet? p. 91. n. 1. & p. 92. n. 6. & seq.
Missus: quo sensu Filius, & Spiritus S. dicantur Missi? p. 91. n. 1. per tot. cap. XX. Pater nec à Filio, nec à Spiritu S. mittitur. p. 92. n. 2. quomodo Filius sit Missus à Spiritu S.? p. 92. n. 4. &c. Spiritus S. est Missus à Patre, & Filio. p. 92. n. 5. & seq.
Momentum: an Angeli moveantur localiter in momento. p. 202. n. 10. in quo momento Angeli boni meruerint, & mali peccarint. p. 203. n. 1. & seq.
Mons: unde veniat, quòd sal, & pisces oriantur in montibus. p. 258. n. 9. supra montes Armeniæ fuit Paradisus. p. 259. n. 5.
Montanista. error eorum de summa Trinitate. p. 3. ante n. 1. iidem hæresin docuêre de Spiritu S. p. 68. n. 1.

Mopſueſtenus Theodorus: ejus error de ſumma Trinitate. p. 3. ante n. 1.
Morior. aliud eſt *non poſſe mori*, & aliud *poſſe non mori*. p. 310. n. 1. & ſeq. ac p. 334. n. 2. & ſeq.
Moriturus: qualis diſtinctio inter *mortuum*, *mortale*, & *moriturum*? p. 334. n. 2.
Mors: probatur, quod ſit pœna peccati protoparentum. p. 334. n. 2. & ſeq. Adam ante lapſum non fuit morti ſubjectus. p. 334. n. 2. & ſeq. mors corporis eſt pœna peccati. p. 335. n. 3. & ſeq.
Mortalis. quo ſenſu Angeli ſint mortales. p. 166. n. 1. per tot. cap. III. quotupliciter quid dicatur mortale? p. 167. n. 1. quale diſcrimen inter *mortuum*, *mortale*, & *moriturum*? p. 334. n. 2
Mortuus: reſurrectio mortuorum non poteſt fieri à creatura Deo non operante. p. 231. n. 1. & ſeq. factum Pythoniſſæ excitantis Samuelem explicatur. p. 236. n. 18. & 19. quale diſcrimen inter *mortuum*, *mortale*, & *moriturum*? p. 334. n. 2.
Motus. an Angeli motus ſit localis de uno in alterum, & quidem in momento? p. 202. n. 9. & 10. quotuplex ſit motus localis? *ibid.*
Moyſaicus. lex Moyſaica quando promulgata. p. 272. n. 5.
Moyſes de ejus miraculis. p. 235. n. 16. & 17. & p. 241. n. 10. & 11. hiſtoria de creatione mundi ex libris Moyſis eſt accipienda. p. 243. n. 1. & ſeq. fuit primus hiſtoricus. p. 244. n. 2 ac literarum inventor. *ibid.* & n. 3. habet notas optimi Scriptoris. *ibid.* n. 4. & ſeq.
Mulier: Concubitus cum muliere non fuit peccatum Dæmonum. p. 209. n. 8. an etiam mulier ſit facta ad imaginem Dei. p. 308. n. 3.
Mundus: an Angeli ſint conditi ante mundum. p. 42. n. 17. & p. 173. n. 2. & ſeq. hiſtoria de creatione mundi ex libris Moyſis eſt ſumenda. p. 243. n. 1. & ſeq. an dies, in quibus creatus eſt mundus, fuerint naturales. p. 247. n. 1. & ſeq. mundus eſt productus prima die, & ante hunc nil eſt creatum. p. 255. n. 1. an mundus vel alia creatura ſit Deo coæterna. p. 263. n. 1. & ſeq. vel ſaltem potuerit eſſe. p. 264. n. 8. quo anni tempore mundus ſit productus p. 267. n. 1. & ſeq. de mundi ætate, & diſtributione omnis ævi. p. 271. n. 1. & ſeq. tot. cap. VII. mundi tempora ſunt in certas Epochas diſtribuenda. p. 271. n. 1. & ſeq. refutantur fabulæ Ægyptiorum in numerandis annis mundi. p. 271. n. 1. quo anno mundi fuerit natus Abraham. p. 272. n. 5. quo anno Chriſtus. p. 273. n. 7. & ſeq. de æra vulgari mundi. *ibid.* de conflagratione mundi. p. 275. n. 1. & ſeq. quot annis ſtabit? *ibid.*
Mutatio in Deo non datur, nec potentialitas. p. 263. n. 4. & 5.

N.

Nathanaël Elianus: ejus error de ſumma Trinitate. p. 4. ante n. 1.
Nativitas, quo die Chriſtus ſit natus. p. 268. n. 4. & 5. quando Abraham. p. 272. n. 4. & 5. quo anno mundi Chriſtus ſit natus. p. 273. n. 7. & ſeq.
Natura: divina non multiplicatur ad multiplicationem Perſonarum. p. 29 n. 3. & 4. ac p. 32. n. 18. an Natura divina ſit una, & triplex. p. 31. n. 13. & 14. cur eadem Natura divina poſſit eſſe triplex in Perſonis, & cur non poſſit Natura creata. p. 31. n. 14. & 15. an Natura humana potuiſſet ſimul aſſumi ab omnibus tribus Perſonis divinis. p. 32. n. 15. quæ diſtinctio inter naturam divinam & Perſonas. p. 32. n. 18. & ſeq. an diverſus modus exiſtendi multiplicet Naturam divinam p. 33. n. 19. Chriſtus eſt Filius Patris non per adoptionem, ſed generationem & naturam. p. 43. n. 1. per tot. cap. IX. Objectiones circa hanc Generationem allatæ ſolvuntur. p. 48. à n. 1. per tot. cap. X. an Natura divina ſit Principium Proceſſionum. p. 140. n. 1. & ſeq. an Angeli ſint ex ſua natura mortales vel immortales. p. 167. n. 1. & ſeq. an Angeli poſſint peccare in legem naturæ. p. 197. n. 4. immortalitas Adæ non fuit proprietas naturæ. p. 320. n. 1. & ſeq. quid ſit natura pura. p. 349. n. 1. tot. cap. I. II. & III. an detur natura pura? *ibid.* quid dicendum de propoſitionibus Baij in hac materia. p. 349. n. 1.
Naturalis: intellectus creatus nequit virtute naturali habere ſcientiam Trinitatis. p. 137. n. 1. per tot. cap. I.
Neceſſitas: an Pater Cœleſtis generet Filium voluntate, vel neceſſitate? p. 50. n. 10. 11. 12. & 13. quæ ſit neceſſitas Angelorum ac Beatorum amandi Deum? p. 197. n. 2. quæ neceſſitas damnatorum peccandi. p. 197. n. 2. qualiter voluntas dicatur libera à neceſſitate. p. 323. n. 3. & ſeq. homo primus habuit libertatem à neceſſitate, & peccato, non verò nos. p. 323. n. 4.
Necromantia eſt ſpecies magiæ illicitæ. p. 239. n. 3.
Neſtorianus: quid ſit dicendum de ſymbolo Neſtoriano. p. 88. n. 3. & p. 89. n. 6.
Neſtorius: ejus error de ſumma Trinitate. p. 3. ante n. 1.
Nicænus: ſynodus Nicæna ad exprimendam conſubſtantialitatem Filii jure merito adhibuit verbum ὁμοούσιος. p. 64. n. 3. & ſeq. an huic ſynodo licitum ſit quid addere. p. 88. n. 3. cur in ſymbolo Nicæno B. Virgo non vocetur Deipara, vel Chriſtipara. p. 90. n. 7.
Nihilum: an anima rationalis ſit creata ex nihilo? p. 294. n. 9. & ſeq.
Niſan. fuit Primus Menſis in anno. p. 268. n. 5. & ſeq.
Noa. quinam populi à Noa ortum ducant. p. 280. n. 7.
Noë quando egreſſus de arca? p. 268. n. 5. vid. *diluvium*.
Noëtius: ejus error de ſumma Trinitate. p. 3. ante n. 1.
Nomen: quod Chriſtus ſit ſummus Deus æqualis Patri, ac eidem conſubſtantialis, probatur ex Divinis Nominibus. p. 52. n. 1. & ſeq. objectiones deſuper ſolvuntur. p. 57. n. 1. per tot. cap. XII. idem ex iisdem probatur de Spiritu S. p. 74. n. 1. & 2. quæ Nomina conveniant divinis Perſonis? p. 94. n. 1. & ſeq. nomen Angeli explicatur. p. 158. n. 1. & ſeq.
Notio: quid & quot ſint in Trinitate? p. 97. n. 11.
Notionalis: quid in divinis ſit intellectus notionalis? quid eſſentialis. p. 51. n. 15. & 16. Spiratio eſt proprietas Notionalis. p. 97. n. 11. quot ſint proprietates notionales? p. 97. n. 11.
Notitia. vid. *Naturalis*.
Novatores: error eorum de Spiritu S. refutatur. p. 76. n. 6. & ſeq. negant miracula eſſe ſignum veræ Religionis. p. 234. n. 13.
Novus: Teſtamentum novum. vid. *Teſtamentum*.
Nuditas. de pudore nuditatis: eſt pœna peccati. p. 343. n. 26.
Numerus. Scriptura non utitur numero plurali in verbis *Dei*: *faciamus*: &c. ob phraſin hebraicam, nec honoris causâ more Europæorum: ſed ad exprimendam Trinitatem Perſonarum. p. 4. n. 1. & ſeq.

seq. solvuntur objectiones contrariæ. *ibid.* usque p. 13. n. 1. & 2. de numero Angelorum. p. 171. n. 1. & seq.
Nuntiæ. cur Angeli vocentur Nuntii. p. 158. n. 1.
Nuptiæ: an in Paradiso fuisset usus nuptiarum Adamo non peccante. p. 327. n. 1. & seq Encratitæ & Marcionitæ damnant nuptias. p. 345. n. 1.

O.

Obduratio Judæorum circa Mysterium Trinitatis quibus argumentis sit vincenda. p. 14. n. 3.
Objectum: quomodo Angeli cognoscant objecta omnia. p. 184. n. 1. & in quo medio. p. 185. n. 2.
Obstinatio: peccant dæmones actu ob obstinationem suam, & quæ sit causa hujus obstinationis. p. 196. n. 1. & 2. dæmones habent voluntatem immutabilem ob obstinationem. p. 198. n. 5.
Obumbratio. Spiritus S. per obumbrationem Virginis non est factus Pater Filii. p. 74. n. 22. & 23.
Occidentalis: Etruriæ populi sunt cæteris occidentalibus antiquiores. p. 280. n. 7.
Oceanus: an Paradisus sit ultra Oceanum. p. 259. n. 6.
Ochinus Bernardinus: ejus error de Trinitate. p. 4. ante n. 1.
Oculus qualiter protoparentibus post lapsum aperti sint oculi. p. 331. n. 8. & seq. ac p. 343. n. 26.
Ocymum aquâ nutritur, & crescit. p. 256. n. 4.
Ogyges vid *diluvium.*
Olympias: quando sint institutæ olympiades. p. 273. n. 6.
Ὁμοούσιος. hujus vocabuli etymon exponitur. p. 64. n. 2. illud jure est usurpatum à synodo Nicæna contra Arianos. p. 64. n. 3. & seq. in quo sensu sit rejectum à Synodo Antiochena. p. 66. n. 11. conciliantur circa hoc verbum S. S. Hilarius, & Athanasius. p. 66. n. 12. quæ differentia inter verba ὁμοούσιος. & ὁμοιούσιος? p. 94. n. 2.
Operatio: an Angeli sint in loco per substantiam suam, vel solùm per operationem. p. 201. n. 4. & seq.
Ophita asserebat, Protoparentes nostros ante lapsum fuisse cæcos. p. 331. n. 8. & p. 343. n. 26. & seq.
Opus: ex operibus Christi probatur, eum esse summum Deum, Patri æqualem, ac in omnibus consubstantialem. p. 52. à n. 1. per tot. cap. XI. objectiones desuper solvuntur, in quibus varii Textus explicantur. p. 57. à n. 1. per tot. cap. XII. ex operibus probatur, Spiritum S. esse verum Deum. p. 75. n. 2.
Oraculum: de oraculis Idolorum, & divinatione dæmonum. p. 194. n. 11. & seq. varia notanda de iis. p. 231. n. 1. & seq.
Ordo. quot sint ordines Angelorum. p. 223. n. 1. tot. cap. XVIII. an omnes Angeli cujuscunque ordinis mittantur. p. 225. n. 6. quot ordines habeant dæmones. p. 225. n. 7. & seq.
Origenes negat, ignem infernalem fore perpetuum. p. 211. n. 1. & seq. vid. *ignis.* Origenes negat, Paradisum fuisse locum corporeum. p. 259. n. 1. contra eum probatur, animam hominis non extitisse extra corpus. p. 291. n. 1. & seq. Origenes negat, Deum fecisse tunicas pelliceas protoparentibus. p. 344. n. 29.
Origenes Adamantius à labe Arianorum vix potest excusari. p. 110. n. 1. & seq.
Originalis. peccatum originale quomodo contrahatur ab anima, si hæc creatur. p. 298. n. 22. an Adam fuerit creatus cum justitia originali? & quid hæc includat. p. 309. n. 6 & seq. hæc tamen ei non fuit naturaliter debita. p 349. n. 1. tot cap I. II. & III.
Origo. in Divinis ad generationem non requiritur præexistentia Patris, sed sufficit conditio Originis. p. 49. n. 7. Filius divinus origine est minor Patre. p. 58. n. 2. de animarum origine. p. 294. n. 9. & seq.
Ostentum. varia notanda de ostentis. p. 231. n. 1. & seq.

P.

Amphilus Eusebius. an fuerit verè Catholicus. p. 123. n. 1. & seq.
Pandora. in fabula Promothei, & Pandoræ signantur Adam & Eva. p. 281. n. 9.
Parabola. an dicta de Epulone & Lazaro sint historia vel parabola. p. 220. n. 29.
Paraclitus. vid. *Spiritus S*
Paradisus. erat Adæ habitaculum, & locus corporeus in orbe. p. 258. n. 1. hoc negant Philo, & Origenes. p 259. n 1. ubi sit iste locus. p. 259. n. 5. an in primo instanti creationis Adam in illum sit positus? p. 310 n. 10. & seq. an lignum vitæ in Paradiso habuerit virtutem naturalem. p. 320. n. 4. & 5. an cibi in Paradiso fuerint corporei. p. 321. n. 6. an etiam in Paradiso generatio esset facta per copulam carnalem. p. 326 n. 1 tot. cap. XI. an in Paridiso sit usus nuptiarum. p 327. n. 1. & seq. an proles essent procreatæ in Paradiso cum iisdem circumstantiis, ut modo contingit? *ibid.*
Passio Christi quo die fuerit peracta. p 268. n. 4. & 5.
Pastor Hermas. an hujus libri de summa Trinitate sint apocryphi p. 26. n 7.
Pater Cœlestis habet Filium ab eo genitum non adoptione & gratiâ, sed generatione & naturâ. p. 43. à n. 1. per tot. cap. IX. Objectiones Wolzogenii solvuntur. p. 48. à. n. 1. per tot. cap. X. Deus Pater generavit Filium, & non alium Deum; p. 48 n. 1. usque ad n. 6 an Filius Divinus possit dici genitus ex essentia Patris. p. 49. n. 6. Filius non obstante generatione est æquè æternus, ac Pater. p. 49. n. 7 ad generationem in Divinis non requiritur præexistentia Patris, sed sufficit conditio originis. p. 49. n. 7. an Deus Pater adhuc generet Filium. p. 50. n. 10. 11. 12. & 13. an possit dici Filius genitus ex Dei Patris Consilio. p. 51. n. 14. an Patris intellectus sit etiam intellectus Filii. p. 51. n. 15. & 16. Filius Divinus est summus Deus, sicut Pater; huic æqualis ac consubstantialis. p. 52. à n. 1. per tot. cap. XI. solvuntur desuper objectiones. p. 57. à n. 1. per tot. cap XII quomodo intelligenda verba Scripturæ: *Pater major me est?* ubi plures similes textus explicantur. p. 57. à n. 1. & seq. Jure merito Nicæna synodus ad asserendam consubstantialitatem Patris cum Filio usurpavit verbum ὁμοούσιος. p. 64. n. 3. & seq. Filius Divinus non est Pater Spiritûs Sancti. p. 74. n. 20. & 21. Spiritus Sanctus non est Pater filii ob obumbrationem Virginis. p 74. n. 22. & 23. Spiritus S. à Patre & Filio procedit. p. 80. à n. 1. per tot. cap. XVII. an Pater generet Filium necessitate, vel voluntate. p. 50. n. 10. 11. 12. & 13. objectiones negantes Processionem Spiritûs S. à Patre & Filio solvuntur. p. 83. à n. 1. per tot. cap. XVIII. vid. *Schismaticus.* Pater nec à Filio, nec à Spiritu S. mittitur. p. 92. n. 2. Spiritus S. est missus à Patre, & Filio. p. 92. n 5. & seq. explicatio vocabuli *Pater.* p. 96. n. 6. quæ sit proprietas Patris? *ibid.* cur Pater dicatur

catur principium, auctor, fons, & causa, & cum quali limitatione. p. 96 n. 8. Patri & Filio convenit esse Principium Spiritûs S. p. 97. n. 11. Pater non est Pater ob solam non repugnantiam filii, sed est Pater ob verum Principium. p. 140. n. 1. & seq. quomodo in Patre sit potentia generativa. p. 141. n. 1. an Spiritus S. esset persona distincta à Filio, si à solo Patre procederet. p. 148. n. 1. & seq.

Paternitas. est proprietas notionalis. p. 97. n. 11.

Patres. Trinitas Personarum probatur Patrum traditione. p 24. à n. 1. per tot. cap. V. Patres antenicæni. vid. *Antenicani.*

Patria. libertatem à miseria consequemur in patria. p. 324. n. 5.

Patriarcha. an Deus, vel Christus, vel Angelus apparuerit, quando legitur Deum apparuisse Patriarchis. p. 39. à n. 5. usque ad cap. IX. anni primorum patriarcharum non sunt breviores nostris. p. 272. n. 3.

Paulus. Samosatenus: ejus error de summa Trinitate. p. 3. ante n. 1.

Peccatum. Pelagius docuit, hominem propriis viribus omnia posse vitare peccata. p. 216. n. 15. an Deus possit patrare miracula in commendationem peccatorum? p. 234. n. 13 anima hominis non est in terrenum carcerem ob peccatum extra corpus commissum detrusa. p. 291. n. 1. & seq. quomodo anima contrahat peccatum originale, si creatur, & non producitur. p. 298. n. 22. an homo per peccatum amittat imaginem Dei. p. 208. n. 3. qualiter voluntas dicatur libera à peccato. p. 322. n. 3. & seq. Adam hanc habuit libertatem. p. 323. n. 4. nos eandem accipimus per gratiam. p. 324. n. 5. in transgressione præcepti Protoparentes plura commiserunt peccata. p. 333. n. 14. & seq. primum peccatum Protoplastorum fuit superbia. *ibid.* de pœnis illius. p. 334. n. 1. tot. cap. XIII.

Pecco. an dæmones adhuc peccent, & pœnam propterea mereantur. p. 196 n. 1. & 2. an necessariò peccent sicut Angeli necessariò amant? *ibid.* an Angeli possint peccare in legem naturæ. p. 197. n. 4. Angelus non potest peccare. p. 198. n. 6. 7. & 8. quando dæmones peccârint? p 203 n. 1 & seq. peccârunt ex libero arbitrio. *ibid.* hoc malè negant Pelagiani, & Manichæi. p. 203. n. 1 dæmones peccaverunt superbiâ. p. 208. n. 5. & non peccaverunt primitùs peccato stupri, vel concubitûs. p. 209. n. 8. nec invidiæ. p. 210. n. 9. nec spiritualis Luxuriæ. p. 210. n 10. quomodo peccârint superbiâ p. 210. n. 11. an homo per peccatum amittat imaginem Dei. p. 208. n. 3. ad libertatem non spectat posse peccare. p. 323. n. 3. quomodo peccârint Protoparentes nostri. p. 329. n. 1. tot. cap. XII.

Pelagianus. falsò negat; Angelos peccâsse ex libero arbitrio. p. 203. n. 1. erroneè docet, hominem posse propriis viribus vitare omne peccatum. p. 216. n. 15. contra eum affirmatur, mortem esse pœnam peccati. p. 234. n. 2 & seq. negant pariter ignorantiam esse pœnam peccati: p. 339. n. 16. & seq. qualiter explicent concupiscentiam. p. 351. n. 6. & 7.

Pelliceus. Deus verè fecit Protoparentibus tunicas pelliceas. p. 344. n. 29 & seq.

Perditio. quomodo dæmones vigilent ad perditionem animarum. p. 226 n. 1. tot. cap. XIX.

Perfectio. in creaturis datur duplex perfectio, relativa & absoluta. p. 161. n. 12.

Perpetuus. vid. *æternus.*

Persevero. an ad perseverandum erat Adamo necessaria gratia prædeterminans. p. 312. n. 1.

Persona. variorum errores circa trinitatem Personarum referuntur. p. 3. ante n. 1. Anastasius quaternitatem admittens fulmine ictus interiit *ibid.* Trinitas Personarum adversùs Judæos, & Hæreticos ostenditur ex veteri Testamento etiam conformiter linguæ Hebraicæ. p. 4. à n. 1. per tot. cap. I vocabula *Dii. faciamus* &c. non significant plures Deos, sed plures Personas p 4. n 1 & seq. prædictus modus non est phrasis hebraica, nec ponitur honoris causâ, more Europæorum. *ibid.* nec dicto textu *faciamus hominem.* locutus est Deus cum Angelis. p. 9 n 16 solvuntur objectiones ulteriores Judæorum ac Hæreticorum. p 13 n. 1. & 2. quibus argumentis Judæorum obduratio cogatur circa Mysterium Trinitatis Personarum. p. 14. n. 3. Trinitas Personarum contra Hæreticos probatur ex novo Testamento. p. 14. à n. 1. per tot. cap III. & IV. ubi refutantur Sociniani *ibid.* Omnes tres Personæ sunt Institutores Evangelii. p. 16. n. 4. vindicatur Textus Scripturæ: *tres sunt*, qui testimonium &c. p. 17. n. 5. usque ad n. 13. Trinitas Personarum probatur traditione Patrum. p. 24. n. 1. per tot. cap. V. annotatio utilis de quibusdam libris apocryphis circa hoc Mysterium. p. 26 n. 1. usque ad n. 8. Trinitas Personarum non est deneganda ex eo, quia eam humana ratio capere nequit p. 27. n. 1. & 2. altercatio Catholici cum Sociniano circa Trinitatem Personarum. p. 27 à n. 1 per tot. cap. VI an dogma Catholicum evertat seipsum circa trinitatem Personarum. p. 29. n. 3. usque ad cap. VII an Trinitas Personarum elidatur per rationes philosophicas? p. 27. n. 1. per tot. cap. VI. an tres sint Dii, quia tres Personæ Divinæ. p. 29. n. 3. & 4. ac p. 32 n. 18. an Persona Patris non sit etiam Persona Filii, & Spiritûs S. p. 29. n. 5. & 6. an quælibet Persona sit trina in Personis. p. 30. n. 9. & 10. de distinctione Personarum p. 30. n. 11. & 12. cur eadem Essentia Divina possit esse triplex in Personis, & cur non etiam natura creata p. 31. n. 14. & 15. an natura humana posset assumi simul à Personis tribus Divinis p. 32. n. 15. Personæ Divinæ cur tantum sint tres? *ibid.* quæ distinctio inter Essentiam Divinam, & Personas? p 32. n. 18. & seq. an diversus modus existendi non tantùm Personas divinas, sed etiam naturam multiplicet. p. 33. n. 19. Trinitas Personarum probatur exemplis, ratione, ac miraculis p. 35. n. 1. 2. & 3. Trinitas Personarum non destruit simplicitatem Dei. p. 37. n. 4. Deus Pater generavit Personam, non alium Deum. p. 48. n. 1. usque ad n. 6. vid. *Filius, Verbum*, aut *Christus.* Spiritus S. est res subsistens seu Persona. vid. *Spiritus.* regulæ aliquæ dignoscendi, quando in scriptura res, vel actio, & quando Persona deheat intelligi. p. 70. n. 7. quæ sit proprietas primæ Personæ. p. 96. n. 6 de proprietatibus notionalibus trium Personarum p 94. n. 1. & seq. an Spiritus S. esset Persona distincta à Filio, si ab hoc non procederet. p. 148. n. 1. & seq. Personæ divinæ multiplicantur, & distinguuntur ob relationes. p. 148. n. 2. regulæ observandæ in discursu de Trinitate Personarum. p. 154. n. 1. & seq.

Peyrerius Isaac fuit Pater Præadamitarum. p. 278 n. 1.

Phantasia magica. vid. *Portentum.*

Phereponus, ejus censura in consubstantialitatem Filii. p. 63. n. 33. negavit, pudorem nuditatis esse pœnam peccati. p. 343. n. 26.

Philo, negat, Paradisum fuisse locum corporeum. p. 259. n. 1.

Philosophia. Mysterium Trinitatis nec per rationes philosophicas eliditur. p. 27. à n. 1. per tot. cap. VI.
Philosophus. quidam negabant existentiam Angelorum. p. 159. n. 2.
Phison. an in confluente Phison sit Paradisus. p. 259. n. 6.
Photinus. ejus error de summa Trinitate. p. 3. ante n. 1.
Photius spado. excitavit dissidium inter latinos, & Græcos de Processione Spiritûs S. p. 80. n. 1. de ejus symbolo. p. 88. n. 3. & p. 89. n. 6.
Picus Mirandulanus. ejus observatio de summa Trinitate ex veteri testamento. p. 6. n 6.
Piscis. de creatione piscium. p. 258. n. 9. an possint generari in montibus? *ibid.*
Pius. vid. *Probus.*
Plasma Adami corporeum quale fuerit? p. 284. n. 1.
Plato. naturali virtute non invenit Mysterium Trinitatis. p 137. n. 1. & seq. de circuitu animorum ad mentem Platonis. p. 306. n. 6. & seq.
Platonicus. asserebant Platonici Angelos constare corporibus elementaribus. p. 162. n. 1. iidem negarunt, ignem infernalem esse perpetuum. p. 211. n. 1. & seq. dicunt mundum esse ab æterno. p. 263. n. 1. vid. *Revolutio.*
Pluralitas. quid scriptura velit significare, si utatur vocibus: *Dii, faciamus?* p. 4. n. 1. & seq. solvuntur objectiones desuper. p. 13. n. 1. & 2.
Pneuma vid. *Spiritus S.*
Pneumatomachus error eorum de Spiritu S. p. 63. n. 1. & seq. per cap. XIV. item per cap. XV.
Pœna. an dæmones adhuc peccent, & propterea pœnam mereantur. p. 196. n. 1. pœna dæmonum est ignis infernalis. p. 211. n. 1. per tot cap. XVII. vid. *Ignis.* de pœnis ob inobedientiam Adæ injunctis. p. 334. n. 1. tot. cap. XIII.
Pœnitentia. de lapsu Hosii Episcopi in hæresin Arianam, & de pœnitentia illius. p. 132. n. 1. & seq. an dæmones possint pœnitentiam agere? p. 199. n. 10.
Poloni fratres. eorum objectiones circa generationem æternam Patris solvuntur. p. 48. à n. 1. per tot. cap. X. eorum error de summa Trinitate. p. 3. ante n. 1. & p. 4. ante n. 1.
S. Polycarpus. Arianismi suspicio ab eo removetur. p. 103 ante n. 1.
Pomponatius. falsò docuit animam esse corpoream. p. 299. n. 26. & 27.
Portentum. varia notanda de portentis. p. 231. n. 1. & seq. vid. *Miraculum.*
Portio. anima rationalis non est portio divinæ substantiæ. p. 290. n. 6. & seq.
Potentia. qualiter in Deo detur potentia? p. 141. n. 4. an detur in divinis distinctio inter potentiam, principium, & generationem? p. 140. n 1. & seq. in Deo non datur potentia aut mutatio. p. 263. n. 4. & 5.
Potestas. est ordo Angelorum p. 223. n. 1. & seq. aëreæ potestates est sextus ordo dæmonum. p. 226. n. 8.
Præadamita. vid. *Adamus.*
Præceptum. quomodo Protoplasti transgressi sint præceptum Domini? p. 329. n. 1. tot cap. XII. hoc præceptum Dei fuit justissimum. p. 329. n. 2. & seq. in transgressione primi præcepti plura peccata commiserunt Protoplasti. p. 333. n 14. & seq.
Prædetermino. an ad perseverandum Adamo erat necessaria gratia prædeterminans? p. 312. n. 1. & seq.
Præexistentia. de Verbi Divini ante incarnationem præexistentia. p. 27. à n. 1. per tot. cap. VIII. ad generationem in divinis non requiritur Præexistentia Patris, sed sufficit conditio Originis. p. 49. n. 7.
Præsentia. an Angeli sint in loco per præsentiam, in distantiam, vel per operationem? p. 201. n. 4. & seq.
Præstigiator. quintum dæmonum Ordinem efficiunt Præstigiatores. p. 226. n. 8.
Præstigium. regulæ dignoscendi præstigia dæmonum à veris miraculis. p. 231. n. 1. & 2. vid. *miraculum.*
Prævideo. an Angeli prævideant futura? p. 193. n. 1. & seq.
Primogenitus. cur Christus dicatur Filius Primogenitus? p. 45. n. 6. & seq.
Princeps. quis fuerit Princeps malorum Angelorum? p. 207. n. 1. & seq.
Principatus Angelorum & dæmonum explicantur. p. 223. n. 1. tot. cap. XVIII.
Principium. in quo sensu Pater dicatur principium? p 96. n. 8. Patri & Filio convenit esse Principium Spiritûs S. p. 97. n. 11. quot dentur in Trinitate Principia? p 140. n. 1. & seq. quid sit Principium, quid Principium *quod*, & quid Principium *quo*? *ibid.* non datur in Deo Principium *quo* complexè distinctum à Principio *quod*. p. 142. n. 9. an dictio & spiratio sint Principia? p. 140 n. 1. & seq. an detur distinctio inter principium, potentiam, & generationem? *ibid.* an aliquæ res sint productæ à principio malo? p. 166. n. 14.
Priscillianus. error ejus de summa trinitate. p. 3. ante n. 1. idem falso docuit, animas rationales creatas extra corpus. p. 291. n 1. & seq.
Probus. an solùm probi habeant Angelum Custodem? p. 226. n. 1. & seq.
Procedo. Spiritus S. à Patre, & Filio procedit p. 80. à n. 1. per tot. cap. XVII. solvuntur objectiones contrariæ. p. 83. à n. 1. per tot. cap. XVIII. vid. *Schismaticus.* an Spiritus S. & Filius essent una Persona, si Spiritus S. à solo Patre procederet? p. 148. n. 1. & seq.
Processio. magnum est dissidium latinos inter & Græcos schismaticos de Processione Spiritûs S. p. 80. n. 1. quot in Trinitate sint Processiones? p. 140. n. 1. & seq. vid. *Principium.* sola Processio verbi est generatio. p. 145 n. 1. & seq. & cur non Processio Spiritus S. *ibid.*
Prochorus. an Epistola illius tractans historiam S. Joannis sit Apocrypha? p. 26. n 6.
Prodigium. vid. *Portentum.*
Produco. quomodo anima contrahat peccatum originale, si non producitur? p. 293. n. 22.
Proles. an Proles essent in Paradiso procreatæ cum iisdem circumstantiis, ut modo contingit. p. 327. n. 1. & seq.
Prologus. an Prologus in Epistolas canonicas sit Opus D. Hieronymi? p. 18 à n. 11. usque ad cap. IV.
Prometheus. vid. *Pandora.*
Propagatio. vid. *Generatio.*
Propago. an anima rationalis sit ex propagine sui generis? p. 294. n. 9. & seq.
Proprietas. ex proprietatibus probatur, quòd Spiritus S. sit verus Deus. p. 75. n. 2. de proprietatibus notionalibus Trium Personarum. p. 94. n. 1. & seq. immortalitas Adæ fuit donum supernaturale, non proprietas naturaliter debita. p. 320. n. 1.
Protoplastus. quomodo Protoplasti sint transgressi præceptum Dei? p. 329. n. 1. tot. cap. XII. hoc præceptum fuit justissimum. p. 329. n. 2 & seq. Diabolus fuit suasor, usus serpente vero & naturali tanquam organo. p. 330. n. 5. & seq. in transgressione præcepti plura commiserunt peccata. p. 333. n. 14.

n. 14. & seq. primum eorum peccatum fuit superbia. *ibid.* de pœnis ob inobedientiam injunctis. p. 334. n. 1. tot. cap. XIII qualem ante lapsum habuerint scientiam? p. 339. n. 16. qualiter iis post lapsum aperti sint oculi? p. 331. n. 8. & seq. & p. 343. n. 26. Deus verè fecit Protoplastis tunicas pelliceas. p. 344. n. 29. & seq. his non fuit naturaliter debita gratia sanctificans, habitus virtutum, nec justitia originalis. p. 349. n. 1. tot. cap. I. II. & III.

Pseudotheus. vocatur primus ordo dæmonum, p. 226. n. 8.

Pudor de pudore nuditatis: est pœna peccati. p. 343. n. 26. & seq.

Purus. quid sit natura pura? p. 349. n. 1. tot. cap. I. II. & III. an detur natura pura? *ibid.* quid dicendum de propositionibus Baji in hac materia? p. 349. n. 1.

Pythagoras. an primus docuerit transmigrationem animarum? p. 304. n. 1.

Pythia. quid sit, & an verum prædicat? p. 195. n. 12.

Python. est in secundo ordine dæmonum. p. 226. n. 8.

Pythonissa. ejus factum in suscitatione Samuelis explicatur. p. 236. n. 18. & 19.

Q.

Quaternitas. à quibusdam admittebatur quaternitas Personarum Divinarum. p. 3 ante n 1. ob quam impietatem Anastasius Imperator fulmine ictus interiit. *ibid.*

R.

Ratio. non est neganda Trinitas Personarum ex eo, quia eam humana ratio capere nequit; p. 27. n. 1. & 2. an natura libertatis consistat in voluntate & ratione? p. 322. n. 1. & seq. qualiter ad liberum arbitrium requiratur ratio? p. 322. n. 1. & 2. & pag. 325. n. 8. eadem mens humana est voluntas & ratio. p. 326. n. 9. & 10.

Rationalis. vid. *anima.*

Raymundus Lullius. censuit, Mysterium Trinitatis Naturali virtute posse demonstrari. p. 137. n. 1. & seq.

Recidivatus animarum quid? p. 304. n. 1. & seq.

Rectitudo. an homo sit creatus cum rectitudine originali? p. 309. n. 6. & seq. quid hæc importet? *ibid.*

Regio. dæmones aliqui sunt in aëris regionibus. p. 209. n. 6. & seq.

Regula. traduntur aliquæ regulæ dignoscendi, quando in scriptura res aliqua, vel actio, vel quando Persona significetur. p. 70. n 7. regulæ observandæ in discursu de summa Trinitate. p. 154. n. 1. & seq. regulæ observandæ circa oracula Idolorum, & divinationes dæmonum. p. 194. n. 11. & seq. regulæ dignoscendi præstigia dæmonum à veris miraculis. p. 231. n. 1. & 2.

Relatio. Personæ Divinæ multiplicantur, & distinguuntur ob relationes. p. 148. n. 2. de divinarum relationum existentia, numero, & perfectione. p. 151. n. 1. & seq.

Religio. miracula sunt signa veræ Religionis. p. 234. n. 13.

Reprobus. an etiam reprobi habeant angelum Custodem? p. 226. n. 1 & seq an etiam hi possint vera patrare miracula? p. 232. n. 5. & seq.

Reptile. de creatione Reptilium p. 258. n. 9.

Repugnantia per solam non repugnantiam Pater non constituitur Pater, sed per verum Principium. p. 140. n 1.

Res. communis substantia rerum creatarum est aqua. p. 255. n 1. & seq. an præterierint jam infinita rerum creatarum in duratione spatia? p. 263. n. 1. & seq.

Resurrectio mortuorum est opus solius Dei. p. 231. n. 1. & seq. explicatur factum Pythonissæ suscitantis Samuelem. p. 236. n 18. & 19.

Revelatio Mysterium Trinitatis nequit naturaliter demonstrari præsuppositâ etiam revelatione. p. 137. n. 1. & seq.

Revolutio platonica animarum. p. 304. n. 1. & seq.

Richardus Simonius. vid. *Simonius.*

Ribaton. quid sit in Consideratione Thalmudistarum? p. 225. n. 7.

Roccus. falso docuit animam esse corpoream. p. 299. n. 26. & 27.

Roma. quo anno sit ædificata? p. 272. n. 6.

Rupertus Abbas Tuitiensis vocavit in dubium salutem Adami. p. 345. n. 1.

S.

Sabellius. ejus error de summa trinitate p 3. ante n. 1. idem erravit de consubstantialitate Filii p. 56. n. 11. ac p. 67. n. 13. item circa Spiritum S. p. 68. n 1. huic non favet Athenagoras. p. 106. n. 1. & seq.

Sadducæus. eorum hæresis de Spiritu S. p. 68. n. 1. negant existentiam angelorum, & eorum Origo narratur, p. 159. n. 2. refutantur. p. 159. n. 3. & seq.

Saga. an & qua virtute in aëra levetur? p. 237. n. 21. de ejus gemmis, & auro. p. 237. n. 22. & 23.

Sal. unde oriatur Sal in montibus? p. 258. n. 9.

Salamandra. non consumitur igne. p. 220 n 28.

Samosatenianus. eorum error refertur circa Trinitatem Personarum p. 3. ante n. 1. iidem erraverunt circa consubstantialitatem Filii. p. 57. n. 1. & seq. ac p. 66. n. 11.

Samuel. qua virtute sit ad vitam resuscitatus? p. 236. n. 18. & 19.

Sanctus. vid. *Beatus.*

Sandius. adversus hunc S. Justinus defenditur. p. 103. n. 1. & seq.

Sapientia. in quo sensu Filius divinus dicatur sapientia? p. 96. n. 9. & 10 liber Sapientiæ est liber Canonicus. p. 345. n. 1. & seq.

Saracenus. unde hi nomen trahant? p. 4. ante n. 1. eorum error circa Summam Trinitatem. p. 4. ante n. 1.

Satan. an fuerit Princeps malorum Angelorum? p. 207 n. 1. per tot. cap. XVI. quid significet hæc vox Satan? p. 207. n. 1. & seq. sub nomine *Cherub* non venit Satan. p. 208 n. 3. & 4. est princeps quinti chori dæmonum. p. 226. n 8. vid. *Dæmon.*

Saturnus ægyptius an sit idem, qui fuit Zoroastes? p. 241. n 7. historia seu fabula potiùs de Saturno. p. 280. n. 7.

Scelus Ultores scelerum constituunt quartum ordinem dæmonum. p. 226. n. 8.

Schimbergius Theodosius. ejus error de summa Trinitate. p. 4. ante n. 1.

Schismaticus. magnum est dissidium Latinos inter & græcos Schismaticos de Processione Spiritûs S. p. 80. n. 1. Theodoretus videtur horum Græcorum auctor, sed tamen defenditur. p. 80. n. 1. & seq. historia de

de repetito horum relapsu. p. 80. n 1. quòd Spiritus S. à Patre & Filio procedat, probatur contra hos. p. 80. à n. 1. per tot cap XVII. solvuntur objectiones Schismaticorum p. 83. n. 1. per tot. cap. XVIII. an S. Joannes Damascenus hunc errorem docuerit. p. 85. n. 7. 8 & 9. hi malè arguunt Latinos de corrupto symbolo. p 87. n. 1. per tot. cap. XIX. meritò fuit Symbolo contra Græcos Schismaticos adjecta particula: *Filioque*. p. 88. n. 1. & seq. quando hæc vox sit adjecta contra græcos Schismaticos p. 91. n 1.

Schlictingius ejus error circa summam trinitatem refutatur. p. 15. n. 1.

Scientia an Intellectus creatus virtute naturali possit habere scientiam Trinitatis. p. 137. n. 1. per tot. cap. I. quid dicendum de ligno vitæ, & arbore scientiæ boni & mali. p. 262. n. 15. & 16.

Scio. difficultas sciendi est pœna peccati Adæ. p. 339. n 16. & seq.

Scriptura. ex veteri testamento etiam conformiter linguæ hebraicæ probatur Mysterium summæ Trinitatis p. 4 à n. 1 per tot. cap. I quid scriptura velit significare, quando utitur numero plurali: *Dei: faciamus &c.* p. 4. n. 1. & seq. usque ad p. 13. solvuntur ulteriores objectiones Judæorum, & Hæreticorum petitæ ex scriptura. p. 13. n. 1. & 2. Trinitas Personarum probatur contra hæreticos ex novo Testamento p. 14. à n 1. per tot. cap. III. & IV. Textus Scripturæ: *tres sunt, qui testimonium.* probatur esse autographus, ac efficaciter declarans summam Trinitatem p. 17. n. 5. usque ad cap. IV. an Deus, vel Angelus, vel Christus apparuerit, quando in scriptura legitur Deum apparuisse. p. 39. à n. 5 usque ad cap. IX. quomodo intelligendus ille Scripturæ textus: *Pater major me est?* ubi varii similes textus explicantur p. 57. n. 1. & seq regulæ dignoscendi, quando in scriptura res aliqua, vel actio, & quando Persona designetur p. 70. n 7. ostenditur, quòd scriptura per vocem: *Verbum.* intelligat Filium Divinum. p 38. n. 2 quid scriptura significet per nomen Spiritûs p. 162. n. 2. quid scriptura intelligat in textu: *Videntes Angeli Dei filias hominum.* p. 163. n 6. an dicta de Epulone & Lazaro sint historia vel parabola. p. 220. n. 29. liber sapientiæ est liber canonicus p. 345. n. 1. & 6. ac 7.

Secreta: an Angeli cognoscant secreta cordium. p. 186 n. 1. per tot. cap. X. & an id fiat virtute sensibili, aut spirituali p. 189. n. 13. & 14. an creatura Deo inferior possit cognoscere secreta hominum. p. 231. n. 1. & 2.

Semen. anima rationalis non est propagata ex semine, & traduce corporali. p. 294. n. 9. & seq.

Semiarianus. eorum error circa consubstantialitatem Filii. p. 64. n. 1 & seq. iidem erravêre circa Spiritum S. p. 68. n. 1.

Sempiternus vid. *Æternus.*

Sentio. an Angelus possit sentire in corpore assumpto. p. 189. n. 14. an anima separata à corpore possit sentire. p. 298. n. 21.

Seraphim. cur Angeli vocentur seraphim p. 158. n. 1. ulterior explicatio. p. 223. n. 1. & seq.

Serapides. cur ita vocetur Beel-Zebub. p. 225. n. 7.

Serpens. quomodo Protoplasti suasione serpentis transgressi sint præceptum Domini p. 329. n. 1. tot. cap. XII. Diabolus fuit suasor, usus serpente vero ac naturali ad decipiendam mulierem tanquam instrumento p. 330. n. 5. & seq. an maledictio sit facta in serpentem, vel in diabolum. p. 331. n. 9. & 10. cur dicatur *callidus, sapiens?* p 332 n. 11. an serpens etiam Adamum deceperit. p. 339. n. 18. & 19.

Servetus Michaël. ejus error de summa Trinitate. p 4. ante n. 1.

Sibyllæ. an in earum oraculis virtute naturali deprehendatur Mysterium Trinitatis. p. 137 n. 1. & seq.

Similitudo. vid. *Imago.*

Simon vid. *Episcopius.*

Simonius Richardus. ejus objectiones contra textum: *Tres sunt, qui testimonium &c.* item contra summam Trinitatem solvuntur. p. 17. à n. 5. usque ad cap. IV.

Simon Magus, ejus error de summa Trinitate. p. 3. ante n 1.

Simplicitas. Trinitas Personarum non destruit simplicitatem Dei. p. 37. n. 4.

Sinensis populus quando ortum acceperit? p. 283. n 15.

Sirmiensis. recensentur tres fidei formulæ Sirmienses, & an alicui subscripserit Liberius Papa? p. 128. n. 1. & seq. vid *Synodus.*

Smintheus. vocatur Apollo, & cur? p. 225. n. 7.

Socinianus. error eorum de summa Trinitate p. 4. ante n. 1. refutantur p. 15 n. 1. 2. 3. & 4. ac p. 17. n. 8. usque ad cap V. altercatio Catholici cum Sociniano circa Mysterium Trinitatis. p. 27. n. 1. per tot. cap. VI illorum errores de Verbo divino. p 37. n. 1 iidem erraverunt de generatione æterna Patris cœlestis. p. 45. n. 6. & seq. item de consubstantialitate Filii p 52 n. 2. & seq. ac p. 57 n. 1 & seq. ulteriùs errant circa Spiritum S. p. 68. n. 1. & seq. falsam opinionem de Athanasio habuerunt. p. 115. n. 1. & seq. contra hos defenditur, quòd homo primus ante lapsum non fuerit morti subjectus. p 334 n. 2. & seq

Sol quo die sit productus. p. 249. n. 5. an primi tres dies sine cursu solis fuerint naturales. p. 249. n. 5. alia notanda de sole. p. 257. n. 8.

Spado vid. *Photius.*

Spatium. an præterierint infinita durationis rerum creatarum spatia. p 263 n. 1. & seq.

Species. an cognitio angelica fiat per species acceptas à rebus. p. 184 n. 1.

Spiratio. est proprietas notionalis p. 97 n. 11. an sit Principium p. 40. n. 1. & seq. an distinguatur à filiatione. p. 148. n. 1.

Spiritualis. anima hominis est spiritualis. p. 289. n. 2. & seq.

Spiritus. an Angeli sint conflati ex spiritu, & corpore. p. 162. n 1. & seq. per tot. cap. II. quid nomine spiritus significetur in scriptura p. 162. n. 2. spiritus mendaciorum reponuntur in secundo ordine dæmonum p. 226. n. 8.

Spiritus S. est res subsistens seu Persona. p 68. n. 1. per tot cap. XIV. Variorum errores referuntur circa Spiritum S. p. 68. n. 1 Vocabulum *Spiritus* varias in Scriptura habet significationes p 68. n. 2. regulæ dignoscendi, quando in Scripturis vox *Spiritus* Personam designet. p 70. n 7. Filius Divinus non est Pater Spiritûs S. p 74. n. 20. & 21. Spiritus S. per obumbrationem Virginis non est factus Pater Filii Divini p 74. n. 22. & 23 Divinitas Spiritus S Patri & Filio consubstantialis contra Macedonianos propugnatur p. 74. à n. 1. per tot. cap. XV. eadem ibidem ostenditur ex rationibus pluribus. *ibid.* solvuntur argumenta contraria. p. 79. à n. 1. per tot. cap XVI Spiritus à Patre, & Filio procedit. p. 80. à n. 1. per tot. cap. XVII. quare Spiritus S. non generet, vel spiret. p 32. n. 16. magnum est dissidium Latinos inter & Græcos de Processione Spiritûs S. p 80. n 1. solvuntur græcorum objectiones allatæ contra Processionem Spiritus S p. 83 n. 1. per tot cap. XVIII vid. *Schismaticus.* quo sensu Filius & Spiritus S. dicantur Missi.

Missi p 91. n. 1. per tot. cap XX. Pater nec à Filio, nec à Spiritu S. mittitur. p. 92. n. 2. quomodo Filius sit missus à Spiritu S. p. 92. n. 4. &c. Spiritus S. est missus à Patre & Filio. p. 92. n 5. & seq. Patri & Filio convenit esse Principium Spiritûs S. p. 97. n. 11 quæ nomina Spiritûs S. p. 97. n. 12. explicantur ipsius nomina: *Spiritus S.* & *Paraclitus ibid.* quid significet verbum πνεῦμα? *ibid* cur Spiritûs S Processio non sit generatio. p 145 n. 1. & seq. quale habeat Principium p 140 n. 1. & seq ac p. 145. n. 1. & seq. an Spiritus S. esset eadem Persona cum Filio, si à Filio non procederet p 148. n 1. & seq an Adam habuerit Spiritum S p. 310 n 10. & seq

Splendor. in quo sensu Filius divinus vocetur splendor. p. 96. n. 9. & 10.

Stella. varia notanda de stellis. p. 257. n. 8.

Stoicus. falsò stoici tenuêre transmigrationem animarum. p 304 n. 1

Stuprum. non fuit peccatum dæmonum. p. 209. n. 8.

Suasio. vid. *serpens.*

Subsistentia: an natura humana à tribus Personis Divinis simul assumpta triplicem habuisset subsistentiam p. 32. n. 15 explicatio hujus vocabuli. p. 95. n. 4. quot sint subsistentiæ in Trinitate? *ibid.* quæ ejus munera? *ibid.* idem pertractatur p. 153. n. 1. & seq.

Subsisto. Spiritus S. est res subsistens, seu Persona. p. 68. à n. 1. per tot. cap. XIV.

Substantia Divina. vid. *Essentia* quæ sit differentia inter verbum *Consubstantialis* & verba: *Substantia similis?* p. 94. n. 2. an Angeli sint in loco per substantiam suam, vel solùm per operationem. p. 201. n. 4. & seq. rerum creatarum communis substantia est aqua. p 255 n. 1. & seq anima rationalis non est portio divinæ substantiæ p. 290. n. 6. & seq.

Suggestio. quomodo dæmon suggestiones imittat in cor hominis. p. 189. n. 12.

Superbia fuit peccatum dæmonum. p. 208. n. 5 in quo consistebat hæc superbia p. 210. n. 11. fuit primum peccatum Protoplastorum. p. 333. n. 14. & seq.

Symbolum. Græci schismatici malè arguunt Latinos de corrupto symbolo. p. 87. n. 1. per tot. cap. XIX. meritò symbolo contra Græcos Schismaticos est adjecta particula: *Filioque* p 83 n. 1. & seq. quid dicendum de Symbolo Charisii. p. 88. n 3. an licitum symbolo Nicæno aliquid addere p. 88. n. 3. quid de symbolo Constantinopolitano? *ibid.* quid dicendum de symbolo Nestoriano. p. 88. n 3 & p. 89. n. 6. cur in symbolo Nicæno B. Virgini non sit additus titulus *Deipara* vel *Christipara.* p. 90. n. 7. quando vox *Filioque* fuerit adjecta symbolo. p. 91. n. 10 quid sentiendum de symbolo Athanasii. p. 115. n. 3. & seq.

Synodus. an Synodus Sirmiensis ex toto sit rejecta ab Ecclesia p. 11. n. 29. Nicæna synodus jure merito ad declarandam consubstantialitatem Filii usurpavit verbum: ὁμοούσιος. p. 64. n 3. & seq. Synodus Antiochena in quo sensu rejecerit verbum ὁμοούσιος. p. 66. n. 11 an synodus Ephesina inhibuerit omnem additionem ad Symbolum Nicænum p 88. n. 3.

Syria. an Paradisus sit in Syria p. 259. n. 6.

T.

Tatianus dixit, Adamum fuisse damnatum. p. 345. n. .

Tempus quo tempore sint producti Angeli. p. 172. n. 1. per tot. cap. VI, quo tempore peccârint. p. 203. n. 1. & seq. omnia à Deo sunt condita in tempore. p. 262. n. 1. & seq. vid. *Annus.*

Tentator: noni ordinis dæmones dicuntur tentatores. p. 226. n. 8.

Terra an Angeli sint creati ante terram. p 178 n. 2. & seq infernus est sub terra. p. 211. n. 1. est facta prima die, & ante eam nihil est creatum. p 255. n. 1. alia notanda de productione terræ. p. 257. n 7.

Tertullianus probabilius divinitatem adjudicat Filio. p. 120. n. 1. & seq.

Testamentum: Trinitas Personarum ex veteri Testamento ostenditur adversùs Judæos, & Hæreticos etiam conformiter linguæ hebraicæ p. 4. à n. 1. per tot. cap. I. cum solutione objectionum p. 13. n. 1. & 2 contra Hæreticos probatur Trinitas Personarum ex novo Testamento. p. 14. à n 1. per tot cap III. & IV. Textus: *Tres sunt, qui Testimonium: &c.* est verè autographus. p. 17 à n. 5. usque ad cap. IV. an Christus, Angelus, vel Deus apparuerit, quando in veteri Testamento legitur, Deum apparuisse p. 39. à n. 5. usque ad cap. IX.

Textus vid *Scriptura.*

Thalmudistæ: qualiter numerent exercitus Angelorum? p. 225. n. 7.

Thecla. an oratione Theclæ Falconillæ anima ab inferis sit revocata? p. 217. n. 17. & 18.

Theodoretus: an sit Auctor Græcorum Schismaticorum? p. 80. n. 1. & defenditur. p. 85. n. 10. & seq.

Theodorus Mopsuestenus: ejus error de summa Trinitate p. 3. ante n. 1.

Theodosius Schimbergius: ejus error de summa Trinitate. p. 4 ante n. 1.

Thritheita per injuriam vocatur Cultor sanctissimæ Trinitatis. p. 4. ante n. 1.

Thronus, est ordo Angelorum p. 223. n. 1. & seq.

Tigris: an in confluente tygridis sit Paradisus? p. 259. n 6.

Tisri non fuit primus mensis in anno. p. 268. n. 5. & seq

Traditio. Trinitas Personarum traditione Patrum comprobatur. p. 22. à n. 1. per tot. cap. V.

Tradux: an anima rationalis sit producta ex semine, & traduce corporali? p 294. n. 9. & seq.

Trajanus: an precibus Gregorii Magni Trajanus sit revocatus ab inferis? p. 217. n. 17 & 18

Transilvanus: ejus error de summa Trinitate. p. 4. ante n. 1.

Transmigratio. animarum refutatur. p. 304 n. 1. & seq.

Tricipes cur vocetur Beel Zebub? p. 225. n 7

Trinitas: Variorum errores circa hoc Mysterium adducuntur. p. 3. ante n. 1. Hanc negans Anastasius Imp. fulmine ictus interiit *ibid.* Hujus Trinitatis cultores per injuriam vocantur Thritheitæ. p. 4. ante n 1. contra Judæos, ac Hæreticos Trinitas Personarum ostenditur ex veteri Testamento etiam conformiter linguæ hebraicæ. p 4. à n. 1. per tot. cap. I. cur hoc Mysterium sit Hebræis absconditum? *ibid.* n. 1. quid velit significare Scriptura per vocabula: *Dii faciamus: Elochim &c. ibid.* objectiones desuper Judæorum ac Hæreticorum solvuntur p. 13. n. 1. & 2. quibus argumentis Judæi cogantur ad deponendam obdurationem circa Mysterium Trinitatis? p. 14. n. 3. Trinitas Personarum probatur contra Hæreticos ex novo Testamento. p. 14. à n. 1. per tot cap III. & IV. ubi refutantur Sociniani. *ibid.* Evangelii Institutor est tota sancta Trinitas p. 16 n. 4. Textus: *Tres sunt, qui Testimonium &c.* efficaciter probat summam Trinitatem, estque verè autographus. p. 17 à n. 5. usque

usque ad cap. IV. Trinitas Personarum Patrum traditione comprobatur. p. 24. à n. 1. per tot. cap. V. annotatio utilis circa hoc Mysterium de quibusdam libris apocryphis. p. 26. n. 4. usque ad n. 8. Trinitas Personarum non est neganda ex eo, quòd eam humana ratio capere nequeat. p 27. n. 1. & 2. altercatio Sociniani cum Catholico de summa Trinitate. p. 27. à n. 1. per tot. cap. VI. an dogma Catholicum de Trinitate Personarum evertat se ipsum. p. 29. n. 3. usque ad cap. VII. an elidatur Trinitas Personarum per rationes Philosophicas. p. 27. à n. 1. per tot cap. VI. vid. *Persona*. Trinitas Personarum probatur exemplis. p. 35. n. 1. ratione. p. 36. n. 2 ac miraculis. *ibid.* n. 3. Trinitas Personarum non destruit simplicitatem Dei. p. 37. n. 4. explicantur Græca, & Latina vocabula, quæ in tractatu de Trinitate adhibentur p. 94. n. 1. per tot. cap. XXI quot sint in Trinitate Notiones. p. 97. n. 11. quis sit Auctor Dialogi de summa Trinitate p. 115. n. 1. & 2. an Intellectus creatus virtute naturali possit habere scientiam Trinitatis. p. 137. n. 1. per tot. cap. I. nec supposita etiam revelatione? *ibid.* quot dentur in Trinitate Processiones, & Principia? p. 140. n 1. & seq quid sit Principium? quid Principium *quod*, *& quo*? *ibid* vid. *Principium* quot in Trinitate dentur relationes, & quænam perfectio illarum. p. 151. n. 1. & seq. quot dentur in Trinitate subsistentiæ & quid sint. p. 95. n. 4 & p. 153. n 1. & seq. regulæ observandæ in Discursu de summa Trinitate p. 154. n. 1. & seq.

Trinus, *& Triplex* an & qualiter hæ voces differant. p. 156. n. 11. an possit dici trina Deitas. p. 156. n. 14.

Triplex vid. *Trinus.*

Trismegistus Mercurius an manifestârit virtute naturali vestigia circa Mysterium Trinitatis p. 137. n. 1 & seq.

Troia quando sit expugnata? p. 272. n. 6. quo anno post hujus excidium Roma ædificata? p. 272. n 6.

Tullius Cato M animas creatas esse extra corpus, docuit. p. 291. n. 1. & seq.

Tunica: Deus verè fecit Protoplastis tunicas pelliceas. p. 344. n. 29. & seq.

V.

Valentinus: ejus error de summa Trinitate. p. 4. ante n. 1.

Vandimones: ab eo ortum habent Etruriæ populi. p. 280 n. 7.

Vas: vasa iniquitatis quinam vocentur dæmones? p. 226. n. 8.

Vastator est princeps dæmonum in septimo choro. p. 226. n. 8.

Vaticinatio de Idolorum ac Deorum vaticinatione. p. 195. n. 12. & seq. quis possit de futuris contingentibus certam vaticinationem ferre. p. 231. n. 1. & seq.

Ver: an mundus sit productus in vere? p. 267. n. 1. & seq.

Verbum: de Verbi Divini præexistentia ante incarnationem. p. 37. à n. 1. per tot cap. VIII. Variorum errores circa Verbum Divinum. *ibid* n. 1. ostenditur, quòd per: *Verbum*: in Scriptura significetur Filius Dei. p. 8. n. 2. vid. *Filius*, vel *Christus*, sola Processio Verbi est generatio p. 145 n. 1. & seq. an angeli cognoscant res creatas per species acceptas à rebus, vel an cognoscant eas in Verbo. p. 184. n. 1. Verbi Divinitas contra Arium propugnatur. p. 263. n. 8.

Veritas: an Angelus cognoscat omnes veritates? p 197. n 3. & 4.

Vermis qualis cruciet damnatos? p. 219. n. 23. 24. & 25 quidam vivunt in igne. p. 220. n. 28.

Vespertinus: vid. *cognitio*

Vetus Testamentum: vid. *testamentum.*

Viator: an Angeli fuerint viatores? p 183. n. 8. an Viator non habeat majorem libertatem amandi Deum, quam Angelus. p. 197. n. 2.

Victrix. gratia an Adamo fuerit necessaria ad perseverandum? p. 312. n. 1. & seq.

Vigilo: quomodo Angeli vigilent ad animarum custodiam, & dæmones ad perditionem earum? p. 226. n. 1. tot. cap. XIX.

Virgo: per obumbrationem Virginis Spiritus S. non est factus Pater Filii Divini. p. 74. n. 22. & 23.

Virtus: an Intellectus creatus virtute naturali possit habere scientiam Trinitatis? p. 137. n. 1 per tot. cap. I. an angeli sint in loco per substantiam, vel per applicationem virtutis? p. 202. n. 7. & seq. Virtus est ordo Angelorum. p. 223. n. 1. & seq. imago Dei etiam virtutum dona complectitur. p. 308. n. 4. an virtus ligni vitæ fuerit naturalis? p. 320. n 4. & 5

Visio. an Angeli statim ab initio habuerint visionem Dei intuitivam? p 197. n. 3. an Adam habuerit visionem Dei facie ad faciem? p. 308. n 4.

Vita: quid dicendum de ligno vitæ. p. 262. n. 15. an virtus ligni vitæ fuerit naturalis. p. 320. n. 4. & 5. an Adam perenniter vixisset, si de ligno vitæ comedisset. p. 321 n. 7.

Vitium vid. *Peccatum.*

Ultor: scelerum ultores sunt in quarto gradu dæmonum. p. 226. n 8

Ulysses: an ejus socii sint in porcos commutati? p. 236. n. 20. & 21

Unigenitus: Christus est Filius unigenitus. p. 45. n. 6. & seq.

Unitarius. unitarii, seu negantes tres Personas refutantur p. 15. n. 1 per tot. cap. III. & IV. negant, ignem infernalem esse materialem. p. 211. n. 1.

Unitas. an benè dicatur trina unitas. p. 156. n. 14.

Volatile. de creatione volatilium. p. 258. n. 9.

Voluntas. an Pater Cœlestis generet Filium voluntate, vel necessitate. p. 50. n. 10. 11. 12. & 13. an sit Principium Spiritûs S. p. 140. n. 1. & seq. ac p. 145. n. 1. & seq. de flexibili voluntatis arbitrio Angelorum. p. 196 n 1. per tot cap. XIII. primus actus amoris in Angelis non fuit elicitus necessitate, sed voluntate p 197 n. 3. Angeli boni habent voluntatem immutabilem, & essentialiter determinatam ad amandum Deum. p. 198. n 5. dæmones habent voluntatem immutabilem ob obstinationem. p. 198 n. 5. voluntate propria peccârunt dæmones. p. 203. n 1. & seq. homo est factus ad imaginem Dei in facultate intellectûs, voluntatis, & liberi arbitrii. p. 307. n. 1. & seq. qualiter ad liberum arbitrium requiratur voluntas. p. 322. n. 1 & 2. voluntas qualiter dicatur libera à necessitate, à peccato, & à miseria. p. 323 n. 3. vid. *libertas.*

Usia. quid significet verbum hoc Græcum. p. 94. n. 1. & seq. quomodo distinguatur a verbo *Hypostasis*, *ibid.*

Vulgaris. vid. *Aera.*

W.

Wolzogenius: ejus error de ſumma Trinitate. p 4 ante n 1. refutatur p 21. à n. 1. per tot. cap. IV. ac p. 27. n. 1. & 2 Idem errorem docuit de Verbo Divino: p. 39. n. 6. 7. ac ſeq. de generatione æterna Patris. p. 47. n. 11. & ſeq. ac p. 48. à n. 1. per tot. cap. X ulteriùs erravit circa conſubſtantialitatem filii. p. 52 n. 2. & ſeq. ac p. 57. n. 1. & ſeq. errores ipſius de Spiritu S. refutantur. p. 72. n. 16. & ſeq. duos in errores incidit per ſuum judicium de Athanaſio. p. 115. n. 1. & 2.

Z.

Zanchius: ejus error de ſumma Trinitate. p. 5. n. 1.

Zeno. an conciones Zenonis Epiſcopi Veronenſis de ſumma Trinitate ſint apocryphæ? p. 27. n. 8.

Zoroaſtres fuit auctor magiæ. p 241. n. 7. an fuerit idem, qui Saturnus ægyptius? p. 241. n. 7.

FINIS TOMI SECUNDI.



P.

BERITI

Th
889a

X.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN